№ A
1-303

40

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 1
Tabla
Número 303

3-22-2608

1 =244

303

143

De el Colegio de la Compª de Jesus de Granada. B.R.

B. 1559

VINDICIÆ DEIPARÆ VIRGINIS

DE PECCATO ORIGINALI,

ET DEBITO

ILLIVS CONTRAHENDI,

Rigore Theologico Præstructæ, & à nemine hactenus ex Professo discussæ,

In quibus Quæstiones variæ tum ad Scholasticam, tum ad expositiuam disciplinam spectantes nouiter agitantur.

AVCTORE

R. P. Dre. Ambrosio de Peñalosa Mondejarensi, Societatis Iesu, Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis Concionatore, & olim in Archiducali Academiâ Viennensi Austriæ primario Theologiæ Professore.

ANTVERPIÆ,

Apud Hieronymum Verdussium, M. DC. L.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

40

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 1
Tabla
Número 303

3-22-2808

1 =244

143

303

Del Colegio de la Compª de Jesus de Granada. B.
B. 1559

VINDICIÆ DEIPARÆ VIRGINIS DE PECCATO ORIGINALI, ET DEBITO ILLIVS CONTRAHENDI,

Rigore Theologico Præstructæ, & à nemine hactenus ex Professo discussæ,

In quibus Quæstiones variæ tum ad Scholasticam, tum ad expositiuam disciplinam spectantes nouiter agitantur.

AVCTORE

R. P. Dre. Ambrosio de Peñalosa Mondejarensi, Societatis Iesu, Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis Concionatore, & olim in Archiducali Academiâ Viennensi Austriæ primario Theologiæ Professore.

ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum Verdussium, M. DC. L.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ILLVSTRISmō. ET EXCELLENTISmō. PRINCIPI

D. D. FRANCISCO MARCHIONI DEL CARRETO, ET GRANA, COMITI DE MILESIMO,

Velleris aurei equiti, à consilijs Cæsarei status, & olim Militum Cæsareorum generali Magistro, & nunc Cæsaris in Hispania extraordinario Oratori.

HAud facilè recensere possum, Princeps excellētissime, quæ benignitati tuę feliciter adstrictus debere me sentio: tot enim tantaque sunt, vt ea non sine iniuria calamo credi possint. Igitur ea illibata prætermittam, quantumuis gratitudo iam diu pressa indignanter silentium ferat, satius vtique patrocinium rebus meis auspicatus, si quod tibimet debes, quàm quod ego tibi, meminerim. Exeunt in lucem nunc Dissertationes Theologicæ pro Immunitate Virginis Mariæ tum à labe Originalis, tum à debito contrahendi. Opus forsan laudabile studio erga Deiparam, sed

argumenti nouitate difficile, quare indignum vt commẽdetur Tui nominis præclaro ſuffragio, notæ pietatis officio, & inſignis virtutis zelo. Ergo hæc omnia quærenda mihi ſunt, ne lucubrationes iſtæ temerè in lucem eant: ergo & Tu in cæteris aduocandus es Patronus ſanè digniſsimus, ac chariſsimus, cui pulchrè contulit, claritatem genus, nomen pietas, famam virtus. Otho ſecundus Imperator, àquo ſine vllo obliquitatis veſtigio originem ſplendidam ducis; non tam emicat purpurâ, quàm ſobole, ſiquidem faciliùs ſydera adnumerabo, quàm huius familiæ viros, quos ſine inuidia Principes orbis adorat, ſine querela Parentes pax amat, ſine ſuperbia Duces bella timent. Othoni debuerunt Oppida del Careto, Langas, Sacra, Final quòd eorum dominus ſis, Tibi quòd experiantur, qui pericula libertatis amoueat, qui damna ſeruitutis auertat. Prudentia quoque ſuccurrit, quâ ſingulariter inſtructus es, non ad ſalutem ſolùm Rei vnius publicæ, ſed ad commune bonum prouinciarum, regnorum & Regum. Obtinuiſti, vt Electoris Saxoniæ Imperio frequèns moleſta arma, inducijs primùm ad tempus quieſcerent, fœdere deinde iurato ad exoptatam amicitiam cum Cæſare conuenirent. Hinc via ſtrata eſt, vt Ferdinandus Auſtriacus Ordine Tertius eligeretur Imperator Auguſtus, ſumma cum Romanæ Eccleſiæ lætitia, tum ingenti hæreticorum dolore.

His

His & alijs æquè opportunis euentibus ſeſe explicuerat Germaniæ animi Tui prudẽtia, cùm, ecce prouidentiam Numinis conſulentis rebus Hiſpaniæ, Orator ab Auguſto deſignaris, & ad Catholicum Regem legatus mitteris. Hiſpaniam venis, & vbi primùm Regiam Philippi Quarti ingreſſus es, ſic quæ vtriuſque Maieſtatis interſunt, ſic quæ commune bonum reſpiciunt, ſolerter exegiſti, vt cunctis innotuerit, vni Tibi tutò committi, quæ Hiſpanorum & Germanorum Senatuum diuturnam prouidentiam vexauerant. Humeris tuis incubuit vniuerſa curarũ moles, quâ laborabat Domus Auſtriaca, æmulis ſemper gloriâ ſuâ grauis. Sed quid his referendis moroſiùs hæreo? Nemini dubium eſt, curâ ac diligentiâ Tuâ vnicè maturatum coniugium feliciſsimum, quod inuiolabili vinculo amoris vnam & alteram coronam nectet. O accedat optata dies, quo gaudij impotens Hiſpania ſuæ Reginæ aduentum celebret, ſui Regis nuptias. O accedat, quo iungat Thalamus Regius, quos Chriſtiana Charitas copulat. Fœcundet hoc Auſtriacum par, has orbis gemmas longa ſeries decora Principum, glorioſiùs prolatura fines imperij, quàm per ſua ſpatia Sol lucis radios. Tanti noſtra interfuturum iam credimus, quod ad Hiſpaniæ fœlicitatem iudicij Tui maturitas affecuta eſt.

Hactenus togatum Te dedi, qui calamus, quæ vox non timebit referre armatum? Vix egreſſus

pueritiam tetigiſti annos firmiores cùm viuida indoles, & ad virilia propenſa otium Aulæ indignanter tulit. Anteuertit ætatis moras virtutis ardor, & altè inſerta famæ cupido vires generosè præuenit. Martis ſtatim alumnus factus es, nec pulchrior ipſe ſub coccinea chlamyde ſpes vnquam vincendi fecerat, quam aſſeruit ex tunc inuentus Tua armorum ſplendore decora. Prima rudimenta militiæ non tam certamina, quàm triumphi fuêre: nouerunt prælia victorem; quem antea militem ignorauerant. Rudis erat dexteræ vigor armorum conſuetudine non exercitus, ſed cui aduerſorum acies oppugnanti excidit rarò, aut nunquam telum ſine vulnere, vulnus ſine cruore, cruor ſine cæde, quâ demum victoria ſibi non ingratijs propitiabatur. Exinde alij Tuam felicitatem timebant, alij virtutem amabant, nemo tamen auſus eſt laudibus non extollere, quem vbi præliantem vidit, aut amare, aut timere debuit. Merebas ſub Ferdinando Secundo Cæſare digno ſæculorum memoria, illiq́ue videbatur feruida tui ardoris iuuentus ad animum robuſtiorem ſenſim exurgere. Igitur ne impræmiatus adoleſceres, qui iuuenis ſæpè viceras, Cæſarea humanitate dignatus eſt merita tua exornare antiquo Tribuni militum munere, id eſt, recenti Coronelij exercitus nomine. Poſtea cùm tempora & bella genij tui excellentiam pleniùs inſtruxerant, cùm caſus & pericula ſæpiùs probauerant, eâ rerum mili-

militarium peritiâ fortitudinem erudiſti, vt vſui tormentorum bellicorum auctoritate ſumma præficereris. Nec adhuc fortuna ſtetit, quæ in tantum cumulum gloriæ militiæ tuæ honores exaggerabat: addidiſti vlteriùs merita, illa quoque addidit munera: eoq́ue peruentum eſt, vt ipſe Ferdinandus Tibi tanquam ſupremo Magiſtro militum in ſuos vbique exercitus imperij poteſtatem commiſerit. Inde Legatus Imperatoris cunctis militibus leges ferebas, qui modò exhibueras miles cunctis ætatibus exempla animoſitatis.

Percurri ſtrictim dignitates, in quas veniſti, difficulter percurram geſta, quibus maioribus dignus exiſtimaris. Vbicumque Germaniæ, Belgij, Italiæ arma aduersùs Auſtriam ſonuêre, ibi tuæ laudes audiri poſſunt. Tot Prouincias victorijs impleuiſti, quot calamitas huius ſęculi bellis infeſtat. Illarum teſtes ſumus, quarum glorioſi prouentus nullibi inuenirent fidem, ſi oculi vſque modò non facerent. En nuper titubans ſacrum ſolium, vnde tamdiu Germaniæ iura dederunt fælicitas, Humanitas, & Maieſtas. Pragam occupat Elector Saxoniæ, Lypſiam inuadit Sueciæ Rex, Imperiales corrumpit Fritlandiæ Dux. O quanta malorum ſeries imminet Eccleſiæ! Eia age tutelaris Imperij hîc fides, hîc virtus tua, veniſti. Illico Saxonem è Praga depelli, & aquilas victrices coronare Bohemiam, Suecum apud Lypſiam occidi, & terrore percuſſam reſpi-

reſpirare Germaniam : Fritlandi infidelitatem agnoſci , & perfidiæ capite abſciſſo Auſtriæ Imperium ſtabiliri. Iò, calamitates grato iam horrore contemno, nihili diſcrimina habeo : Inſideat Saxonia mœnia captæ vrbis mille armatorum millibus : repellat inſilientium conamina , terroribus, vulneribus , cladibus , per tela , per haſtas ibis , per deuolutos ignes muros vſq; imperterritus aſcendes, ibi Cæſarea Ferdinandi Secundi ſigna circumcircũ extolles, indeque gloria veniet, inde dedecus, vnde damnum timendum fuerat. Quid plura ? Ratisbona , & Donauerta ad Danubium nobiles vrbes, Tibi potiſsimùm referunt , quòd Suecis ereptæ , & legitimo Principi reſtitutæ ſint. Sereniſsimi Ferdinandi , alter Hungariæ Rex , quem iam Germania Imperatorem adorat , alter Hiſpaniarum Infans, quem ad ipſarum luctum immatura fata tulêre, Tuis conſilijs inducti ſunt coniunctis viribus in Nordlingam ſimul venire. venerunt , vicerunt. Captus fuit Guſtauus Hornius , Dux VVimarienſis fugit , & eorum exercitus deletus vſque ad internecionem. O quàm idem Belgium fatebitur , poſtquam obſeſſæ S. Audomari vrbi , quæ diuturnâ obſidionis tolerantiâ ad extremum ferè peruenerat, opem tuliſti, compulſis inimicis obſidionem ſtatim tollere. O quàm idem poſtquam Francos in prælium prouocaſti , & præclusâ fugiendi viâ , ipſos apud Tiumvilam fregiſti. Mitto id genus alia ſexcen-

ſexcenta , clariora , quàm quæ poſsint obſcurari iniuſto famæ ſilentio , certiora , quam quæ refelli aduerſariorum durâ contumaciâ. Satis in his , quæ diximus , vt hiſtoriæ huius temporis inter primos famæ Heroas locum Tibi conſtituant.

Cæterùm virtutes iſtas , etſi pace , belloque magnas, longè ſuperat pietas , quâ rebus religionis incumbis. Hæc Tibi antiquior cura, acuminis decus, Eccleſiæ auctoritas , ſacrorum cultus : alia quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem ſpectant , ſuum, id eſt, poſteriorem locum habent. Nihil in aula eſt, nihil in palatijs Regum , nihil in populorum frequentijs, cui permiſeris , quod deſideria æternorum extinguere poſſet. Ita diuinis aſsiduus es, quaſi publicis non intereſſes, ita homine maior , vt ferè non te occupent ea , quibus hominis ingenium non ſufficit. Rectâ pietatis viâ pertranſis munerum , diuitiarum , honorum ſcopulos , quin paſsionum vlla tempeſtas curſus rectitudinem flectat , donec portum apud Deum ſumis , cui expeditus curis humanis ſuauiſsimis otijs vacas.

Dum hæc ſcribo , dum mihi gratulor de alijs, quæ veritatis affectu præterea ſcribere poſſem , occurrit ſingularis modeſtia , quâ ſuſtinere neſcis tuas laudes. Illa pectoris æquanimitas , illa frontis ſerenitas , quâ in omni rerum viciſsitudine immotus conſtas , turbatur , imò & deijcitur , non ſolùm ad fucatam vocem blandientium , ſed ad ſynceram con-

confeſsionem laudantium. Ideo in præconijs Tuis cauendum eſt, ne aurium patientiam vincant, quamuis facinorum magnitudinem non adæquent. Ideoque in præſenti curandum, ne liberiùs oratio excurrat, quàm meræ nuncupationis argumentum expoſtulat. Ita ab exordio mihi mens fuit. Conceſsi pudori Tuo, potiùs quàm ſtudio meo, nec intendi referre laudes virtuti, ſed adijcere ſtimulos ardori. Quòd ſi laudando præter conſilium in his, quæ ſcripſi, aduersùs Tuam modeſtiam peccaui, geſtis maioribus ſcripta dele; ſin verò ad non degenerem operum conſequentiam induxi, quæ geſsiſti gerendis comple. Accipe dicta, vt diſcas quid famæ debeas, non vt famâ contentus nihil vltrà facias. Hoc ipſum moueat, vt fauere velis Diſputationibus, quas Tibi commendo. Debes enim generis claritati, quod magni habeas Deiparæ Originalem ſplendorem: debes pietati, quod ipſi ſuffragium feras; virtuti, quod proſequendas ſuſcipias Vindicias, quibus cauſa tanti ad pietatem interfutura defenditur. Vnum mihi debebis, nempe quod poſsis ad patrocinium tot nominibus debitum exorari. Vale.

PRÆ-

PRÆLVDIVM OPERIS, AD LECTOREM.

LIbentiùs olim contra hæreticos, quàm nunc aduersùs Catholicos in arenam deſcendo: & ideo quondam Viennæ Auſtriæ Vt S. C. M. Ferdinandi Tertij, obſequerer; contra nouos Arianos, Chriſti Domini diuinitatem, & indiuiduæ Trinitatis myſterium lubenti animo propugnaui. Verùm pietas erga B. Virginem iterum arma corripere, & cum Catholicis etiam manus quoque conſerere cogit; Vt eam neque peccaſſe in Adamo, neque culpam originalem, aut eius debitum incurriſſe, defendam. In qua re licèt grauiſsimi Doctores feliciter laborarint; nihilominus viam, quam ſequor, hactenus illis imperuiam fuiſſe polliceor. Per quam tam Thomiſtæ, quàm Scotiſtæ, ſuis principijs circa Incarnationem Chriſti Domini, ſartis tectiſque ſeruatis, ad optatum finem facilè peruenire poſſunt: eamque non ſolùm pietate, vt nonnulli effecerunt; ſed firmis rationibus, & luculentis teſtimonijs Patrum, & Scripturæ ſtabilire, & his vindicijs Virginis Deiparæ, de peccato Originali, & de illius contrahendi debito, euulgare, piè temerarius exambio. Verùm ſicut ad nouam viam ſternendam, multoties rupes effringere, aſpera complanare, & inuia aperire opus

eſt;

est; ita vt via, quam monstro, plana reddatur, plures difficultates de opere sex dierum, hactenus ferè intactas, superare, & ex professo discutere expedit, vt inde facilius finem intentum consequi valeam. Denique in calce huius operis controuersias de maculatâ, vel immaculatâ Conceptione, congregato, & non conuocato Concilio, definibilem esse ostendo, & pariter opinionem determinabilem ab Ecclesiâ designo. Quod totum, vt clariùs persuadeam, de conditionibus, quæ in controuersijs interuenire debent, vt illæ decidibiles sint, tracto. Præsentem tractatum in varia capita distribuo; & quia aliquando nonnulla longiora euadunt, vt fastidium lectori deuitem, ea in paragraphos subdiuidere placuit. Lectorem rogo, ne de prædictâ viâ iudicium ferat, priusquam per eam aliquantulum incesserit, & quintam, sextam, & septimam disputationem attentè perlegerit; siquidem illis nostram Theologiam tanquam solido, & firmo fundamento inniti censemus. Faxit Deus, vt hic labor cedat in honorem Christi Domini, & eius sanctissimæ Genitricis, quorum honori militat, & gloriam exambit.

FA-

R^di. PATRIS

PROVINCIALIS.

EGo Ioannes De Pina Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Toletana, potestate ad id mihi facta à R^do. admodum Patre nostro Generali Præposito; facultatem concedo vt, *Vindiciæ Virginis Deiparæ, de peccato Originali, & de illius contrahendi debito*, à Patre Ambrosio de Peñalosa nostræ Societatis compositæ, & eiusdem virorum grauium, atque sapientum iudicio examinatæ, typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac nostri Officij sigillo munitas, dedimus, in Ciuitate Cæsaraugustanâ, die decima sexta mensis Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto.

Ioannes de Pina.

CENSVRA.

VIndiciæ Virginis Deiparæ, de peccato Originali, & de illius contrahendi debito, à R. P. Ambrosio de Peñalosa, *Societatis Iesu, multa cum eruditione perspicuè & accuratè conscriptæ, nihil continent quod Catholicæ Fidei aut bonis moribus aduersetur. Quare eadem prælo dignissimas censui* 16. *Iunij* 1650.

Guil. Bolognino S. Th. L. Canon.
& Lib. Censor Ant.

INDEX DISPVTATIONVM ET CAPITVM.

DISPVTATIO PRIMA.

Aliquot quæstiones præmittuntur. 1.

CAp. I. *Nonnulla, quæ Adamo in paradiso contigerunt, breuiter aperio.* *Ibid.*
Cap. II. *In qua formalitate consistat peccati originalis malitia, quâ Deo inimici concipimur.* 5.
Cap. III. *Quid sit formaliter nos peccasse in Adamo.* 49.
Cap. IV. *Quid sit debitum peccati originalis.* 50.
Cap. V. *De motiuo principali, & minus principali, ob quod Christus Dominus fuit prædestinatus.* 52.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

An pactum initum cum Adamo ad homines omnes tunc possibiles sub conditione, si ex Adamo per seminalem propagationem nascerentur, extensum fuerit. 59.

Cap. I. *Sententia quorundam recentiorum refertur & exploditur, & argumentis nonnullus fit satis.* 60.
Cap. II. *Alia sententia refertur & impugnatur.* 66.
Cap. III. *Verior stabilitur, & nonnullis argumentis satisfit.* 72.

DISPVTATIO TERTIA.

An B. Virgo in pacto inito cum Adamo fuerit inclusa. 78.

Cap. I. *Quid circa præsentem quæstionem sentiant aliqui existimantes Christum quoad substantiam ante delictum Adami fuisse prædestinatum.* *Ibid.*
Cap. II. *Aliæ duæ sententiæ referuntur, & refelluntur.* 81.
Cap. III. *Opinio Ferdinandi de Salazar reijcitur.* 83.
Cap. IV. *Quinque præfatæ sententiæ, & aliæ negantes B. Virginem in pacto fuisse inclusam, alio argumento ex redemptione deducto refutantur.* 90.
Cap. V. *Sententia Cardinalis de Lugo exponitur, & refellitur.* 96.

Cap. VI.

Cap. VI. *Verior sententia proponitur & stabilitur.* 100.
Cap. VII. *Argumentis nonnullis respondetur.* 102.

DISPVTATIO QVARTA.

Quodnam fuerit peccatum primorum parentum, in quo peccauimus, seu quod ex vi pacti fuit causa per se meritoria transfusionis culpæ originalis. 105.

Cap. I. *Aliqua præsentis difficultatis resolutioni non inidonea præmittimus.* 106.
Cap. II. *Singularis quædam sententia reijcitur.* 110.
Cap. III. *Variæ sententiæ referuntur, & probabilior designatur.* 113.
Cap. IV. *Comestionem Adami fuisse peccatum naturæ, in eaque nos omnes peccasse, seu eam fuisse causam per se, saltem partialem, nostræ infelicitatis, ostenditur.* 116.
Cap. V. *Culpam totalem Adami, in quam moraliter influximus; seu quæ iuxta pactum nostræ infelicitatis causa meritoria totalis, & adæquata fuit, vnicam numero & specie fuisse ostenditur.* 122.
Cap. VI. *Corollarium contra secundam & quintam opinionum supra relatam, deducitur.* 130.
Cap. VII. *Aliud corollarium deducitur contra tertiam, & quartam sententiam suprà relatam.* 145.
Cap. VIII. *Argumentis, quibus contrariæ opiniones nituntur, satisfit.* 148.

DISPV-

DISPVTATIO QVINTA.

De tempore viæ Adamo concessæ ad transfundendum ineuitabiliter in posteros iustitiam, aut peccatum originale. 158.

Cap. I. *Prima sententia exponitur, & refutatur.* 159.
Cap. II. *Secunda sententia circa viam Adamo, vt personæ publicæ concessam, refertur, & exploditur.* 161.
Cap. III. *Tempus viæ Adamo statutum ad transfusionem iustitiæ originalis, non fuisse duraturum totâ eius vitâ animali, sed finiendum antequam filios habuisset, ostenditur.* 163.
Cap. IV. *Sententia Scoti circa tempus viæ Adamo, vt personæ publicæ statutum, explicatur.* 169.
Cap. V. *Adamum adhuc post præuaricationem potuisse euitare transfusionem peccati originalis in posteros, ex Patribus probatur.* 170.
Cap. VI. *Ex alijs Patrum testimonijs, Adamum, vt personam publicam, post prænaricationem adhuc viatorem mansisse, stabilitur.* 176.
Cap. VII. *Viam Adamo, vt personæ publicæ ad transmissionem iustitiæ aut culpæ originalis elargitam, præuaricatione non fuisse terminatam, ex capite tertio Geneseos adiuncta Patrum explicatione confirmatur.* 179.
Cap. VIII. *Adamum etiam post præuaricationem viatorem publicum fuisse, varijs rationibus roboratur.* 184.

Cap. IX. *Verior sententia circa tempus viæ Adamo vt capiti assignatum ad transmissionem iustitiæ, aut culpæ originalis, aperitur.* 185.

DISPVTATIO SEXTA.

An Adamus tempore præfatæ viæ, quod inter eius præuaricationem, & prolationem iacuit, pœnitere, & statum pristinum iustitiæ orginalis recuperare valuerit. 189.

Cap. I. *Præmissa opinione communi, alia minùs communis vt probabilior eligitur, & ex Patribus stabilitur.* 190.

Cap. II. *Adamum præfato tempore viæ, & ante prolationem sententiæ, potuisse mediâ pœnitentiâ ad pristinum statum iustitiæ originalis redire, ex Patribus ostenditur.* 192.

Cap. III. *Adamum post transgressionem potuisse cum sua prole in statum pristinum iustitiæ originalis redire, ex meritis Christi, & ex Patribus comprobatur.* 195.

Cap. IV. *Eadem sententia iterum ex meritis Christi persuadetur.* 198.

Cap. V. *Paulus meritorum Christi causam agit, & Adamum ad statum iustitiæ originalis redire potuisse significat.* 204.

Cap. VI. *Adamum potuisse in præfato tempore viæ pœnitere, & ita cum sua prole in pristinum statum redire, varijs rationibus suadetur.* 218.

Cap. VII. *Aliqua corollaria ex dictis deducuntur.* 220.

Cap. VIII. *Argumentis contra nostram opinionem satisfit.* 222.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An culpa Adami toto illo tempore viæ, eidem ad transfusionem iustitiæ originalis concesso, quod inter eam & prolationem sententiæ interiacuit, fuerit nobis imputata. 228.

Cap. I. *Variæ sententiæ referuntur, & inter eas probabilior eligitur & declaratur.* 229.

Cap. II. *Culpam Adami non fuisse nobis imputatam, statim ac commissa fuit, sed post aliquod spatium temporis, probatur ex Paulo.* Ibid.

Cap. III. *Fuisse aliquod tempus post præuaricationem Adami, in quo pœnas nobis comminatas non incurrimus, ex Concilio Tridentino, & Chrysostomo probatur.* 241.

Cap. IV. *Peccatum Adami tempore medio inter eius præuaricationem, & prolationem sententiæ, non fuisse nobis imputatum ratione stabilitur.* 245.

Cap. V. *Alia ratio ex immunitate B. Virginis à peccato originali & eius debito desumitur.* 250.

Cap. VI. *Nonnullis obiectionibus satisfit.* 253.

DISPVTATIO OCTAVA.

An aliquis vel aliqui ex inclusis in pacto, potuerint tempore inter præuaricationem Adami, & prolationem sententiæ interposito, ab eo diuinitus eximi intuitu meritorum Christi. 268.

Cap. I. *Relata opinione contraria, verior sententia illustratur?* *Ibid.*

Cap. II. *An exemptus à pacto post præuaricationem antequam impœnitentia Adami præuideretur, peccasset in Adamo, vel aliquam maculam originalem contraheret?* 271.

Cap. III. *An præfatus homo exemptus à pacto per merita Christi, fuisset verè & propriè redemptus ab Adami peccato?* 272.

DISPVTATIO NONA.

An B. Virgo tempore inter præuaricationem Adami, & inter illius impœnitentiam interiecto, fuerit à pacto excluſa per Christum. 274.

Cap. Vnicum. *B. Virginem priusquam impœnitentia Adami, & consequenter priusquam corruptio naturæ præuideretur, fuisse excluſam à pacto quoad pœnas comminatas, ostenditur.* 276.

DISPVTATIO DECIMA.

An B. Virgo peccauerit in Adamo, & culpam originalem aut eius debitum incurrerit. 285.

Cap. I. *Variæ sententiæ circa præsentem quæstionem referuntur.* *Ibid.*

Cap. II. *B. Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, neque eius debitum contraxisse, ex Paulo suadetur.* 286.

Cap. III. *B. Virginem neque peccase in Adamo, neque culpam aut eius debitum incurrisse, iterum Paulus significare videtur.* 288.

Cap. IV. *Eadem immunitas Beatæ Virginis à peccato originali, & eius debito, ex alijs auctoribus comprobatur.* 296.

Cap. V. *Via noua, quâ propugnatur B. Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam aut eius debitum incurrisse, aperitur, & roboratur.* 301.

Cap. VI. *Duo argumenta contra præfatum modum propugnandi B. Mariæ à debito peccati immunitatem, dissoluuntur.* 303.

Cap. VII. *Alia argumenta contra omnimodam immunitatem B. Virginis à peccato & eius debito, soluuntur.* 310.

DISPVTATIO VNDECIMA.

Iterum B. Virginem sine peccato originali conceptam fuisse adstruitur. 315.

Cap. I. *B. Virginem non contraxisse peccatum originale, ex Scriptura probatur.* *Ibid.*
Cap. II. *Eadem pia opinio auctoritate Patrum promouetur, & ampliùs roboratur.* 319.
Cap. III. *Immunitas B. Virginis à culpa originali Ecclesiæ auctoritate ostenditur.* 322.
Cap. IV. *Iterum auctoritate Ecclesiæ & summorum Pontificum B. Virginem fuisse expertem peccati, & in sua Conceptione sanctam, roboratur.* 348.
Cap. V. *Aliud argumentum desumptum ex communi sensu fidelium in fauorem opinionis piæ, conficitur.* 357.
Cap. VI. *Ex varijs reuelationibus B. Virginem à peccato originali immunem fuisse persuadere adnitimur.* 360.
Cap. VII. *B. Virginem sine vllo peccato conceptam fuisse auctoritate Apostolorum roboratur.* 369.
Cap. VIII. *Ratio satis efficax pro immaculatæ Virginis Conceptione ex dignitate Matris Dei formatur.* 371.
Cap. IX. *Nonnullæ aliæ rationes pro immunitate Mariana à peccato originali breuiter attinguntur.* 379.

Cap. X.

Cap. X. *Testimonia Patrum S. Bernardo antiquiorum, quæ contra nostram opinionem obijciuntur, breuiter explicantur.* 382.
Cap. XI. *Mens D. Bernardi circa Conceptionem B. Virginis aperitur.* 385.
Cap. XII. *Alij Patres, qui asserunt B. Virginem peccatum habuisse, explicantur.* 390.

DISPVTATIO DVODECIMA.

An à summo Pontifice saltem cum Concilio generali definiri possit B. Virginem sine peccato originali, aut cum peccato conceptam fuisse. 393.

Cap. I. *Quædam anteloquia præmittuntur, in quibus conditiones requisitæ ad validam & licitam controuersiarum definitionem, breuiter examinantur.* 394.
Cap. II. *Ecclesiam posse aliquam ex dictis opinionibus definire, demonstro.* 426.
Cap. III. *Argumentis Aduersariorum fit satis.* 429.
Cap. IV. *An expediat præfatam controuersiam definire.* 433.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

Designatur opinio, quam Ecclesia, si ad alterutrius opinionis definitionem peruenire velit, statuere debet. 440.

Cap. I. *Opinionem minùs piam non esse definibilem ostenditur.* 441.

Cap. II.

INDEX CAPITVM.

Cap. II. *Piam opinionem esse definibilem ab Ecclesia monstratur.* 443.

Cap. III. *Argumentis Aduersariorum satis fit.* 447.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

An opinio pia sit proximè definibilis, seu an Pontifex sine Concilio generali, aut prouinciali Episcoporum, de ea vltimum iudicium ferre possit. 449.

Cap. I. *Aliqua ad resolutionem prædicti dubij præmittuntur.* Ibid.

Cap. II. *Pontificem non solum validè, sed etiam licitè posse sine Concilio nostram piam opinionem definire, stabilitur.* 451.

Cap. III. *Operis conclusio, & ad sanctissimum Dominum nostrum Innocentium Decimum peroratio.* 453.

DISPVTATIO PRIMA.

Aliquot quæstiones præmittuntur; præsertim quæ peccati originalis naturam, & illius contrahendi debitum, exponunt.

1. CVM B. Virginem à peccato originali, & eius debito per merita seu mortem Christi Domini, immunem esse velimus, quid sit peccatum originale, & eius debitum, & vndè, & quomodo hæc dimanarint, & quo signo Christus mortalis fuerit præuisus, & nonnullas alias difficultates præscire oportet. Quapropter ne postea prædictis dubijs noster discursus interrumpatur, eas in hâc disputatione præmittere placuit. Genes.

CAPVT I.

Nonnulla quæ Adamo in paradiso contigerunt, breuiter aperiantur.

2. *Quandiu Adamus fuerit in paradiso.* ADamum per aliquod temporis spatium in paradiso commoratum fuisse, meritò supponunt interpretes. Cum id ea, quæ primis parentibus ante exilium à paradiso contigisse refert Moses Genes. 2. & 3. capite, satis apertè demonstrent. Est tamen Suarez. Pereira. Salianus. lis, an prædictum tempus longum, an breue fuerit. Alij vnico, alij duobus, alij octo, alij triginta, & alij quadraginta diebus, primos progenitores paradisum incoluisse volunt. Denique alij, hoc breui tempore non contenti, illud iam ad triginta, iam ad quadraginta annos extendunt: & quilibet suam mentem coniecturis potiùs, quàm firmâ ratione stabilire procurat. Legantur Suarius tractatu de Opere sex dierum lib. 4. cap. 8. Pereira in Gen. lib. 6. disp. *quandiu Adam, & Eua commorati sint in paradiso.* Salianus tom. 1. Annalium anno 1. die 7. qui præfatam quæstionem eruditè discutiunt: à quâ libenter supersedeo, si concedatur, quod omnes admittunt, scilicet primos progenitores saltem per tria diuersa spatia, siue annorum, siue dierum, siue horarum, paradisi accolas fuisse. In quorum primo vterque generis humani princeps creatus, & iustitiâ originali ornatus, præceptum accepit à Deo, quo ei esus de arbore scientiæ boni

boni & mali prohibebatur. In secundo spatio primi parentes, metas prædicti mandati transgressi, propriam nuditatem folijs cooperire curarunt. In tertio denique Deus, iudicaturus adueniens, eos de suo delicto conuicit, puniuit, & tandem à paradiso eiecit. Cæterum, vt clarè procedam, prædicta tria spatia, tres horas, nempe tertiam, sextam, & nonam, appellabo: in quarum horâ tertiâ Adamo creato præfatum præceptum fuit impositum: in sextâ, propriâ culpâ maculatus permansit: in nonâ denique à Deo condemnatus, & à paradiso expulsus fuit.

3. *Tribus præcipuè donis fuerunt primi parentes condecorati.*

Secundò suppono tribus præcipuè donis fuisse primos parentes in statu innocentiæ condecoratos: alio ad animam, alio ad appetitum sensitiuum, & denique alio ad corpus pertinentibus. Primum donum animam sanctificabat, idcircò gratiam sanctificantem, & cæteras alias virtutes, quæ illam comitantur, includebat. Secundum donum rationi appetitum sensitiuum subdebat. Tertio denique dono corpus immortale reddebatur. An verò secundum, & tertium donum, habitus, seu qualitas aliqua permanens & primis parentibus intrinseca esset: an solum auxilia & prouidentia Dei extrinseca, quibus passiones appetitus comprimerentur, & corpori immortalitas donaretur, parùm interest ad nostrum institutum, sicut alia quæstio (quam S. Thomas. 1. p. q. 95. atric. 1. & 2. Scotus in. 2. dist. 29. q. vnica §. *potest dici.* Suarius de opere sex dierum lib. 3. cap. 20. Molina 1. p. tract. de Opere sex dierum disp. 27. Pereira in Gen. lib. 5. disp. de tertia excellentia status innocentiæ, & alij plures mouere solent) scilicet, an præter dicta tria dona fuerit in primis progenitoribus aliud quartum, ab illis distinctum, quod iustitia originalis appellatur. Solum superaddo me nomine iustitiæ originalis intelligere cumulum trium prædictorum priuilegiorum, quibus homines in illo statu felici immortales, & Deo amici redderentur; & insuper appetitum sensitiuum rationi penitùs subiectum haberent. Ita prædictum nomen Suarez, Molina, Pereira, & alij plurimi vsurparunt. Solùm ergò superst probandum tribus prædictis donis primos parentes in paradiso fuisse potitos. Et sanè circa donum sanctitatis non est controuersia, cùm sit de fide eam Protoplastum habuisse, vt aduertit Suarius suprà cap. 17. n. 2. siquidem id tam Tridentinum Concilium sess. 5. cap. de peccato originali, can. 1. & 2. quam Arausicanum secundum can. 19. supponunt. Præterea etiam est fidei dogma, primos parentes, si in sanctitate perseuerassent, futuros fuisse immortales, seu nunquàm morituros; cùm id clarè constet ex Concilio Milæuitano cap. 1. Arausicano

S. Thomas. Scotus. Suarez. Molina. Pereira.

Quid nomine iustitiæ originalis intelligatur.

Suarez. Tridentinū. Frāsicanū. Mileritanū

no secundo can. 1. & 2. Tridentino suprà. Denique etiam est certum in statu innocentiæ passiones appetitûs sensitiui ita fuisse compressas, vt contrà rationem non insurgerent, sed eidem planè subijcerentur, quod ex scripturâ, Concilijs, & Patribus optimè deducit Suarius suprà cap. 12.

Suarez.

4. *Iustitia fuit nobis promissa, si Adamus pactum obseruaret.*

Tertiò moneo, iustitiam originalem, seu tria prædicta dona ad animam, corpus, & appetitum sensitiuum pertinentia, sub aliquâ lege, & conditione onerosâ, Protoplasto ita collatam fuisse, vt, si eam impleret, præfata tria dona, seu iustitiam originalem, quasi iure hæreditario in posteros transmitteret: si verò illam non obseruaret, præfatam iustitiam originalem, non sibi solum, sed etiam posteris per seminalem propagationem orituris amitteret: ita sentire videtur S. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 14. cap. 10. S. Thomas 1. p. q. 100. art. 1. legatur Suarius de opere sex dierum lib. 5. cap. 8. quod illis verbis Genes. 2. *In quâcumque die comederis ex eo, morte morieris.* Interpretes & Theologi significari aiunt, vt bene Suarius lib. 3. de Opere sex dierum cap. 21. nu. 19. adnotauit. Etenim Deum statuisse posteris Adami sanctitatem animæ impertiri, si conditio apposita impleretur, est fundamentum illius certissimæ veritatis, quam fides adstruit, nempe ab Adami peccato maculam originalem in omnes deriuari. Nam si eam voluntatem Deus non habuisset, quamuis primus progenitor deliquisset, nullam inde culpam contraheremus: sicut ex delictis nostrorum parentum maculati, aut Deo inimici non prodimus. Et ratio est, nam peccatum originale aut est priuatio gratiæ debitæ, aut saltem cum ipsâ necessariò coniunctum, vt omnes, teste Vazquez. tom. 2. in 3. p. disp. 115. cap. 3. num. 24. supponunt. Equidem si Deus posteris Adam sanctitatem sub aliqua saltem conditione præcepta, seu onerosa conferre non decreuisset, gratia sanctificans, vtpote donum planè supernaturale, nobis penitùs indebita esset; ac proindè, etiam si nudi conciperemur, non priuati gratiâ debitâ, sed prorsus indebitâ diceremur; & consequenter culpa originalis à nobis longè abesset. Præfatam doctrinam Concilium Tridenti- Tridentinū
num sess. 5. cap. de peccato originali can. 2. supponit, dum Adamum, Sanctitatem & iustitiam, non solùm sibi, sed etiam nobis perdidisse declarat. Enimuero, si Deus sanctitatem nobis impertire noluisset, etiam Adamo obediente perseuerante, eam primus parens, non nobis, sed sibi soli amisisset.

S. August. S. Thomas Suarez. Genes. Vasquez.

Præterea Deum efficaciter statuisse nos immortales conseruare, si progenitor obediens permansisset, etiam supponunt Doctores, & meritò, cùm Paulus ad Rom. 5. asserat: *Per vnum homi-*

5. *Fuissemus immortales, si Adamus Deo obedisset.*

nem peccatum in hunc mundum introiuit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt. & ad Rom. 8. *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Ex quibus verbis S. Augustinus lib.1. de peccatorum meritis & remiſ. cap.4.5.6.& 7. ſolidè & neruoſè deducit, ablato peccato, mortem in mundo non fuiſſe dominaturam. Quod etiam Tridẽtinum ſeſſ.5. cap.de peccato originali,can.2.vt certum ſupponere videtur: legatur Molina 1.p. tract. de Opere ſex dierum. diſp. 28. qui hoc idem tum ex Scriptura, tum ex Patribus optimè confirmat. Denique noſtrum appetitum ſenſitiuum futurum fuiſſe rationi ſubiectum, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, tanquam certum,ab omnibuſque receptum, admittit Suarius de Opere ſex dierum lib. 3. cap. 12. Hoc idem ſtatuere videtur tum Paulus ad Rom.7. dum pugnam interiorem, quam patiebatur, carnis cum ſpiritu, peccato attribuit: tum Tridentinum ſeſ. 5. can.5.dum ait, fomitem,ſeu concupiſcentiam,quæ manet in baptizatis, peccatum ab Apoſtolo appellari, quia ex peccato dimanat: vnde ſi peccatum abfuiſſet, præfatum appetitum rebellem non haberemus.

Paulus. Auguſt. Trident.

Molina.

Suar. Paulus. Trident.

6. *Dubium excitatur.*

An verò huius voluntatis, aut ordinationis diuinæ,quam communiter Doctores pactum initum cum Adamo appellant, notitiam habuerint primi parentes ante præuaricationem, controuertunt Doctores, &, vt aſſolent, alij affirmant, & alij negant. Verùm quia præfata quæſtio noſtro inſtituto nullatenus diſeruit, eam omitto: legat, qui voluerit, hac ſuper re Suarium de Opere ſex dierum lib.3.cap.21.Vazquez 1.2. diſp.133. cap.1. Salmeronem ſuper Epiſt.ad Rom.ad cap.5.diſp. 45.Salazar de Conceptione cap. 1.§ 7.Granados tom.1. in 3.pag. controu.2. tract. 1. diſp. 1. ſect.5., Monteſinos in 1.2. ad quæſt.82. S.Thom.q.6 n.87.

Suarez. Vazquez. Salmeron. Salazar. Granados. Mõteſinos. S. Thomas.

7. *Pactum initum cum Adamo duo inuoluebat.*

Quartò aduerto prædictum pactum, ſiue notum, ſiue ignotum Adamo fuerit,duo inuoluiſſe, alterum, promiſſionem prædictorum trium donorum, ſeu iuſtitiæ originalis in poſteros certiſſimè deriuandæ,ſi illud obſeruaretur: alterum, comminationem pœnæ naturaliter ineuitabilis, nempè priuationis iuſtitiæ originalis, ſi ipſe primus parens conditionem non adimpleret. ſicut enim promiſſio gloriæ æternæ facta eis,qui mandata diuina obſeruarint, à comminatione inferni facta eis, qui prædicta mandata fregerint, diſtinguitur, ita promiſſio iuſtitiæ originalis à comminatione pœnarum, quas ob præuaricationem Adami patimur, diuerſa eſt. An verò promiſſio iuſtitiæ originalis,& comminatio pœnarum poſterorum, ſint ita connexæ, vt diuinitùs ſeparari queant, conſtabit ex dicendis infrà diſp.9. à n.1. Addidi *natu-*

naturaliter ineuitabilis, quia multoties,quod Deus iuxta leges naturæ efficere ſtatuit, per potentiam abſolutam & extraordinariam alterare ſolet, & idcirco Doctores B. Virginem à prædicta pœna per potentiam extraordinariam Dei liberam eſſe prædicant,de quo infrà diſp.10.& 11.

CAPVT II.

In quâ formalitate conſiſtat peccati originalis malitia, quâ Deo inimici concipimur.

8. *Suppoſitum.*

QVamuis certum, & de fide ſit, peccato originali poſteros Adami maculari, cùm id Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. de peccato originali diſinierit; eſt valdè controuerſum, in quâ formalitate illud conſiſtat,& omiſſis erroribus ſectatoriũ(quos refert, & ſolidè, vt aſſolet, refutat Cardinalis Bellarminus tom. 3. lib.5.de amiſ. gratiæ cap.2. & ſequentibus, Valentia tom.2. diſp. de peccatis q.12. Salmeron in epiſt.ad Rom.diſp.45.)aliquas Catholicorum ſententias referam, & refellam.

Trident. Bellarmin. Valencia. Salmeron.

9. *Prima opinio.*

Prima ſententia aſſerit peccatum originale eſſe ipſum formale peccatum Adami, nobis imputatum: vnde cùm illud nobis extrinſecum ſit, nobis nihil intrinſecum, quo formaliter maculemur, imponet. Ita Albertus Pigius in comitijs Ratisbonenſibus Controuerſia 1. Catherinus de peccato originali cap. 8. & alij, quos citat, & videtur ſequi Salmeron in epiſt.ad Rom.diſp.46.

Piguius. Catherinus Salmeron.

10. *Reijcitur.*

Verùm hanc ſententiam explodunt Becanus tom.2.ſummæ. tract. 2. cap.9. q.5. Vazquez 1.2. diſp.132.cap. 2. Suarius 1.2. tract. de peccatis, diſp. 9. ſect. 2. & alij communiter: & meritò, cùm videatur contra Concilium Tridentinum ſupra can.2.vbi definit peccatum originale eſſe transfuſum ab Adamo in poſteros, & vnicuique illorum ſuum proprium ineſſe, & inſuper innuit illud eſſe origine vnum, & propagatione multiplex, ſeu tot quot ſunt poſteri Adami, quæ omnia peccato phyſico,ſeu actuali Adami nullatenus aptantur,ſiquidem culpa actualis Adami, neque formaliter transfunditur, neque nobis intrinſecè ineſt, neque eſt propria vniuſcuiuſque; ſed omnibus communis, neque propagatione multiplex, cùm Adami culpa formalis vna,& eadem ſit.

Becanus. Vazquez. Suarez. Trident.

11. *Secunda opinio.*

Secunda ſententia aſſerit peccatum originale vniuſcuiuſque poſterorum, eſſe qualitatem aut relationem realem morbidam. Ita Gregor. in 2.diſt.30. q.1. art. 2. & alij, quos citat Vazquez ſuprà cap.4.

Gregorius. Vazquez.

12. *Refellitur.*

Hæc quoque opinio refutatur à Becano ſupra, Vazquez ſupra cap.4. Granados de Incarn. con. 2.tract.1.diſp.1.ſect.11. num.86. tum quia cùm peccatum originale maneat in animabus paruulorum,

Becanus. Vazquez. Granados.

lorum, qui sine baptismo decedunt, prædicta qualitas deberet esse spiritualis, & consequenter non dabitur causa creata, à qua procedat, vt consideranti omnia, quæ in generatione humana intercedunt, constabit; tum quia illa qualitas est realis: vnde cùm omnia entia realia à Deo solo, vel à Deo, & causis secundis immediatè dimanent (vt in Physicis tradidi) planè sequitur, si peccatum originale consistit formaliter in qualitate reali, Deum concurrere ad formalitatem peccati, & auctorem illius esse; quod absurdum est, & à viro catholico non admittetur.

§. I.

Alia sententia circa formalitatem, in qua consistit peccatum originale, refertur, & impugnatur.

13. *Tertia opinio.* TErtia sententia asserit peccatum originale consistere formaliter in priuatione sanctitatis debitę: pro hac sententia refertur Vazquez 1.2. disp. 132. cap. 4. fauet Becanus 1.2. tract. 2. cap. 9. q. 6. n. 6. Gaspar Hurtado 1.2. disp. 7. difficult. 4. sed an bene, infrà n. 73. videbimus.

Vazquez Becanus Hurtado.

14. *Refutatur.* Lugo. Granados. Salmeron.

Hanc sententiam refutant Lugo de pœnit. disp. 7. sect. 7. Granados suprà sect. 12. Salmeron in epist. ad Rom. disp. 45. §. *ob quas rationes*, & multi alij, quibus adsentiebar in materiâ de peccatis; quia priuatio physica formæ realis, nempe charitatis aut formæ sanctificantis, est à Deo: siquidem illa oritur vel ex substractione diuini concursus, quo eadem conseruabatur, vel ex decreto quo Deus sanctitatem in animabus posterorum non producere determinauit; sed Deus nequit concurrere ad formalitatem peccati, seu ad malitiam illius (vt supponunt contra Sectarios Catholici omnes, & bene probat Vazquez 1.2. disp. 129. Becanus 1.2. tract. 2. cap. 6. q. 1. & 2. ne eum causam & auctorem peccati contra Tridentinum sess. 6. can. 6. & Patres, & ipsam rationem admittere cogantur) ergo in priuatione sanctitatis habitualis peccatum originale non consistit. Confirmatur, nam priuatio gratiæ habitualis, vel formæ sanctificantis, est pœna peccati Adami, vt ex omnium sententia supponit noster Salmeron in Epistol. ad Rom. disp. 46. §. *Septimò concupiscentiam*. Et patet, nam primus parens ob suum peccatum formalissimè perdidit nobis sanctitatem promissam, vt ait Concilium Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, can. 2. & meruit pœnam mortis corporalis, & priuationis sanctitatis, quæ est vita animæ, comminatam illis verbis Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Vnde Deus in pœnam prædicti peccati Adami iustissimè priuat eius posteros sanctitate animæ, sicut priuat

Vazquez. Becanus. Trident. Salmeron.

Trident.

Genes.

uat immortalitate vitæ animalis, vt fatetur Vazquez 1.p. disp. 95. cap. 6. sed malitia formalis peccati, seu illud in quo culpa formaliter consistit, nequit esse pœna alterius peccati, vt admittunt Vazquez 1.2. disp. 129. cap. 9. Becanus supra cap. 8. q. 4. alioquin cùm Deus punire velit, etiam ille malitiam vellet, quod meritò, vt absurdum, Catholici communiter admittere nolunt; ergo peccatum originale in præfatâ priuatione constitui non debet.

Vazquez. Becanus.

15. *Variæ solutiones referuntur.* Huic argumento varias adhibent solutiones patroni præfatæ sententiæ. Alij enim respondent in priuatione sanctitatis esse duas formalitates, aliam culpę, & alteram pœnæ, & superaddunt priuationem sanctitatis posteriori modo esse à Deo, & priori ab Adamo, sicut S. Tho. 1.2. q. 164. art. ad 5. tradidit, mortem corporalem vt pœnam ex Deo oriri, at vt defectum incidentem ex culpâ, esse ab Adamo. Alij duas alias formalitates in prædicta priuatione præscindunt; aliam, quòd sit priuatio physica formæ realis, & aliam, quòd eadem sit voluntaria Adamo: & aiunt, malitiam peccati originalis, non in priuatione sanctitatis, vt physica, sed vt voluntaria Adamo, constituendam esse. Denique alij aiunt peccatum originale non consistere in priuatione physicâ sanctitatis vt sic, sed debitæ inesse subiecto: vnde licèt præfata priuatio priori modo sumpta dimanet à Deo; at vt malitia est, nullatenus ab eo proficiscitur.

S. Thom.

16. *Præfatæ solutiones impugnantur.* Hæ omnes solutiones, licèt verbis differant, re tamen ipsa conueniunt, & eadem responsio est. Sanè illæ omnes pandunt portam, per quam qualitas morbida in scholas introducatur, quam eidem præfati Doctores excluſam esse volunt. Enimuerò, qui qualitatem morbidam defendunt, absurdum contrà illam illatum de concursu Dei ad formalitatem peccati, facilè prædictis solutionibus euitare poterunt: siquidem in promptu est in illa qualitate præfatas formalitates distinguere, & asserere qualitatem morbidam, vt est ens reale, vel pœnam prouenire à Deo; at vt morbida, vel voluntaria Adamo, ab eo solo dimanare.

17. *In peccato originali multa reperiuntur.* Præterea, vt prædictas omnes solutiones conuellamus, aduerto, in peccato originali plura tam intrinseca nobis, quàm nobis extrinseca, interuenire (omitto concursum moralem posterorum in culpam Adami, quia de hoc infra agemus:) Extrinseca nobis sunt, pactum initum cum Adamo, ipsum peccatum Adami eidem liberum & voluntarium, & (si placet) adde, quòd nos ex Adamo per seminationem naturalem propagemur. Intrinseca nobis sunt, priuatio sanctitatis inhærens animæ, & negatio retractationis peccati Adami à nobis actualiter vel virtualiter prouenientis. Enimuero peccatum origi-

originale, quo intrinsecè maculamur, non est solum pactum initum cum Adamo, neque solum culpa voluntaria & libera illius, neque generatio naturalis & physica ex Adamo, vt fatentur Doctores, cum quibus disputamus: & meritò, cùm hæc omnia sint nobis extrinseca, & peccatum originale, teste Tridentino suprà, in aliquâ formalitate nobis intrinsecâ consistat. Insuper priuatio sola sanctitatis, imò etiam vt coniuncta cum negatione retractationis peccati Adami, non est tota malitia peccati originalis; tum quia hæc posset esse in subiecto quin illud maculet, vt contingeret in purâ naturâ; tum quia qui post baptismum grauiter peccarent, inciderent in peccatum originale, siquidem sanctitate essent denudati.

Trident

18. *Argumentum formatur.*

Quo posito inquiro, an peccatum originale consistat in solâ priuatione sanctitatis nobis intrinsecè inhærente, seu in ea, vt includit aliquid extrinsecum nobis, quale est, quod fuerit Adamo voluntaria, vel quod priuet nos sanctitate promissâ, seu debitâ, vel quod descendat ex peccato Adami, & non sit à Deo immissa vt pœna, vel aliquid aliud simile: prius est falsum, vt diximus numero præcedenti, & bene euincunt Salmeron in epist. ad Rom. disp. 45. citatâ, Lugo, & Granados suprà: posterius est etiam falsum; nam si priuatio sanctitatis non sola, sed vt coniuncta cum aliquo nobis extrinseco, nempe voluntario Adami v.g. est malitia totalis peccati originalis, sequeretur, non totum peccatum originale, sed partem solam illius malitiæ esse nobis intrinsecam, quod Tridentino suprà sess. 5. cap. de peccato originali, can. 2. definienti peccatum originale, nempe totale, transfundi ex Adamo & nobis ineſſe, aduersatur. Sequela probatur, nam iuxta præfatam responsionem, sicut homo componitur ex corpore & anima, & album ex subiecto & albedine; ita peccatum originale ex duabus partibus componitur & integratur: alia est priuatio sanctitatis nobis intrinseca, & alia est aliquid extrinsecum præcedens, scilicet voluntarietas Adami, vel quòd sanctitas quâ priuamur, fuerit promissa & debita; vel quòd illa priuatio gratiæ oriatur ab Adami peccato, & non sit pœna; vel aliud simile; cùm autem illud extrinsecum qualecunque sit, nobis intrinsecè non inhæreat, manifestè sequitur, non totam malitiam peccati originalis, sed partem illius, nobis intrinsecam esse.

Salmeron. Lugo. Granados.

Trident.

19. *Effugium.*

Respondebis illud extrinsecum non esse partem malitiæ formalis peccati originalis, sed connotatum, aut conditionem ad hoc vt prædicta priuatio sanctitatis, macula sit: vnde sicut Pater v.g. necessariò cõnotat filium, & tamen ille intrinsecè pater est; nempè, quia filius non com-

componit intrinsecè paternitatem, sed terminus illius connotatus est; ita licèt ad hoc vt priuatio sanctitatis, peccatum originale sit, requiratur aliquid extrinsecum, nihilominus illud extrinsecum compositionem intrinsecam peccati non intrat; sed solùm eo, vt connotato, vel conditione opus est.

20. *Præcluditur.*

Hæc solutio mihi displicet: nam quotiescumque aliqua entitas siue positiua, siue negatiua potest existere â parte rei sine eo, quod aliam connotet, aut nouum prædicatum consurgat, tam connotatio superueniens, quàm illud nouum prædicatum ex connotatione consurgens, ab illa entitate distinguitur â parte rei, cùm inter præfatam entitatem, & prædictam connotationem seu formalitatem, inde pullulantem, detur separatio saltem non mutua, & aliundè separatio etiam non mutua distinctionis realis argumentum sit: Ob hoc fundamentum docuimus cum communi sententiâ in nostra Philosophia, relationes, actiones, & plures alios modos distingui â parte rei â rebus, quarum sunt modi. v.g. quia entitas substantialis Petri potest existere, quin connotet filium, & quin procedat ab hoc numero progenitore: asseruimus, relationem paternitatis, quâ connotat filium, & actionem, quâ dependet ex hoc progenitore, distingui a parte rei ab ipso Petro. Cæterùm priuatio physica sanctitatis potest esse â parte rei sine eo quòd connotet voluntatem Adami, vel oriatur â peccato Adami: vel quòd gratia sanctificans, quâ priuat, sit nobis debita, aut promissa, vt liquet: ergo quòd præfata priuatio connotet culpam, aut voluntarium Adami, vel quòd forma sanctificans sit debita nobis, seu promissa, & consequenter prædicatum maculæ indè superueniens, est aliquid a parte rei distinctum ab ipsa priuatione, siue id sit aggregatum compositum ex priuatione sanctitatis nobis intrinsecâ, & peccato Adami nobis extrinseco, siue aliquid aliud nouum inde resultans. Declaratur, quia entitas Petri secundùm se potest esse sine eo quòd sit pater, omnes dicimus paternitatem, seu connotationem filij vel esse aggregatum patris, & filij, vel formalitatem ex vtriusque existentiâ dimanantem: ita quia priuatio iustitiæ sanctificantis potest esse sine eo quòd sit peccatum, macula ex ea, & extrinseco resultans vel erit ipsum aggregatum compositum ex intrinseco & extrinseco, vel aliqua tertia formalitas indè conturgens. Neque satisfacies respondendo resultare ex præfato aggregato, quòd priuatio sanctitatis sit macula in recto, sicut ex coexistentiâ filij fit, quòd Petrus sit intrinsecè pater. Hoc, inquam, non euacuat difficultatem, nam (vt in simili benè arguit

Alia evasio explodatur.

guit Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 7. sect. 4. n. 31.) non est maior ratio cur macula peccati originalis consistat in extrinseco, nempe peccato Adami vt connotante priuationem iustitiæ nobis intrinsecam, quàm in priuatione præfatâ vt connotante peccatum extrinsecum Adami, cùm vtrumque ad malitiam originalem essentialiter requiratur; & aliunde in peccato Adami plura reperiantur, quæ illud esse in recto, & principaliter nostrum peccatum originale suadent, quàm in priuatione physicâ sanctitatis; siquidem formalitas illius peccati est voluntaria libera contra legem, & nullo modo à Deo proueniens, quæ in præfatâ priuatione ita propriè non reperiuntur. Vndè Catherino, & Alberto Piguio ad suam opinionem viam satis amplam aperiremus. Confirmatur, vel macula & malitia peccati originalis, quæ in recto conuenit priuationi sanctitatis, est idemtificata à parte rei cum prædictâ priuatione, vel ab eâ distinguitur; si hoc dicis, præter prædictam priuationem, aliquam aliam formalitatem distinctam à parte rei, & nobis intrinsecam, in quâ malitia formalis consistat, superaddere debes, quod intendimus; si verò illud respondeas, nempè formalitatem malitiæ esse identificatam à parte rei cum priuatione sanctitatis, est falsum; nam cum inter vtramque sit possibilis separatio saltem non mutua, eâs formalitates à parte rei inter se distingui oportet.

Lugo.

Catherinus Piguius.

Nova Confirmatio.

21. *Aliud argumentum confictur.*

Denique impugnatur prædicta sententia; peccatum habituale non consistit in priuatione formæ sanctificantis ortâ ex peccato personali non retractato, vt docuimus in materiâ de peccatis, & solidè probatum inuenies in tomo de pœnit. Cardinalis de Lugo disp. 7. sect. 2. & 3. ergò neque peccatum orginale consistét in priuatione sanctitatis ortâ ex peccato Adami. Consequentia probatur, nam rationes omnes, quæ suadent priuationem sanctitatis debitæ ortam ex Adamo esse peccatum, fortiùs persuadent priuationem eiusdem sanctitatis ortam ex peccato personali esse quoquè formalitèr maculam & malitiam; siquidèm hæc est priuatio sanctitatis quam debemus habere, & oritur ex peccato sicut illa; & insuper peccatum personale, ex quo dimanat, est nobis magis liberum, & voluntarium, quàm fuit nobis liberum & voluntarium peccatum Adami.

Lugo.

22. *Argumentum ab absurdo.*

Præterà si peccatum originale consisteret in sola priuatione sanctitatis debitæ, & voluntaria Adamo, sequeretur futurum quoque peccatum originale, si Deus decreuisset nobis iustitiam originalem denegare dependenter ab aliquo opere indifferenti Adami, & nullatenus præcepto: consequens est falsum, vt benè Vaz-

Vazquez, 1.2. disp. 214. cap. 10. n. 78. & infrà n. 24. ostendemus: ergò & antecedens. Sequela probatur, nam licet tunc Adamus, omittendo præfatum opus indifferens, vtpote nullatenus præceptum, non peccaret, nihilominus priuati sanctitate debita, seu promissa nascerentur, siquidem in dicto casu non habuissemus iustitiam, quam Deus nobis conferre statuisset, si prædictum opus indifferens à primo parente efficeretur. Vnde illa carentia iustitiæ originalis fuisset in nobis priuatio sanctitatis debitæ, seu conditionaliter promissæ, & voluntaria Adamo; & consequenter peccatum originale.

Vazquez.

Augustin.

Augustin. Aug. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 12. & 15. Bernardus lib. de Præcepto & dispens. cap. 14. & alii Patres, vt dogma de peccato originali explicent & confirment, inobedientiam Adami exaggerare solent, quod superfluum esset, si ad transmissionem peccati originalis delictum graue in primo parente essentialiter non requireretur. Tum quia licèt fuisset aliqua imperfectio homines ad finem supernaturalem elevatos carere sanctitate promissâ, attamen istud non sufficit, vt ea priuiatio fuisset peccatum, nempe quia illa ex nulla culpa actuali, seu violatione legis, ortũ duxisset. Declaratur: Deus de facto non solum ad sanctitatem & gloriam, sed etiam ad intensissimam sanctitatem nos omnes eleuauit, eamque cupit vt consequamur, & ideo iustis efficientibus, vt oportet, opera bona & consilii augmentum sanctitatis & gloriæ promisit. Quare iustus omittens aliquod opus bonum consilii nullatenus præceptum, manet priuatus augmento gratiæ debito, seu conditionaliter promisso, vt liquet. in quo casu priuatio prædicti gradus intensioris sanctitatis, nullo modo culpa est; nempe quia ea ex nulla præcepti transgressione dimanat, sed ex omissione operis omnino liberi, & nullatenus præcepti: ita quia in casu præfatæ hypothesis

23. *Responsio Hurtado.*

Nostèr Hurtado Complutensis 1. 2. Tract. de peccatis, disp. 6. dif. 8. respondet in casu dictæ hypothesis præfatam priuationem futuram fuisse in posteris Adami peccatum graue originale, quia fuisset indecentia & deordinatio homines, ad finem supernaturalem eleuatos, amicitiâ Dei, seu sanctitate debitâ aut promissâ carere.

24. *Refutatio solutionis.*

Verùm hæc Doctrina meritò multis non arridet, tum quia in casu dicto habuissemus peccatum, sine eo quòd actione aliqua propria, aut aliena peccauissemus, vt liquet: quod licet admittat Hurtado, absurdum est: nam cùm peccatum sit dictum vel factum contra legem, vt ex Augustino Theologi desumunt, impossibile est dari peccatum

priuatio iustitiæ originalis posterorum, non ex violatione alicuius præcepti, sed ex omissione liberâ, & nullatenus peccaminosâ originè traxisset; idcirco illâ nõ futurâ peccatũ originale fateri oportet.

Quare alij respondent argumento relato suprà n. 22. priuationem sanctitatis debitæ in casu præfatæ hypothesis non futuram peccatum, vel quia Adamus illam condignè non meruisset; vel quia illa non fuisset in pœnam à Deo immissa: siquidem nulla præuaricatio aut peccatũ in primis parentibus præcessisset, quod prædictâ priuationẽ demeruisset, seu ratione cuius Deus posteros Adami priuatione sanctitatis punire potuisset. 25. *Alia euasio.*

Contra hoc est, nam prædictæ duæ formalitates sunt nobis prorsus extrinsecæ, quapropter neutra illarum malitiam peccati originalis, vtpote nobis intrinsecè inhærentem, componere valu sset. Declaratur discursus, & pariter confirmatur. Primo, Adamum promeruisse cond gnè priuationem sanctitatis posterorum, nihil aliud est, quàm ipsa operatio physica Adami transgressiua pacti, & demeritoria: quæ quidem actio physica, etiam vt peccaminosa & demeritoria, nobis extrinseca est: vnde illa nostrum peccatum originale intrinsecè componere non potest, vt suprà n. 18. arguebamus. Præterea alia formalitas, nempe quòd priuatio sanctitatis sit immissa à Deo in pœnam peccati, nequit intrinsecè constituere culpam originalem, tum quia prædicta formalitas est nobis valde extrinseca, vt liquet, cùm sit voluntas diuina volens ob hunc vel illum finem posteros Adami sanctitate priuare, cùm dicta formalitas nihil aliud sit, quàm quòd Deus, præuiso peccato Adami, decreuerit in odium illius nos omnes sanctitate spoliare. quare cùm formalissimè sit à Deo, quòd ipse velit ob hunc finem, & non ob alium, aliquid efficere, planè sequeretur Deum ad malitiam formalem peccati originalis concurrisse, siquidem consisteret in eo, quòd Deus priuationem sanctitatis in pœnam peccati immittat, & aliunde hoc, suppositâ culpa Adami, ex Deo solo proueniret. 26. *Dilutio.*

Insuper prædicta opinio relata suprà n. 13. impugnatur: nam Deus non solùm statuit nobis conferre sanctitatem, si Adamus conditionem appositam adimpleret, sed etiam dependenter ab eadem conditione decreuit nobis Fidem, Spem, Charitatem, immortalitatem corporis, subiectionem appetitûs ad rationem, & plurima alia dona & virtutes impertiri, vt ex communi sententia retigimus suprà n. 4. quarè non solùm sanctitate debita, sed etiam præfatis donis eodem modo debitis, seu conditionaliter promissis, priuati in ventre materno concipimur. Quo posito, in- 27. *Alia impugnatio contrariæ opinionis.*

inquiro an priuatio prædictorum donorum sit quoquè peccatum originale, vel non? Prius est absurdum, tum quia cùm præfatæ priuationes numero & specie distinguantur, iam peccatum originale numero & specie multiplex esset, quod communi sententiæ aduersatur, vt videbimus infrà disp. 4. n. 82. tum quia nullum peccatum mortale, præcipuè iustorum, vnicum numero & speciè esse posset, siquidem quodlibet sanctitatis & plurium habituum virtutum infusarum priuationes introducit. quod clariùs elucet in hæresi formali, quæ præter sanctitatem animæ habitum quoque fidei & spei ex subiecto expellit, tum quia formalis malitia peccati voluntati aut ipsi animæ intrinsecè inhæret, vt constat ex doctrina Sanct Thomæ 1. 2. q. 83. art. 2. quod neque priuationi habitus fidei, neque priuationi immortalitalis, neque priuationi subiectionis appetitus ad rationem bene aptatur, vt liquet. Si verò respondeas posterius, nempe priuationem aliorem donorum à sanctitate distinctorum non esse formaliter culpam originalem, cum opinione, quàm impugnamus, non subsistit. Nam patroni præfatæ sententiæ, ideo asserunt priuationem sanctitatis debitæ esse formaliter peccatum, quia est magna inordinatio, vt homo creatus ad amicitiam Dei, eam ob delictum primorum parentum non habeat; sed etiam est magnus defectus & indecentia, hominem, cui præfata dona promissa fuerant, eis ob præuaricationem parentis carere, vt patet: ergo si priuatio sanctitatis debitæ est formaliter peccatum, etiam priuatio aliorum donorum eodem modo debitorum peccatum erit. S. Thom.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Huic argumento respondent aliqui Recentiores, cùm peccatum mortale sit mors animæ, illud in priuatione vitæ animæ formaliter consistere debere, vnde non carentia immortalitatis, fidei, aut alterius virtutis, & doni, sed solius sanctitatis formaliter peccatum est, quippe non alia dona supernaturalia, sed sola sanctitas vita animæ esse censetur. Contra hoc est: nam de essentia peccati mortalis non est, quòd formaliter sit mors animæ seu carentia sanctitatis, sed solùm quòd illam inducat, aut præsupponat, vt explicabimus infrà n. 73. & ideo peccatum personale, siue actuale siue habituale, non est formaliter priuatio sanctitatis, aut vitæ animæ, vt satis neruosè conuincit noster Cardinalis Lugo relatus suprà n. 21. ita licet carentia habitus fidei & spei debitæ, orta in nobis ex delicto Adami non sit formaliter mors animæ, attamen quia illam introducit, aut meretur, peccatum graue esse poterit. 28. *Solutio refertur, & explodituv.* Lugo.

Quod vt magis stabilatur, demus hypothesim, quam possibi- 29. *Alia confirmatio.*

lem esse nemo negabit, nempe Deum efficaciter & independenter ab Adamo decreuisse omnibus eius posteris conferre habitum fidei & spei, immortalitatem corporis, & subiectionem appetitus ad rationem, & pariter solùm nobis sanctitatem conditionaliter promisisse, nempe si primus parens pactum cum eo initum obseruasset. Equidem si Adamus in prædicto casu pactum violasset, eius posteri Fide, Spe, immortalitate; & subiectione appetitûs ad rationem ornati, & tantùm sanctitate destituti orirentur. Cæterùm rogo, an in casu dictæ hypothesis culpa originalis fuisset eiusdem numeri, grauitatis, & speciei, ac modò est, vel grauior, seu diuersa numero & specie? Si hoc posterius dicas, clarè concluditur peccatum originale non consistere in sola priuatione sanctitatis debitæ; siquidem præfata priuatio in vtroque casu fuisset omninò eadem, ac proinde illa in vno casu grauius, aut distinctum numero & specie delictum, quàm in alio, esse nequiuisset. Si verò respondeas prius, videtur falsum. Nam tunc non ita miseri, & in anima monstrosi fuissemus, ac modò nascimur, vt liquet. Vnde sicut sola cæcitas non est idem malum naturale, sed longè minus, ac est ipsa cæcitas, vt coniuncta cum aliis defectibus naturalibus: & homo solùm cæcus non est in naturalibus ita monstrosus, ac homo cæcus, & pariter surdus, mutus, & claudus: ita in rebus supernaturalibus, & ad animam pertinentibus longè maior deordinatio & monstrum morale est, homo immortalitate, subiectione appetitus ad rationem, fide, spe, sanctitate, & aliis omnibus donis supernaturalibus denudatus, quàm idem prefatis perfectionibus ornatus, & solùm sanctitate animæ destitutus. quare illud longè maiorem defectum moralem & peccatum, quàm hoc esse, fateri necesse est. Idem discursus aliâ hypothesi possibili magis confirmatur: finge Deum absolutè & independenter ab vlla operatione Adami decreuisse efficaciter omnibus hominibus sanctitatem & gloriam in perpetuum denegare, & solùm eisdem immortalitatem corporis, subiectionem appetitus ad rationem fidem diuinam & plures alios habitus supernaturales conditionaliter promisisse, nempe si primus parens à ligno prohibito abstinuisset. Sanè, Adamo fructum vetitum comedente, licèt aliis donis debitis priuati nasceremur, attamen sanctitate debitâ orbati non fuissemus, sed prorsus indebitâ, siquidem illa non fuisset promissa, & aliunde donum supernaturale, qualis est sanctitas, non promissũ nullatenus debeatur, vt tetigimus suprà n.4. Cæterum in prędicto casu aliquod peccatum originale absque dubio transfun-

deretur; tum quia fuisset magna inordinatio & monstrositas moralis & animæ, quòd homines eleuati ad immortalitatem, subiectionem appetitûs, fidem diuinam, & alias virtutes & dona supernaturalia, illis priuati ob delictum sui parentis orirentur. rum quia eo ipso quòd Deus prædictas perfectiones dependeret ab obedientia Adami nobis promisisset, saltem virtualiter voluisset, vt nos omnes illis ornati in lucem prodiremus. quare earum carentia fuisset contra diuinam voluntatem. cùm autem sit peccatum liberè & voluntariè contrauenire diuinæ voluntati, & aliunde nos in prædicto casu liberè & voluntariè in Adamo præfatæ voluntati contrauenissemus, ideo hinc culpam originalem contraxissemus. Quo posito, inquiro, an in prædicto casu essentia peccati originalis constitisset in priuatione sanctitatis indebitæ, vel in priuatione aliarum perfectionum debitarum, vel in aliqua alia formalitate morali resultante ex præfata carentia donorum debitorum, cùm non appareat aliud, in quo prædicti Recentiores peccatum originale constituere possint iuxta suam doctrinam? Equidem culpa originalis non constitisset in priuatione sanctitatis, quia illa fuisset indebita. Vnde sicut de facto, quia vnio hypostatica est nobis prorsus indebita, delictum originale in priuatione illius non consistit; ita quia in casu præfato sanctitas non fuisset debita, vt supponimus, peccatum originale in eius carentia non constitisset. Insuper iuxta principia Doctorum, quos impugnamus, peccatum originale non fuisset constituendum in priuatione immortalitatis, fidei diuinę, & aliorum donorum supernaturalium à sanctitate distinctorum; tum quia præfata dona non sunt vita animæ, at iuxta prędictos Doctores delictum originale in morte animæ seu priuatione vitę animæ necessariò constitui debet. tum quia si in casu prefatæ hypothesis prefata priuatio fuisset peccatum originale, quia fuisset carentia donorum debitorum, planè sequeretur absurdum, quod suprà n.27. intulimus, & quod prædicti Recentiores deuorare nolunt: nempe de facto priuationem immortalitatis, fidei diuinæ, & aliorum habituum supernaturalium esse quoque peccatum originale, siquidem est carentia donorum debitorum.

30. Corollarium.

Sequitur ergo peccatum originale tam in prædicto casu, quàm de facto, non consistere in priuatione alicuius, vel aliquorum donorum supernaturalium, sed in moralitate relatiua ex prædictis priuationibus in singulis hominibus resultante, vt infra §.9. explicabimus. Sic enim designatur causa, cur non contraheremus culpam originalem, si Deus nobis iustitiam promisisset

dependenter ab operatione primorum parentum, cuius omissio peccaminosa non fuisset. Et cur peccatum originale est diuersum & grauius modò, ac fuisset, si non cætera dona, sed solùm sanctitatem Deus statuisset impertire dependenter ab abstinentia Adami? nempe quia fuisset diuersum fundamentum moralitatis pullulantis, in qua peccatum originale constitutum esse censemus. Quippe relatio penes diuersum fundamentum variatur, vt dominus in philosophia, vnde cùm ponatur diuersum fundamentum, quando prinatio sanctitatis debitæ oritur ex peccato Adami, ac si oriretur ex opere illius omnino libero seu indifferenti, & quando est priuatio sanctitatis & cæterorum donorum, ac fuisset, si solùm sanctitate orbati nasceremur, idcircò moralitas relatiua inde consurgens diuersa fuisset, & ita non mirum quòd ea in aliquibus casibus posteros Adami non maculasset, aut leuiùs maculasset, & in aliis de facto nos grauiter inquinet.

§. II.

Quarta Sententia Recentiorum proponitur.

31. *Notabile*

QVarta opinio notat Deum per initionem pacti cum Adamo, nostras voluntates eidem diuinitùs ita alligasse, vt si vicissent primus parens, nos vicisse, si verò superatus fuisset, nos quoque superati censeremur. Si enim Rex voluntatem pupilli in ordine ad contractus, in voluntate Tutoris ita constituit, vt quod hic facit, id à pupillo fieri dicatur. Et si votum à Senatoribus totam ciuitatem repręsentantibus factum, à ciuibus quoque emissum censeatur. Insuper si possumus nostras voluntates in procuratorem aut mandatarium ita transferre, vt matrimonium ab illo celebratum nomine nostro, à nobis etiam celebratum habeatur: ita Deus voluntates nostras in Adamo sic constituere potuit, vt quod ille fecisset, aut omisisset, nos quoque id fecisse, aut omisisse dicamur.

32. *Quarta opinio refertur.*

Quo posito multi asserunt singulos posteros influxisse moraliter in pręuaricationem Adami, qui influxus moralis singulorum vnumquemque posterorum denominat peccatorem, & facit eum in Adamo peccasse. Neque mirum, aiunt, quòd posteri, qui tempore Adami physicè non existebant, concurrerint ad eius peccatum: nam præfatus concursus non est physicus, sed moralis, seu per æquiualentiam, quâ quis se habet eodem modo, ac si aliquid physicè effecisset. Quare cùm nos eodem modo maculati, & Deo inimici nascamur, ac si physicè & realiter in culpam Adami inflauissemus; ideo nos ad prædictam transgressionem moraliter concurrisse censemur.

Ita

Lugo. Ægidius. Suares. Granados. Cornelius.

ita noster Cardinalis de Lugo Tomo de Pœnit. disp. 7. sect. 7. n. 98, & sequentibus, & de Incarnatione disp. 7. sect. 3. & 4. Ægidius de Sacram. dis. 2. de pœnit. dub. 18. n. 150. Suarius 12. tract. de peccatis disp. 9. sect. 2. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp. 1. sect. 8. Cornelius à Lapide ad illud ad Rom. 5. *in quo omnes peccauerunt*, & alij recentiores, qui omnes subiungunt præfatũ concursũ moraliter perseuerantẽ, habitualiter nobis inhærere, quãdo concipimur, & cõsequenter nos maculatos reddere. vnde ille vnicuique proprius inhærens, est peccatum originale, sicut peccatum habituale personale est actus peccaminosus præteritus moraliter perseuerans, quo in eo statu constituimur ac si reuerà tunc actualiter peccaremus. Ex quo inferunt, peccatum originale esse vnum origine, & multiplex propagatione; quia sunt tot concursus morales, quot fuerunt posteri, qui in culpam Adami moraliter influxerunt.

33. *Prædicta opinio doctrinam de peccato originali difficiliorem reddit.*

Mallem doctissimos recentiores in quærendis solidis fundamentis, quibus dogma de peccato originali contra Hæreticos stabiliretur, laborasse, quàm in his subtilitatibus ipso peccato originali difficilioribus creditu. Quis enim hæreticis persuadebit, paruulos hodie rationis expertes natos, ante quinque millia annorum moraliter extitisse liberos, & moraliter fructum Adamo vetitum cum eo comedisse, & moraliter ad præfatam Adami comestionem concurrisse. Sanè Patres, qui contra hæreticos hãc super re acerrimè disputarunt, illorum argumentis vsi, nunquam ad prædictum concursum moralem posterorum recurrerunt, quod illum esse fictitium non leue argumentum est (vt postea. 8. n. 160. latiùs deducemus) sed quidquid sit de hoc, plura difficilia in prædictâ opinione occurrunt, quæ in sequentibus paragraphis proponemus.

§. III.

Præfatus concursus moralis variis rationibus impugnatur.

34. *Refutatur concursus moralis posterorum.*

PRimò difficile est voluntates posterorum ita voluntati Adami fuisse diuinitus alligatas in ordine ad obseruationem præcepti, vt illo comedente, nos moraliter in dictam transgressionem influeremus peccaminosè. Quippe omnis influxus peccaminosus essentialiter liber, & voluntarius ipsi, à quo prouenit, esse debet, vt liquet; & omnes, etiam præfati Doctores, vno ore fatentur. Cùm autem voluntarium sit, quod prouenit à principio intrinseco cum cognitione, vt definiuit Aristoteles 3. Ethicorum Aristot. cap.

Nyssenus. Damascenus. S. Tho. Vas. Suar.

cap. 1. quem sequuntur Nyssenus, Damascenus, S. Thomas, & alij, quos citant, & quibus subscribunt Vasquez. 1.2. disp. 23. n. 9. Suar. 1.2, tract. 2. disp. 1. sect. 2. & alij omnes Theologi; euidenter infertur, præfatum concursum moralem, si peccaminosus fuit, fuisse quoque nobis voluntarium & liberum, & consequenter illud à nobis, tanquam à principio intrinseco cognoscente singula, emanasse. quod manifestam inuoluit implicationem, siquidem tunc, quando Adamus præceptum transiliuit, non eramus, & consequenter, neque cognoscere, neque aliquid efficere valuimus. Neque satisfacies respondendo, Deum diuinitus suppleuisse defectum nostræ voluntatis, sicut defectum aliarum causarum supplere solet, & ita sine concursu nostro effecisse, vt præfatus influxus nobis volũtarius & liber sit. Hoc, inquam, non obest, quia licèt defectum causarum secundarum Deus aliquando supplere possit, non tamen semper, sed solùm in his casibus, in quibus effectus à causâ secundâ essentialiter non dependent. & ideo communiter Doctores plura inueniunt à creaturis emanantia, quæ Deus sine concursu creaturarum efficere non valet, vt relationes, actus vitales, & similia, in quibus meritò voluntarium comprehenditur: nam cùm hoc à principio intrinseco oriri debeat, vt eo ipso quòd operatio à Deo solo fieret, non à me, vt principio intrinseco, sed extrinseco oriretur, idcirco Deus influxum intrinsecum causæ secundæ ad voluntarium requisitum, supplere non potest. Ad hæc, licèt Deus in alijs occasionibus concursus causarum secundarum requisitos ad voluntarium, supplere potuerit; at ad voluntarium peccaminosum non valeret, ne illi peccatum imputaretur; siquidem ipse solus, quod peccatum est, effecisset.

35. *Responsio.*

Huic argumento facilè putant prædicti recentiores satisfieri, dum dicunt, licèt ad voluntarium & concursum physicum peccaminosum præfata requirantur; attamen culpam moralem, & voluntarium etiam morale ad illam necessarium, illis strictis legibus non adstringi; quippe est voluntarium & concursus per æquiualentiam, ad quam solùm requiritur, quòd subiectum eodem modo se habeat iuxta communem existimationem in ordine ad præfatam denominationem seu effectum, ac reuerà se habuisset, si physicè, liberè, & voluntariè ad dictum effectum concurrisset: cùm autem in instanti nostræ conceptionis eo modo maculati & Deo inimici simus, ac fuissemus, si physicè & liberè fructum interdictum Adamo comedissemus; idcirco nos iuxta communem existimationem moraliter cum Adamo ad præ-

dictam præuaricationem concurrisse censemur.

36. *Reiicitur solutio.*

Hæc solutio totam Theologiam moralem susque deque euertere, & absurda innumera contrà modum communem loquendi, & sentiendi introducere, & insuper falsum supponere videtur. Primò falsum est nos eodem modo concipi maculatos, ac conciperemur, si physicè in peccatum Adami influxissemus; siquidem tunc pœnam damni & sensus, & modò solùm pœnam damni mereremur. Sed adhuc admisso, nos eodem modo concipi maculatos, ac conciperemur, si physicè ad peccatum Adami concurrissemus, aio hanc æquialentiam non sufficere ad hoc, vt præfatum concursum nostrum moralem in culpam Adami admittamus. Sanè Deus eodem modo se habuit tempore Noë, ac se habuisset, si physicè & propriè pœnituisset de hominis creatione: Genes. 6. dicitur *Pœnituit* Genes. Deũ *quòd hominẽ fecisset in terrâ, & tactus dolore cordis intrinsecus, Pœnitet me*, Alarcon. inquit, *fecisse* hominẽ, & tamen, vt benè arguit Alarcon 1. p. tract. 3. disput. 4. cap. 7. n. 11. nemo Deo aliquem concursum, vel actum moralem attribuit, qui sit vera & propria pœnitentia. insuper S. Petrus (& idem iudicium esto de cæteris Beatis) eodem modo se habet in cęlo in ordine ad beatudinem, ac si tentationem vicisset, & Christum non abnegasset; vnde illum moraliter concurrisse ad vincendam tentationem contra fidem dicemus. Præterea, si Confessarius reuelat tibi peccata alterius audita in confessione, teneris eodem modo ad sigillum, ac si confessionem audiuisses, vnde ad audiendam illam confessionem moraliter concurisse diceris. Denique, vt exemplo allato à Doctoribus præfatis vtar, si iuuenis hodie emittat professionem, vel assumatur ad Cardinalatũ cum priuilegio antiquitatis quinquaginta annorum, eodem modo se habet, ac si ante quinquaginta annos professus, vel Cardinalis factus fuisset; & tamen nemo dicet illum moraliter ante quinquaginta annos extitisse, aut moraliter concurrisse ad professionem illo tempore factam.

37. *Ratio a priori.*

Et ratio à priori est: nam aliud est, nos damnum, vel fructum alicuius rei, siue bonæ siue malæ siue indifferentis participare, & aliud illam rem physicè aut moraliter effecisse; siquidem potest contingere, vt fructus, v. g. militiæ, litterarum, & alterius industriæ habeas, & tamen neque moraliter militasse, aut litteras didicisse dicaris: nam ad fructum illum, vel damnum sentiendum, sufficit illud te habere, siue ab hac vel illa causa oriatur: attamen ad virtutem v. g. vel vitium moraliter habendum, requiritur, quòd illi vitio aut virtuti definitio

tio illi propria conueniat, seu quòd ille concursus essentiam talis virtutis, aut vitij participet, vt liquet; siquidem cui essentia aut definitio virtutis v. g. non aptatur, neque moraliter virtus est. Sicut nullo modo neque moraliter Angelus, aut homo est, qui essentiam hominis, aut Angeli non habet. Cæterùm de essentia voluntarij & liberi est quòd proximè vel saltem remotè, proueniat physicè à principio intrinseco cognoscente singula, vt constat ex definitione supra n. 34. tradita. vnde cùm præfatus concursus moralis neque proximè, neq; remotè physicè proueniat à posteris; idcircò ille concursus moralis nullatenus eis voluntarius aut liber est. Neque obstat si dicas de essentia voluntarij aut liberi non esse, vt proueniat physicè à principio intrinseco, sed sufficit, quòd moraliter, seu per æquiualentiam ab eo deriuetur: nã (præterquam quòd hoc effugium est supra n. 36. præclusum) iuxtà hãc solutionem euertitur moralis Theologia, & quidquid de virtutibus & vitijs Aristoteles, S. Thomas, & alij Principes philosophiæ moralis tradiderunt: illi enim ad essentiam periurij, vt peierans physicè iurauerit; ad violationem voti, quòd physicè voueris; ad infidelitatem in promissis, quòd physicè promiseris; ad inconstantiam, quòd aliquid proposueris; ad mendacium, quòd contra mentem ieris; ad meritum, vel demeritum proprium, seu reprehensibilitatem, vel laudabilitatem, quòd aliquid physicè omiseris, vel feceris, prærequirunt. Quæ omnia euertuntur, si ad actum formaliter bonum vel malum, seu liberum, & meritorium supplicij aut præmij, aliquis concursus, saltem remotus, non requiritur, sed sufficeret aliquis moralis, seu æquiualens. siquidem sufficiset, quòd Adamus habens voluntates posterorum sibi quoad omnia alligatas, postquam feciset votũ, iuramentum, promissionem, illa violaret, ad hoc, vt nos, absque eo quod aliquem actum physicum effeciemus, periuri, fædifragi, infideles, inconstantes, & vituperabiles essemus. Insuper, si Adamus habuisset nostras voluntates sibi quoad omnes eius actiones alligatas, & sic Cainum v.g. genera sset, cæteri posteri verè & propriè Caini patres nominarentur, & essent; siquidem sicut alligatio nostrarum voluntatum in ordine ad obseruationem præcepti sufficit, vt in culpã Adami moraliter influamus, & ita verè & propriè peccauerimus; ita suffeciset quòd Adamus nomine nostro genera sset Cainum, vt moraliter ad dictam generationem concurriss emus, & consequenter, quando conciperemur, Patres Caini verè & propriè denominaremur, & essemus, quòd ridiculum est.

Præterea omnes concursus nos-

38. *Aliter impugnatur concursus moralis.*

ster liber, etiã moralis, essentialiter præsupponit concursũ seu omissionẽ physicam nostrã, in quibus, saltem remotè, concursus moralis liber fundetur, ex illisque oriatur: sed nullus concursus aut omissio physica posterorum, culpam Adami anteceSsit, vt liquet: ergo in posteris nullus concursus, etiam moralis, in culpam Adami est. Maior, in quâ solùm est difficultas, probatur, quia de essentia liberi, vt liberi, est, quòd oriatur à nostra voluntate se ipsam determinante; vnde quod ab alio fit, seu quod ab alia voluntate se determinãte dimanat, non nobis, sed alijs liberum est; quare cùm posterorum voluntates se non determinauerint ad præfatum concursum in culpam Adami, idcircò præfatus concursus nobis liber non est. Neque obstat si repetas, ad liberum physicum, præfatam conditionem requiri; non verò ad liberum morale seu per æquiualentiam, vt contingit in exemplis tutoris, voti ciuitãtis, & procuratoris, relatis suprà n. 31. Hoc, inquam, non obest, tum quia æquiualentia essentias rerum non mutat, vt arguebamus suprà n. 36. & 37. vnde cùm de essentia liberi sit, vt physicè à nobis dimanet, & aliunde culpa Adami physicè à nobis non oriatur; idcircò nullus concursus noster moralis liber, neque æquiualenter admitti debet. Tum quia exempla allata de tutore, procuratore, & ciuitate vouente, nostrę doctrinę nõ contradicunt. Nam licèt contractus, etiam matrimoniales, facti à procuratore, seu mandatario, validi sunt, in eosque mandans moraliter influat, id prouenit ex eo quòd mandans physicum actum liberum elicuit, quo suas vices transtulit in mandatarium: vnde cùm saltem remotè influxerit physicè in contractum, non mirũ quòd ipse moraliter concurriss e ad illum censeatur. quod in casu nostro non accidit, siquidem posteri nullum actũ physicũ elicuerunt influentem, etiam remotiss imè, in culpam Adami: quare mãdatoribus concurrentibus moraliter ad contractus celebratos à mandatario, seu procuratore, nos in culpam Adami moraliter non concurrimus. Exemplum quoque de tutore ad rem non est: nam facta à tutore, non ideo sunt valida, quia pupillus moraliter ad illa concurrit; sed quia Princeps per legis præfatam potestatem tutoribus in bonum pupilli concessit. Princeps enim supremus rerum dominia de subiecto in subiectum ex causâ transferre potest, vt accidit in præscribente legitimè vineam, vel domum v.g. alienam, vbi ad vitandas lites, & fauendum bonæ fidei possessoribus, antiquus vineę vel domus dominus, dominio vineę vel domus spoliatur, & trãsfertur in legitimũ possessorem: ita Princeps per suas le-

leges statuit, vt per legitimè gesta à tutore priuetur pupillus iure & dominio vineæ v. g. & transferatur in emptorem: in quo casu nullus concursus moralis pupilli reperitur: siquidem eo renitente, contractus iuxtà leges celebratus à tutore, validus est. Vnde exemplũ allatũ nobis fauet: sicut enim quando dominium vineæ v. g. perdidisti per prę scriptionem legitimam, eodem modo est, ac si eam donauisses aut vendidisses; & præscribens illam, eodem modo se habeat, ac si emisset illam, vel gratis accepisset; nihilominus nemo dicet præcessisse aliquem concursum moralem emptionis, vel venditionis, vel gratuitæ donationis; ita licet concipiamur eodem modo maculati, ac si peccauissemus in Adamo, concursus moralis noster in Adami culpam non præcessit. Denique exemplum allatum de ciuitate emittente votum. v. g. ieiunij infirmum est: quippe illud non obligat ciues illius ciuitatis, præcipuè futuros, vt votum; sed vt lex municipalis, seu statutum, vt bene Sanchez lib. 4. Summę cap. 15. n. 19. Vasquez 1. 2. disp. 177. n. 22. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 88. sect. 5. & alij communiter. quapropter ciues futuri ad illud votum moraliter non concurrerunt. Alioquin si vouissent, & ratione voti à se moraliter facti ad ieiunium obligarentur, & consequenter ratione bullæ cruciatæ, vel similium priuilegiorum possemus votum illud ieiunij singulorum ciuium, sicut alia vota, commutare: quod absurdum esse communiter asserunt Doctores.

Sanchez. Vasquez. Suarez.

§ 4.

39. *Notabile.*

Iterum ratione agitur contra concursum nostrum moralem in delictum Adami.

SI posteros peccasse in Adamo, est eos in culpam Adami moraliter influxisse; ergo quando peccauit Adamus, posterorum concursus moralis in prædictam culpam extitit; siquidem si culpa Adami iam omninò perpetrata, prædictus noster concursus superuenisset, ad illius culpæ productionem nullatenus concurrisset, & consequenter nos illam culpam moraliter effecisse nullatenus diceremur. Confirmatur, de præterito est verissimum dicere, saltem de hominibus existentibus & præteritis, omnes in Adamo peccauimus, seu, vt volunt præfati Doctores, omnes influximus moraliter in transgressionem Adami. Cùm autem propositio de præterito, ad hoc vt sit vera, debeat in aliquo instanti temporis præteriti de præsenti verificari, vt Logici clamant; idcirco, si hæc est vera propositio, *S. Petrus. v. g. peccauit in Adamo*, etiam hanc *S. Petrus nunc peccat in Adamo*, in aliquo tempore verificari oportet. Inquiro ergo, an prædicta propositio de præsenti fuerit vera in instanti temporis, quo Adamus deliquit, vel non, sed in temporibus subsequentibus v. g. quandò S. Petrus primò conceptus est in vtero materno: si hoc posterius respondeas, videtur manifestè falsum: nam tempore S. Petri Adamus fructum vetitum non comedit, neque tunc temporis præceptum in paradiso existens violauit, sed sanctus & iustus in sinu Abrahæ commorabatur. quare tunc de præsenti non potuit dici verè: *S. Petrus nunc peccat in Adamo.* Si verò respondeas, præfatam propositionem de præterito, verificari de præsenti, quando Adamus præuaricatus est; sequitur tunc temporis extitisse actualiter concursum nostrum moralem, quo influximus in culpam Adami: quippe forma actualiter denominans, & conficiens propositionem veram de præsenti existentem à parte rei, existere quoque debet. cùm autem tempore quo Adamus deliquit, fuerit vera hæc propositio de presenti, *Nunc homines futuri ex Adamo peccant*, seu (vt volunt aduersarij) *Nunc homines furturi moraliter concurrunt ad præuaricationem Adami*; clarè deducitur illum nostrum concursum moralem actualiter in rerum natura extitisse, & ab hominibus tunc futuris moraliter dimanasse, eosque peccatores in Adamo, seu influentes in culpam Adami, denominasse.

40. *Argumentum formatur.*

Ex quo argumentum sic conficio: Si, quando peccauit Adamus, fuit aliquis concursus moralis hominum futurorum ex Adamo, & peccaminosus, quo in eius culpã moraliter influximus, & quo peccatores denominamur; sequitur homines futuros ex Adamo, adhuc dum in statu futuritionis latent, fuisse formaliter maculatos, & dignos indignatione diuinà; & consequenter à Deo odio habitos. Consequens autem esse absurdum, nemo sanæ mentis infitias ibit; cùm non solum Theologi communiter, vt ait Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 10. sect. 1. n. 19. sed etiam Anselmus, Augustinus, & alij Patres citandi infrà à. n. 64. asserant non aliter animas posterorum maculari, quàm per vnionem actualem illarum ad proprium corpus. Sequela probatur: nam cùm subiectum maculari, & esse Deo odibile, necessariò sequatur ex concursu libero, & grauiter peccaminoso, ad violationem præcepti, & aliunde posteri, etiam dum erant in statu futuritionis, liberè & peccaminosè fregerint moraliter præceptũ diuinũ, illis in Adamo impositũ, seu moraliter influxerint in præuaricationẽ Adami, idcirco eos, dũ adhuc erant futuri, per dictũ concursum moralẽ Deo

Lugo. Anſel. Auguſt.

41. *Solutio refertur, & exploditur.*

inimicos, maculatos, & dignos odio formaliter constitutos fuisse, fateri necesse erit.

Neque satisfacies respondendo, præfatum concursum moralem non infeciisse tunc posteros futuros, neque eis inhæsisse, quia non existebant actu extra causas, & forma ad hoc, vt inhæreat, & actualiter subiecto suum effectum formalem attribuat, illud actu extitisse requirit. Hoc, inquam, vim argumenti non imminuit: nam non minùs influxus moralis in culpam Adami pendet à causa efficienti, quàm à causa materiali (vt benè arguit Lugo suprà à numero 20.) sed influxus præfatus ab hominibus tunc futuris efficienter emanauit; ergò etiam illos etiam in statu futuritionis perseuerantes, informare, & denominare, & suum effectum formalem tribuere poterit: Et ratio est, nam cùm hæ denominationes sint morales, & aliunde denominationes morales, non legibus strictis denominationum physicarum, sed multò latioribus teneantur; idcircò præfatus concursus, sicut à causa futura efficienter processit, ita eandem denominare valet. Quod in alijs denominationibus moralibus seu extrinsecis multoties euenire, omnes admittunt. Antichristus enim, licèt hodie non existat, sed tantùm futurus sit, nihilominus, quia cognitio diuina Antichristi, ex quâ denominatio cogniti consurgit, actualiter existit, Antichristus, etiam dum est futurus, actualiter cognitus denominatur; ita si influxus moralis, quo Antichristus v. g. in præuaricationem Adami influxit, actualiter existit, eum etiam futurum præfatus concursus peccaminosus, peccatorem & Deo inimicum actualiter denominaret, & redderet. Confirmatur: non obstante futuritione Antichristi, est verum actu dicere de eo, quod peccauerit in Adamo, seu quod ad culpam illius moraliter concurrerit, ergo etiam erit verum dicere modò, quòd sit inimicus Deo, & dignus odio diuino: quippe sicut præfatus concursus moralis, nõ obstante carentiâ actualis existentiæ Antichristi, illum priori modo denominat; ita, non obstante carentiâ eiusdem existentiæ, posteriorem denominationem eidem tribuet.

42. *Alia responsio refertur.*

Huic argumento dupliciter Assertores contrariæ opinionis satisfacere studeant. Primò Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 12. à. n. 22. admittit cum omnibus Catholicis illam propositionem verissimam de præterito, *Omnes peccauimus in Adamo*; negat tamen esse aliquod tempus aut instans, in quo sit verũ de præsenti, *Omnes peccamus in Adami.* Neq; mirum ait Cardinalis, nam hæc denominatio non est physica, sed per æquiualentiam quandam; & Lugo.

& denominationes per æquiualentiam, multoties de præterito denominant, quin de præsenti denominarint, vt contingit in iuuene v. g. hodie profitente cum priuilegio antiquitatis quadraginta annorum, qui, licèt per æquiualentiam ante quadraginta annos professus denominetur, tamen nullum tempus præcedens assignatur, in quo verum sit de præsenti dicere: *Nunc præfatus iuuenis profitetur.* Subiungit prædictus Auctor numero 22. illam propositionem, *Omnes peccauimus in Adamo*, quoad sonum litteræ, esse de præterito; at quoad significationem, & sensum rigorosum, esse de futuro, & æquialere huic propositioni, *Omnes in Adamo peccabunt*, seu omnes, quando eorum animæ vnientur propriis corporibus, contrahent maculam originalem, & se habebunt eodem modo ac si tempore, quo comedit Adamus fructum vetitum, physicè & liberè illum comediissent: vnde argumentum nostrum numero 40. confectum, euanescit; siquidem antequam à parte rei existamus, non datur iuxta præfatam solutionem, tempus aliquod, in quo præfatus concursus moralis in culpam Adami, de præsenti extiterit.

43. *Præfata responsionis impugnatio.*

Enimuero in hac solutione ferè tot difficultates insuperabiles, ac propositiones inuoluntur. Primò valdè durum est fateri, illam Pauli propositionem, *Omnes in Adam peccauerunt*, quoad sonum litteræ esse de præterito, & quoad realitatem & sensum, esse solùm de futuro; siquidem præfata interpretatio vim infert textui, vt præfatus concursus moralis posterorum in culpam Adami, à nonnullis recentioribus excogitatus, stabiliatur. Accedunt Patres, & communis sensus Interpretum præfata verba de præterito intelligentium. Sanctus Augustinus lib. 3. de peccat. meritis cap. 7. *In Adamo omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes illi vnus fuerunt.* Eandem sententiam repetit epistola 55. & alibi. Sanct. Anselmus libro 10. de Concept. Virginis cap. 7. *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit.* Basilius hom. 1. de laudibus ieiunij: *Quia non ieiunauimus, exulamus.* Bernardus in sermone in cæna Domini: *In casu primi hominis cecidimus omnes; cecidimus autem super aceruum lapidum, & in lutum,* Idem à Patribus inculcatum sæpe inuenies: quapropter si peccasse in Adamo est, nos concurrisse moraliter in culpam Adami, cùm de præterito (iuxtà communum sensum Patrum, & Augustin. Anselm. Basilius. Bernardus.

& interpretum) peccauerimus in Adamo, etiam nos de præterito in eius culpam moraliter influxisse, fateri debet (vt dicebamus suprà, n. 39.)

44. *Alia impugnatio.* Præterea inauditum est, dari propositionem aliquam veram de præterito, & eam de præsenti nunquam verificari. Sicut enim propositio de futuro, vt sit vera, eadem de inesse aliquando vera esse debet; ita vt propositio de præterito vera sit, eandem de inesse in aliquo tempore præcedenti verificari oportet. Neque ab hac regula excipiuntur propositiones de præterito quoad æquialentiam dictæ; nam præfatæ propositiones æquiualentes affirmant prædicatum conuenisse subiecto; vnde, vt veræ sint, prædictum prædicatum in aliquo tempore actualiter illi conuenire debet; alioquin, si nunquam influxus v. g. actualis in peccatum Adami nobis conuenit, falsum esset asserere, nos ad culpam Adami moraliter concurrisse, seu, quod idem est, fuisse aliquod tẽpus, in quo influximus actu in culpam Adami. Declaratur & confirmatur; vt propositio de præsenti sit vera, opus est vt in hoc tempore prædicatum subiecto actualiter aptetur, vt per se patet, & ideo, vt hæc propositio (quæ etiam est per æquialentiam, vt volunt Doctores, quos impugnamus) *Petrus in hoc instanti suæ conceptionis est inimicus Deo*, vera sit, inimicitia Dei actu tunc conuenire debet; alioquin præfata propositio falsa esset; ergo vt hæc propositio de præterito etiam per æquiualentiam, *Petrus* v.g. *influxit in culpam Adami*, vera sit, tempus assignari debet: in quo prædicatum de præsenti, seu influxus actualis in prædictum delictum Adami, Petro actualiter cõuenerit. Consequentia probatur: nam Petrus v. g. influxit in culpam Adami, resoluitur in hanc propositionem, tempus præcessit, in quo influxus actualis Petri in culpam Adami, Petro conuenit: sicut sensus illius propositionis, Petrus cucurrit est, tempus præcessit, in quo cursus actualis Petro conuenit: sed dicere de Petro, quòd fuit tempus, in quo influxus moralis actualis ei conueniat, esset falsum, si tempus præteritum non daretur, in quo præfatum prædicatum actualiter illi conueniret, ergo, si nullum præcessit tempus, in quo actualis influxus in culpam Adami nobis conueniat, falsum erit dicere de præterito, nos influxisse in præfatum delictum. Secundò confirmatur: antequam peccaret Adamus, fuit verum dicere de futuro: *Adamus nomine posterorum peccaturus est*, seu, *eius posteri sunt concursuri moraliter ad eius peccatum*, cùm hoc euenerit, & aliunde propositiones singulares de futuro, quæ tandem aliquando de præsenti verificabuntur, veræ sint, à Deoque ab æterno clarè & intuitiuè cognoscantur, vt bene probant Vasquez 1. p. disp. 67. Suarius opusculo de scientia absoluta futurorum cap. 2. & sequuntur omnes Doctores nostræ Societatis; inquiro ergo, vel tempus post creationem Adami datur, in quo sit verum dicere de præsenti: nunc posteri Adami concurrunt moraliter ad culpam Adami, vel non datur: si prius dixeris, conueniemus, siquidem iam fateberis concursum moralem in culpam Adami; tunc, quando deliquit Adamus, extitisse, & posteros tunc futuros denominasse; vnde argumentum formatum suprà n. 40. vim habebit: si verò posterius asseueras, nempe non fore tempus, in quo de præsenti verificetur, quòd concurrimus ad peccatum Adæ (præterquam quod est inauditum in scholis, & implicatorium, esse veram propositionem aliquam de futuro, licèt eadem de inesse semper sit falsa, vt dicebamus) sequeretur veritatem illam propositionis futuræ, transiuisse ad præteritum quin transeat per tempus præsens, quod est monstrum philosophicum; siquidem intelligi nequit futurum fieri præteritum, quin aliquando sit præsens. Sequela probatur: nam quando primò creatus fuit Adamus, verum dixisset, qui pronunciasset: *Posteri Adami peccabunt in Adamo*, seu, *ad eius culpam moraliter concurrent*: etiam hodie est verum dicere de præterito: *Posteri Adami in culpam primi parentis moraliter influxerunt*, & aliunde non præcessit tempus intermedium, in quo fuisset verũ dicere: *Nunc posteri Adami influunt in eius culpam*; ergo illa veritas de futuro, *posteri sunt influxuri in culpam Adami*, transiuit immediatè in hanc propositionem de præterito, *Posteri influxerunt in Adami culpam*: quod (vt dixi) inauditum & impossibile est. Neque fauet Cardinali de Lugo paritas allata n. 42. de iuuene profitente hodie v. g cum priuilegio antiquitatis; sed potiùs nostram doctrinam confirmat: nam sicut verum est dicere de præterito: *Hic iuuenis factus fuit antiquior cæteris* ita verum est dicere de præsenti: nunc fit antiquior cæteris per profeffionem; vnde sicut dicimus: *Posteri influxerunt in Adamo*, etiam erit assignandum tempus, in quo de præsenti dicatur: *nunc influimus in culpam Adami.*

Vasquez. Suarez. Lugo.

45. *Solutioni occurritur.* Dices, inter illam propositionem de futuro, *Posteri moraliter concurrent ad culpam Adami*, & illam de præterito, *Posteri concurrerunt ad præfatam culpam*, intercedere illam de præsenti, *Nunc Adamus peccat nomine posterorum*, quod sufficit ad hoc, vt præfatæ propositiones de præterito & futuro, immediatè sibi non succedãt. Contra hoc est: nam vel illa propositio de præsenti, *Adamus nunc peccat nomine posterorum*, æquipollet

let huic, *Posteri moraliter nunc peccant*, seu, *concurrunt moraliter ad præfatam culpam actualem & physicam Adami*, vel non; sed solùm dicit, Adamum physicè deliquisse. Si priùs respondeas, iam fateberis concursum moralem & actualem posterorum; & ita fuit verum dicere de præsenti aliquando: *nunc posteri Adami moraliter influunt in delictum Adami*, quo argumentum formatum suprà n. 40. vim haber. Si verò posterius asseras, iam illæ propositiones de præterito & futuro immediatè sibi succedent; siquidem inter illam positionem de futuro, *posteri Adami influunt*, seu, *erunt influentes moraliter in culpam Adami*; & illam de præterito, *posteri influxerunt*, vel *fuerunt moraliter influentes in dictam culpam*, non mediat, *sunt influentes*. Quòd autem intercedat illa, *Adamus influxit*, parum refert, cum ibi sit aliud prædicatum de diuerso subiecto affirmatum.

46. *Confirmatio.* Confirmatur magis discursus, & impugnatur prædicta solutio: ideo prædicti Doctores asserunt, nos moraliter seu per æquiualentiam influxisse de præterito in culpam Adami, quia quando concipimur, nos habemur eodem modo iuxta communem existimationem hominum, ac si physicè & realiter concurrissemus liberè in culpam Adami; sed etiam nos sumus quando concipimur, eodem modo maculati, ac si tempore, quo deliquit Adamus, nobis tunc futuris physicus & actualis influxus de præsenti in culpam Adami conueniisset, siquidem non aliter maculati tunc, quàm modò sumus, nascemur, ergo sicut ob dictam causam & æquiualentiam consurgit in nobis existentibus concursus habitualis moralis in culpam Adami, ob eandem similiter resultauit in nobis tunc futuris ex culpa Adami, concursus actualis moralis in eandem culpam, quà futuri denominarentur de præsenti, & dicerentur, *nunc futuri peccant*, seu, *influunt moraliter in præuaricationem Adami.*

47. *Alia solutio adducitur.* Secundò solutio adhibita nostro argumento principali proposito suprà n. 40. admittit concursum moralem posterorum in culpam Adami de præsenti coextitisse moraliter, quando deliquit Adamus, & homines tunc futuros affecisse, & de præsenti denominasse, nempe, *Nunc peccant posteri in Adamo*; nihilominus superaddunt præfatum concursum moralem posterorum, eos, dum futuri manent, non maculasse, neque Deo inimicos actualiter reddidisse; hos enim effectus præstat præfatus concursus, quando iam extra causas actualiter existimus. Neque mirum esse, aiunt, quòd culpa grauis afficiat subiectum, & odibile Deo non reddat: nam Deus diuinitus potest efficere, quòd culpa actualis subiectum non inficiat, & dignum pœnâ reddat, donec ponatur aliqua conditio; vt contingeret casu quo Deus vellet primum periurium v. g. non fore peierantem maculaturum, quousque secundò peieraret: in quo casu primum periurium hominem non inquinaret, quamdiu secundum non superueniret: vnde cùm Deus, iuxta communem sensum Patrum & Theologorum, statuerit, ne præfatus concursus moralis posteros, à quibus moraliter dimanauit, maculet, quamdiu animæ eorum corporibus actualiter non vniuntur; idcircò præfatus concursus ante impletionem præfatæ conditionis, homines futuros macularos, & Deo inimicos non constituet. Ita aliqui recentiores, quibus patrocinari videtur Coninchius de pœnit. Coninchius Lugo. disp. 2. dub. 18. & Lugo suprà à n. 16.

48. *Depulsio solutionis adductæ.* Hæc quoque solutio valde difficilis est: nam licèt Deus possit decernere, se culpam aliquam non puniturum, nisi noua aliqua conditio apponatur; at quòd talis culpa subiectum dignum pœnâ, & odio Dei, & maculatum non reddat, efficere non valet; cùm id sit effectus formalis culpæ grauis, & aliunde effectus formalis, quando forma afficit subiectum, impediri non possit, vt bene Vasquez 1. 2. disput. 206. cap 2. & Lugo suprà n. 11. rectè argumentantur. Præterea licèt id diuinitus euenire non repugnet, tamen de facto id non decreuisse certum est, cùm iuxta legem ordinariam omnis concursus grauiter peccaminosus, vbi primum existit, & afficit subiectum, illud Deo odibile, inimicum, & maculatum reddat, vt Tridentinum sess. 6. cap. 15. & can. 27. Patres, & Scriptura passim supponunt. Vnde si concursus moralis in culpam Adami, est culpa actualis posterorum Adami, illos de facto inquinatos, & dignos odio diuino formaliter constituet. Vasquez. Lugo.

49. *Effugium præcluditur.* Respondebis Patres, & Theologos communiter asserere, peccati originalis maculam non aliter contrahi, quàm per vnionem animæ ad corpus; quod arguit, Deum noluisse, vt præfatus concursus posterorum in culpam Adami, eos ante eorum conceptionem macularet. Contra hoc est: nam licèt verum sit maculam non contrahi, neque iram Dei incurri, quàdiu anima nostra non creatur, & corpori non vnitur (vt Patres, & Theologi docent) hoc tamen non arguit

Deum noluisse, vt præfatus concursus moralis posteros non macularet, donec existeremus; sed potiùs suadet præfatum concursum moralem fictitium esse, & nullo modo admittendum. Nam Scriptura, & Patres vniuersaliter asserunt, quolibet peccato graui subiectum denominatum infici, & dignum odio diuino reddi: vnde cùm docent nos peccato Adami non inquinari, donec existamus, clarè innuunt non præcessisse aliquem concursum moralem nostrum in culpam Adami, qui esset peccatum graue.

§ 5.

Alia ratione efficaci præfatus concursus moralis in culpam Adami exploditur.

VT promissis stem, suppono, quod Cardinalis de Lugo tom. de Incarnat. dis. 7. sect. 3. n. 28. admittit, & nos latiùs probabimus infrà disp. 2. cap. 3. nempe inclusos in pacto inito cum Adamo fuisse omnes homines possibiles sub conditione, si ex Adamo per naturalem propagationem nascerentur: vnde cùm Ioannes Baptista, Isaacus & multi alij, quorum existentia ex Adamo post Christi mortem iã præuisam fuit determinata, ex Adamo per seminalem generationem fuerint propagati, illi quoque cum cæteris alijs in pacto fuerunt inclusi. solùm est discrimen quòd Ioannes Baptista, & illi, qui ob preces Sanctorum, seu merita Christi nati sunt, fuerunt decreti futuri post peccatum Adami iam consummatum, imò post mortem Christi iam præuisam: at alij in signo antecedenti transgressionem Adami, potuerunt decerni futuri ex Adamo. (An verò illi, quorum existentia non fuit per Christum statuta, fuerint decreti futuri ante præuaricationem Adami, infrà dis. 2. cap. 3 dicemus.) Solùm modò statuo, omnes possibiles ante præuaricationem Adami, fuisse indifferentes ad manendum in æternum in statu possibilitatis, vel transeundum in statum futuritionis, prout Deo placeret; cùm in illo signo Deus de hac re nihil determinauisset, sed ad vtrumque liber fuisset.

50. *Notabile.* Lugo.

Ex quo sequitur primò, Ioannem Baptistam (& idem dicito saltem de reliquis, qui ob mortem præuisam Christi habuerunt existentiam) ante præuaricationem Adami non fuisse absolutè inclusum in pacto, neque eius voluntatem absolutè constitutam in Adamo. Nam Joannes Baptista, quandò erat possibilis, non fuit absolutè inclusus in pacto, sed sub conditione expressâ, si nasceretur ex Adamo, seu si Deus illum oriturum ex Adamo determinasset: cùm autem Deus non

51. *Aliud notabile.*

non statuerit præfatam existentiam ante peccatum Adami, sed in signis posterioribus, nempe post visam mortem Christi; idcirco Baptista ante peccatum Adami neque fuit absolutè in pacto inclusus, neque eius voluntas Adamo absolutè alligata, sed solùm conditionatè. Confirmatur: nam in signo antecedenti culpam Adami, imò in signo immediatè illam subsecuto, Baptista non erat in statu futuritionis, sed possibilitatis, cùm Deus in illis signis illum futurum nondum efficaciter decreuisset: ergo Baptista in illis signis neque erat absolutè inclusus in pacto, neque eius voluntas erat absolutè in Adamo constituta. Consequentia probatur: nam Baptista in signis, in quibus tantùm erat possibilis, & nondum Deus eius futuritionem ex Adamo determinauerat, erat indifferens ad hoc, vt in pacto iam inito cum Adamo absolutè includeretur, & ad hoc vt ab illo absolutè excluderetur: ergo Baptista in præfatis signis absolutè in pacto inclusus non fuit; siquidem implicat aliquem absolutè pactum intrasse, & simul eodem non comprehendi. Vltimum antecedens probatur: nam Baptista in præfatis signis erat indifferens ad hoc vt nasceretur ex Adamo per naturalem propagationem, & ad hoc vt nasceretur ex eodem omnino miraculosè, seu ex Deo solo non concurrentibus causis secundis; vt liquet; siquidem tunc erat solùm possibilis, & aliunde Deus homines possibiles per se solùm, seu non concurrentibus causis secundis, & alijs varijs modis potest traducere ad existentiam: sed si Baptista decerneretur futurus ex Adamo per seminalem propagationem, absolutè inclusus in pacto maneret, si verò statueretur futurus non per seminalem propagationem, maneret omnino exclusus à pacto, illudque non intrasset: ergo in illis signis, in quibus Deus nondum determinauerat, an Baptista esset futurus ex Adamo per viam generationis, vel aliter; Baptista erat indifferens ad intrandum vel non intrandum pactum, & consequenter neque tunc in illo pacto fuit absolutè inclusus, neque eius voluntas fuit absolutè voluntati Adami alligata; sed solùm conditionaliter, casu, inquam, quo posteà Deus eius futuritionem esse ex Adamo determinaret.

52. *Illatio.*

Secundò infero: neque Ioannem Baptistam, neque cæteros alios, quorum existentia per mortem Christi iam absolutè præuisam fuit determinata, absolutè non concurrisse moraliter in culpam Adami. Sequela probatur: nam ad culpam Adami solùm poterant absolutè moraliter concurrere, qui erant absolutè in pacto inclusi, & quorum volun-

tates erant absolutè in Adamo iam constitutæ in signo quo Adamus peccauit, sed Ioannes Baptista v. g. in signo, quo deliquit Adamus, non erat absolutè incluſus in pacto, neque eius voluntas erat absolutè Adamo alligata; ergo Baptista absolutè non influxit moraliter in culpam Adami. Consequentia est legima, Minor probata manet suprà n. 51. Maior, præterquam quòd à patronis concursus moralis omnium posterorum in culpam Adami, admittitur, probatur: Nam influxus moralis præfatus fuit formalissimè, non conditionatè, sed absolutè liber posteris, & eisdem omnino voluntarius; siquidem iuxta aduersarios fuit formalissimè peccatum, & aliunde omnis concursus peccaminosus formalissime liber & voluntarius esse debeat; cùm autem de essentia liberi sit quòd oriatur saltem moraliter à causa non conditionatè, sed absolutè libera, & indifferenta ad operrndum, & non operandum (vt liquet) idcirco voluntates posterorum ante præuaricationem Adami, vt in eius culpam absolutè liberè & voluuttaiè moraliter influere valerent, debuerunt esse in eo absolutè constitutæ; alioquin si solùm ante præuaricationem Adamo conditionaliter solùm fuissent alligatæ voluntates posterorum, hi non absolutè liberè, sed solùm conditionaliter liberè, in culpam Adami concurrissent; siquidem tota libertas posterorum dependebat, & fundabatur in alligatione præfatâ. vnde vt libertas posterorum esset absoluta, alligationem quoque fuisse absolutam oportuit: ergo cùm ante transgressionem Adami, voluntates prædictorum posterorum non fuerint absolutè incluſę in pacto, sed solùm conditionaliter; neque fuerint absolutè, sed solùm conditionaliter Adamo alligatæ, ideo in eius culpam absolutè liberè non influxerunt moraliter, quæ est illa maior propositio nostri syllogismi principalis, quam probare promisimus.

53. *Confirmatio.*

Confirmatur prædictus syllogismus: Ioannes Baptista v. g. in signo quo peccauit Adamus, fuit eodem prorsus modo incluſus in pacto, & in voluntate Adami constitutus, ac fuerunt omnes homines, qui hodie in statu possibilitatis sepulti iacent, vt infrà disp. 2. cap. 3. probabo, & suprà n. 51. innui, cùm omnes fuerint incluſi in pacto, & eorum omnium voluntates fuerint alligatæ Adamo non absolutè, sed sub conditione, si ex Adamo nasciturі essent: sed illi, qui hodie in statu possibilitatis sepulti iacent, non influxerunt absolutè in culpam Adami; ergo neque Ioannes Baptista absolutè ad præfatam culpam concurrit. Maiorem probatam inuenies disp. citatâ. Minor est euidens, tum quia si homines, qui modò possibiles manent, influxissent moraliter in culpam Adami, in eo deliquissent, & peccatores nuncuparentur, & essent; quod est ridiculũ, tum quia si illi post peccatũ Adami decreti fuissent futuri non ex Adamo, sed aliunde, adhuc peccasse in Adamo & incurrisse culpam originalem dicerentur, quod à vera Theologia, & communi sensu Patrum, & fidelium abhorret, & est contra apertam definitionem Tridentini sess. 6. cap. 3. Sequela est euidens: nam quod semel supponitur factum, vt non fiat, impossibile est; cùm autem præfati homines possibiles, antequam eorum existentia ex Deo solo futura statueretur, iam concurrissent moraliter ad culpam Adami, & consequenter in eo peccassent; etiam si postea decernerentur futuri ex Deo solo, quòd iam peccassent in Adamo tolli nõ posset. Quapropter consequentia nostri syllogismi solùm persuaderi debet, & probatur: nam quoties idem prorsus fundamentum adest, ex quo non solùm denominatio physica, sed etiam moralis necessariò consurgit, præfatam denominationem physicam vel moralem emanare opus est, vt liquet, & constat inductione tam denominationum physicarum, quàm moralium, nempe liberi, voluntarij, & cæteratum, vbi petito fundamento totali ad eas denominationes, easdem statim pullulare fatemur: sed fundamentum totale ad hoc vt in Ioanne Baptista oriretur influxus moralis in culpam Adami, quo in eo peccasse denominatur, fuit prorsus idem, ac reperiebatur in cæteris hominibus possibilibus, siquidem illud solùm fuit incluſio Ioannis conditionata in pacto Adami, seu alligatio conditionata illius ad voluntatem Adami, & hoc totum omnibus possibilibus conueniebat: ergo si præfatum fundamentum non sufficit ad hoc vt omnes possibiles absolutè influerent moraliter in culpam Adami, etiã idem fundamentum sufficiens non fuit, vt Baptista absolutè moraliter concurreret in dictam præuaricationem.

54. *Euasioni occurritur.*

Neque obstat, si dicas, Baptistam fuisse tandem determinatum futurum, quod alijs possibilibus non euenit. Hoc, inquam, non eneruat argumenti vires, nam decretum de futuritione Baptistæ superuenit post præuaricationem iam consummatam, seu postquam omnes qui peccauerunt in Adamo, in eius delictum moraliter influxisse censentur, siquidem illud ortum duxit ex meritis Christi iam præuisi, & hic post transgressionem Adami fuit prædestinatus: vnde neque aduentus illius decreti efficere valuit, vt, si Ioannes moraliter nõ concurrerat ad culpã Adami, ad eã postea cõcurreret, neque

E caren-

carentia similis decreti in reliquis possibilibus facere potuit, vt si possibiles influxerant in culpam Adami, in eam non influerent, cùm decretum de futuritione possibilium post patratam culpam Adami, seu post influxum moralem includorum in pacto in transgressionem Adami, superuenerit.

55. *Argumentum conficitur.*

Ex hactenus dictis argumentum sic conficio: si peccasse in Adamo consistit in aliquo influxu morali posterorum in culpã Adami, maximè in concursu morali in culpã Adami, qui fuerit liber, & absolutus, siquidem peccatum posterorum illis absolutè liberum fuit: sed neque Ioannes Baptista, neque alij posteri, quorum existentia ex meritis Christi, & post delictum Adami iam consummatum, fuit determinata, moraliter influxerunt absolutè in culpam Adami (vt probaui n. 52. & 53.) ergo Ioannem Baptistam & præfatos posteros peccasse in Adamo, non consistit in præfato influxu, aut si in eo consistit, sequeretur illos non deliquisse in Adamo, siquidem absolutè in eius culpam non influxerunt liberè. Neque obstat si dicas, præfatos influxisse in prædictam culpam conditionaliter; nam influxus in peccatum, qui non est, sed esset, si talis vel talis conditio apponeretur (qualis est concursus conditionatus) non est absolutè peccatum, neque subiectum vllo modo pœnâ dignum constituit, vt Augustinus lib. de Bono perseuerantiæ cap. 9. & 10. & lib. 1. de Prædestin. Sanct. cap. 14. Prosper in epist. ad Augustinus & ex ipsis Vasquez 1. p. disput. 67. cap. 4. impugnantes merita conditionata supponunt: vnde cùm præfati posteri absolutè non influxerint liberè in peccatum Adami, sed ad summum præfatus influxus fuerit conditionatus, hic illis non oberit. Confirmatur: nam (vt dixi suprà numero 53.) omnes homines possibiles influxerunt in culpam Adami eodem modo ac Baptista; sed illorum concursus, quia fuit conditionatus, illos non maculat; ergo neque conditionatus influxus Baptistæ, illum infecit. Neque obstat secundò si dicas, concursum conditionatum Baptistæ per eius existentiam factum esse absolutum; quia (vt dixi etiam suprà numero 54.) quando aduenit futuritio absolutæ existentiæ Baptistæ, iam peccatum Adami fuerat consummatum, & veluti transierat; ergo, si concursus Baptistæ in culpam Adami fuerat conditionatus, illum absolutum reddere non valuit, vt loco citato argumentabamur.

Augustin. Prosper. Vasquez.

56. *Responsionis depulsio.*

Huic argumento respondet Cardinalis de Lugo de Incarn. disputat. 7. sect. 4. n. 42. Baptistam v. g. ante peccatum Adami præ-

Lugo.

cessisse liberum, & postea concurrisse absolutè in culpam Adami, non quia liberè & absolutè concurrerit, sed quia, quando conceptus fuit in vtero materno, se habuit eodem modo maculatus, ac si liberè & absolutè concurrisset in culpam Adami; quod sufficit ad libertatem & peccatum per æquiualentiam. Sed præterquam quòd præfata doctrina satis impugnata manet suprà à numero 36. eam aliter explodo. Nam ex eo quòd hodie v. g. sumus eodem modo dispositi in ordine ad aliquem effectum, ac fuissemus, si heri aliquid effecissemus, non consurgit in nobis influxus aliquis moralis in illum, præcipuè si repugnabat, quòd illæ physicè vel moraliter heri à nobis efficeretur: & ita licèt Angelus v. g. eodem modo sit duraturus in æternum, ac si ab æterno fuisset creatus, nemo tamen dicit ad hanc æquiualentiam resultare aliquam denominationem moralem in Deo, quâ Deus denominetur voluisse Angelum creare ab æterno; vel in Angelis, quâ illi aliquo modo æterni apertè ante denominentur; nempe quia, supposito quòd Deus noluit illos creare ab æterno, implicat vt æterni fuerint; ita quia suppositâ ordinatione diuina, quâ noluit Baptistam decernere futurum ante præuaricationem Adami, sed post illam iam consummatam, implicabat quòd Baptista v. g. influeret liberè & absolutè in peccatum Adami (vt probaui suprà n. 52.) idcirco licèt eodem modo se habuerit, quando conceptus est, ac se habuisset, si peccasset physicè in Adamo, nihilominus quia, quãdo peccauit Adamus, implicabat quòd Baptista esset liber absolutè ante dictam transgressionem, seu quòd absolutè influeret moraliter in illam, idcirco præfata æquiualentia non sufficiet ad hoc vt asseramus in illo resultasse denominationem, aut concursum moralem, quo peccasse in Adamo denominetur.

§. VI.

Idem alio medio roboratur.

57. *Notabile.*

SVppono quod infrà disput. 6. & disput. 7. latè ostendam, nempe neque Adamum infecisse naturam horâ v. g. tertiâ, quando comedit, neque tunc nos in eo peccasse; sed horâ v. g. nonâ, quando se excusauit, aut à Deo impœnitens repertus, sententiam condemnatoriam audiuit.

58. *Aliud notabile.*

Secundò suppono, Adamum varias culpas in paradiso commisisse (vt monstrabo infrà disp. 4. cap. 1. n. 2.) quarum modò duas numerabo: alia fuit comestio ex fructu vetito, alia excusatio peccati, seu impœnitentia, quâ ante prolationem sententiæ diuinæ, perfectè de

peccato pœnitere noluit.

59. *Illatio contra concursum moralē.* Ex quo sequitur, neque nostras voluntates fuisse voluntati Adami alligatas, neque nos in eius culpam moraliter influxisse: nam si moraliter concurrimus ad culpam Adami, inquiro, an influxerimus in comestionem solam, vel in impœnitentiam solam Adami, vel in vtramque. Hoc vltimum est falsum, tum quia (vt ostendam infrà disput. 4. cap. 5.) culpa Adami, in qua peccauimus, vnica numero & specie fuit; & aliunde excusatio seu impœnitentia, & comestio, duplex aut triplex peccatum est; tum quia iam ante impœnitentiam natura fuisset corrupta; siquidem iam concurrissemus ad comestionem Adami, & sic in illa peccauissemus, quod falsum esse infra disput. 7. cap. 2. à numero 6. probabo. Si verò respondeas, nos influxuisse moraliter in solam comestionē Adami, sequeretur nos tunc peccasse, & consequenter naturā humanam ab eo tempore infectam fuisse; siquidem influximus moraliter ad prædictam culpam, & aliunde influxus moralis peccatum nostrum sit. Consequens autem est falsum, nam (vt ostendemus infrà disp. 7. cap. 2. & sequentibus) toto illo spatio temporis, quod inter comestionem, & prolationem diuinæ sententiæ condemnatoriæ intercessit, neque natura fuit corrupta, neque Adami peccatum seu comestio fuit nobis in culpam imputata. Denique si dicas cum aliquibus recentioribus Cōplutensibus, nos peccasse in sola excusatione, seu in impœnitentiā prædicta Adami; est manifestè falsum (vt ostendam infrà disput. 4. à numero 44.)

§ 7.

Præfatus concursus moralis posterorum in culpam Adami, Scripturæ, & Tridentino contradicere videtur.

60. CVm recentiores omnes, qui admittunt præfatū influxū moralem in delictum Adami, in eodem habitualiter existente in posteris Adami, peccatum originale consistere volunt, idcirco testimonia, quæ suadent culpā originalem in præfato concursu morali non esse firam, eum è medio tollunt. Quapropter, ne iterum opus sit contra prædictam opinionē disputare, testimonia, quibus probatur peccatum originale non consistere in præfato concursu, adducere placuit.

61. *Concursus moralis posterorum in culpam Adami ex Paulo refellitur.* Primum sit Pauli ad Rom. 5. vbi teste Salmerone ibi dis. 42. Apostolus Christum Adamo similem esse vult in eo, quòd, *Sicut per inobedientiam vnius hominis* peccatoris *peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obeditionem, iusti constituti sunt multi.* Sanè si in Paul.

peccato Adami fuissent inuoluti concursus morales posterorum, quibus illi formaliter maculārentur (vt volunt præfati Doctores) paritas inter Christi obedientiam, & Adami inobedientiam, non esset; siquidem obedientia Christi non formaliter (vt volunt Lutherus, & alij Sectarij) sed efficienter aut meritoriè nos iustificat, nempe merendo, & conferendo auxilia, & tandem sanctitatem, quā formaliter iustificemur; & inobedientia Adami non efficienter seu meritoriè, sed formaliter nos infeciſſet. Confirmatur: nam Lutherani (vt notat Salmeron suprà) ex eo, quòd Adamus nos formaliter inquinat (vt ipsi arbitrantur) inferunt etiam per Christi solam obedientiam, ablatis habitibus supernaturalibus, nos formaliter sanctificari, & amicos Dei reddi: alioquin, aiunt, neque paritas inter Christi obedientiam, & Adami inobedientiam, intenta ab Apostolo, esset; neque obedientia Christi validior ad nostram sanctitatem, quàm Adami inobedientia ad corruptionem naturæ, esset, vt voluit Paulus suprà versu 15. Siquidem forma peccati validior est ad præbendum suum effectum formalem subiecto, quàm causa sola efficiens & meritoria ad malum illud depellendum à subiecto. Quod argumentum Hæreticorum vim habet contra Doctores admittentes concursum moralem posterorum in culpam Adami, quo formaliter inquinemur; siquidem sicut illi excogitarunt concursum moralem præfatum in culpam Adami, quo maculemur formaliter, etiam Hæretici fingent concursum moralem nostrum in obedientiā Christi, quo formaliter iustificemur. Attamen si asseramus, non dari præfatum influxum posterorum in delictum Adami; sed Adamum efficienter, vel meritoriè nos infecisse (vt infrà cap. 3. declarabimus) & paritas Christi, & Adami benè cohæret, & merita Christi meritis Adami validiora manent, vt disputatio. 6. cap. 5. latè explicabo, & inde argumentum Hæreticorum euanescet.

62. *Idem concursus moralis ex Tridentino refutatur.* Secundò probatur ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali can. 3. vbi ait, culpam originalem origine esse vnam, & propagatione multiplicem: hoc enim significant illa verba. *Hoc Adæ peccatum, quod origine est vnum, & propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inest vnicuique proprium.* Quod anteà asseruerat Paulus ad Rom. 5. sæpè attribuens nostram mortem spiritualem vni Adami peccato. Enimuero si omnes posteri Adami in eius culpam moraliter influximus, & uniuscuiusque influxus moralis culpa fuit, tot præcessisse Trident. Paulus.

peccata in delicto Adami, quot posteros habuit, necesse est: vnde peccatum originale origine non esset vnum, & ab vno (vt Concilium, & Paulus asseuerant) sed multiplex, & à multis, scilicet Adamo, & posteris.

63. *Responsioni occurritur.*

His argumentis respondent aliqui, Paulum, & Concilium locutum de origine physica, ex quâ peccata originalia moraliter descendunt; & ideo asseruisse peccatum physicum fuisse vnum, & ab vno; at originalia esse multa, & à multis, non physicè, sed moraliter perpetrata. Hoc, inquam, non obest; quia neque Paulo, neque Concilio bene aptatur. Primò Apostolus non solùm ait, delictum, seu inobedientiam Adami, ex quo peccata originalia deriuantur, esse vnum, & ab vno; sed etiam in prædicto cap. 5. ad Rom. sæpè innuit delictum ex quo peccata originalia descendunt, fuisse vnum, & ab vno, sicut nostræ iustitiæ causa est vna obedientia, & ab vno. sed meritum, seu obedientia physica fuit causa totalis meritoria nostræ iustificationis, sine eo quòd ibi intercedant concursus morales nostri ad obedientiam Christi; ergo etiam peccatum solum physicum Adami, sine interuentu nostrorum influxuum moralium in eius culpam, fuit causa nostræ infectionis (vt arguebam suprà numero 61.) Præterea præfata solutio Concilio non conuenit: nam illud vult declarare originem peccatorum originalium, quæ secundùm aduersarios consistunt in concursu morali, & sunt peccata moralia; vnde, si origo physica illorum fuit vna, & origo moralis multiplex; non debuisset absolutè asserere, quòd *origine est vnum*, sed quòd *origine physicâ est vnum*; siquidem nomen illud, *origo*, est indifferens ad significandum originem physicam & moralem: & ita absolutè affirmando, *origine esse vnum*, denotasset peccata originalia tam origine physica, quàm morali esse vnum, & ab vno. Sanè idem Concilium sess. 6. cap. 7. volens declarare causam meritoriam, & causam formalem nostræ iustificationis, asseruit causam meritoriam esse Christum Dominum, & causam formalem esse vnicam nobis inhærentem; & ideo hoc testimonio moti Theologi, sola Christi merita physica sine interuentu concursuum moralium nostrorum ad illius mortem & passionem, aiunt esse causam meritoriam nostræ iustificationis; & formam nobis inhærentem nostræ iustificationis subiungunt esse qualitatem solam realem, & excludunt concursum similem moralem: ergo quando Concilium loquens de origine peccati originalis, tradidit esse origine vnum, locutum fuit de origine physica, excludendo originem moralem: alioquin sic-

Trident.

sicut non obstantibus illis verbis, *origine vnum*, recentiores subintelligunt *origine physica*, vt concursum moralem posterorum in culpam Adami introducant; ita quilibet, non obstante doctrinâ Concilij traditâ cap. 7. sessionis 6. posset dicere Concilium egisse de causa meritoria, & formali physicâ; & ideo ibi subintelligi posse, præter illas intercedere alias causas meritorias, & formales nostræ iustificationis, nempe concursus morales posterorum, quibus moraliter influxerimus in merita Christi. Quod adhuc solidiùs apparebit, si aduertas Tridentinum sess. 6. cap. 3. perspicuè tradidisse, peccatum originale traduci per Adamum, sicut iustificatio nostra descendit per Christum, quæ fuit mens Pauli ad Rom. 5. Vnde sicut iustificatio nostra ex Christi obedientia sola meritoriè promanat; ita nostrum peccatum ex Adamo, sine interuentu nostri concursus moralis deriuatur (vt arguebam suprà n. 63.)

Trident.

Paulus.

§. 8.

Patres præfatum concursum moralem posterorum in culpam Adami non admittunt.

64. *Patres negare videntur concursum moralem posterorum in culpam Adami,*

TRes propositiones in Patribus inuenio, quæ præfatum concursum moralem fictitium esse suadent. Prima propositio est eorum Patrum, qui expressè asserunt, peccatum nostrum originale non oriri ex concursu aliquo nostro; sed ex eo quòd ex Adamo peccatore propagamur. Ita S. Anselmus lib. 10. de Concept. B. Virginis cap. 7. vbi ait: *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit; non quia tunc peccauimus ipsi, sed quia de illo futuri eramus.* Quibus verbis clarè Anselmus denotat, nos peccasse in Adamo, non esse nos concurrisse ad opus illius; sed nasci ex illo. Idem tradidit cap. 22. eiusdem libri: *Quod in illis* (verba refero) *non sit iustitia, quam debent habere, non fecit hoc voluntas eorum personalis, sicut in Adam; sed egestas naturalis, quam ipsa accepit natura ab Adam.* Sanè si peccatum originale consisteret in concursu nostro morali, illud, non egestas naturæ receptæ ab Adam, sed voluntas personalis moraliter effeciisset.

Anselm.

65. *Idem ex aliis Patribus ostenditur.* Cyprian. Cyrillus.

Eiusdem mentis fuit Sanctus Cyprianus lib. 3. cap. 8. *Infans natus nihil peccauit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus.* & S. Cyrillus Alexan. aduersus Anthropomorphitas cap. 8. ait: *Audierunt, terra es, non enim omnino veluti cum ipso præceptum, quod ipsi Adæ iniunctum erat, infringentes puniuntur; sed quia, vt dixi, mortalis factus execrationem in progeniem suam transmisit.* Equidem si peccatum originale consisteret in concursu nostro, quo moraliter infringimus præceptum Adamo & nobis iniunctum,

ctum, vt Aduersarij volunt, propositio præfata Cyrilli falsa esset, vt liquet; siquidem ipse absolutè negat, præceptum fuisse nobis impositum, & nos puniri ex eo, quod illud fregerimus; sed quia ex Adamo iam mortali nascimur.

Idem sensit Innocentius.

Idem tradidit Innocentius III. vt refertur in cap. *Maiores* de Baptismo, § *verum*, illis verbis: *Originale peccatum, quod sine concursu contrahitur, remittitur in Baptismo, etiam non consentienti.* Vbi eodem modo, quo negat consensum paruulis ad Baptismum seu iustificationem, negauit Innocentius eisdem consensum ad peccatum: Sed paruulis negatur omnis consensus physicus, siue moralis ad eorum iustificationem; ergo etiam illis negandus est omnis consensus siue physicus, siue moralis ad contractionem peccati orignalis.

Innocent.

66. *Eiusdem mentis fuit Augustinus.* Augustinus.

S. Augustinus huic propositioni sæpè fauit: lib. enim 1. retract. cap. 13. explicans quomodo peccatum originale sit nobis voluntarium, ait: *Illud, quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur arbitrio libertatis, non absurdè vocatur voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.* Sanè si posteri concurrissemus moraliter & liberè ad culpam Adami, iam parvuli vsi fuissent moraliter suo libero arbitrio; & ideò præfatum originale peccàtum eis, non ob solam libertatem physicam Adami, sed ob propriam moralem vniuscuiusque, liberum & voluntarium diceretur. Hoc idem tradidit Bernardus serm. de eo, quod legitur in Iob, *In sex tribulationibus liberabit*, vbi ait: *Peccatum originale paruulorum neque ex corde, neque ex corpore, neque ex consensu illorum processisse.*

Bernardus.

67. *Ex alia doctrina Patrum præfatus concursus moralis depellitur.*

Secunda propositio à Patribus repetita est, culpam originalem esse pœnam primi peccati Adami, & illud subsequi, & ita ex illo, & ex eo, quòd ex Adamo per naturalem propogationem nascamur, dictam culpam originalem pullulare. Ita Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. serm. 14. de verbis Apostoli, vbi ait: *Nos non in diabolo, licèt primus peccauerit, sed in Adamo deliquisse; quia ex hoc nascimur, & in lumbis eius continebamur, quando peccauit.* Eandem sententiam repetit epist. 23. & 89. & lib. 6. contra Iulianum cap. 4. ait: *Peccatum originale, quatenus consideratur in actione alterius, alienum est; fit autem proprium tantùm contagione propaginis.* Idem tradidit S. Thomas 1. p. q. 81. art. 1. & idē Augustinus in Hypognosticon ad art. 2. & serm. 14. de verbis Apostoli. Insuper S. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 26. & alibi, & S. Maximus serm. de Assump. explicantes contractionem peccati originalis, illam exem-

Augustinus.

exemplo radicis venenatæ declarant: sicut enim radix venenata fructus corruptos producit; ita Adamus, qui fuit radix generis humani venenata, prolē infectam generauit. Enimuero si nos concurrissemus moraliter in culpam Adami, Patres, vt peccatum originale declararent, neque ad prædictam metaphoram, neque ad solam propagationem, & meritum peccati Adami; sed ad concursum prædictum moralem recurrissent.

68. *Idem ex alijs Patribus comprobatur.* Paulus. Bernardus. Epiphan. Augustinus. Trident.

Denique Patres, Paulum ad Rom. 5. & 1. Corint. 15. secuti, ex peccato Adami culpam originalem deriuari aiunt, sicut iustitia in nos per Christum descendit. Ita Bernardus serm. 1. in primam Dominicam post octauam Epiphaniæ. S. Augustinus epist. 89. & quod plus est, idem innuit Tridentinum sess. 6. cap. 3. Quapropter sicut iustitia, quâ intrinsecè sanctificamur, solùm prouenit meritoriè ex Christo sine interuentu coucursus nostri moralis (vt constat ex eodem Concilio cap. 7.) ita macula originalis nostra sine interuentu nostri concursus moralis, ex peccato Adami meritoriè emanat; alioquin paritas non vrgeret, vt suprà numero 61. arguebamus.

69. *Refertur solutio.*

Scio Aduersarios respōsuros, Patres præfatos locutos de concursu, & circumstantijs physicis requisitis ad contractionem peccati originalis, cùm autem solus concursus physicus Adami interuenerit, idcirco quando declarant peccatum originale, concursum posterorum excluserunt; & illud peccato Adami, & propogationi ex ipso, tantummodo attribuerunt.

70. *Solutionis depulsio.*

Hæc solutio (præterquam quòd non apratur Patribus asserentibus maculam originalem deriuari per Adamum, sicut nostra iustitia per Christum dimanat, vt vidimus suprà numero 63.) impugnatur, quia gratis dicitur: quis enim credet Patres, cùm hæreticis hâc super re disputantes, & eorum argumentis pressos, si agnouissent prædictum influxum moralem posterorum, non solùm non recurrisse ad præfatum concursum moralem nostrum, sed expressè negasse absolutè culpam Adami ex nobis dimanasse, & oblitos prædicti influxus, alias causas inuestigasse. Sicut enim prædicti Doctores, quia prædictum concursum moralem posterorum admittunt, quoties tractant de naturâ peccati originalis, illum producunt; ita Patres, si illum agnouissent, vt argumentis hæreticorum satisfacerent, illum quoque expressissent. Declaratur, vel Patres, tractantes de natura peccati originalis, illum consursum nostrum mo-

ralem in culpam Adami agnouerunt, vel non? Si hoc dixeris, euidenter sequitur, illos in alia formalitate distincta à prædicto concursu peccatum originale constituisse; siquidem illi delictum originale in formalitate, non ipsis penitùs ignota, sed nota, situm esse voluerunt. Si verò prius respondeas, Patres absolutè non negassent concursum posterorum in culpam Adami, sed solum physicum, sicut istius concursus Patroni faciunt: vnde negatio illa absoluta consensus, seu influxus posterorum in culpam Adami, & designatio aliarum formalitatum, & causarum, ex quibus originale peccatum consurgit, argumentum est præfatum concursum moralem posterorum in mentem Patrum nullatenus veniisse.

§. IX.

Declaratur formalitas, in qua peccatum originale situm est.

71. SIcut facile est aliorum opiniones circa essentiam peccati originalis impugnare, ita difficile est formalitatem, in qua illud consistat, designare. Verùm quia id explicare ad scopum huius tractatûs oportet, idcirco id quod tradidi in materia de peccatis, huc transferre placuit, vt lector intelligat, quid sit peccatum originale, à quo B. Virginem liberare intendimus.

72. *Multa ad incursionem peccati originalis concurrunt.*

Et primò in memoriam reduco, quod suprà numero 17. adnotaui, nempe ad existentiam peccati originalis plura, tam intrinseca, quàm nobis extrinseca necessariò interuenire. Primum quod præcedere debuit, fuit pactum initum cum Adamo, vt ex omnium sententia tradidimus suprà cap. 1. n. 4 Secundò requiritur peccatum graue Adami, seu violatio conditionis illi appositæ ad transfusionem iustitiæ originalis: vnde, vt bene Vasquez 1.2. disput. 214. n. 78. licèt ob peccatum leue Adami Deus diuinitus potuisset eius posteros sanctitate denudare, nihilominus tunc peccatum originale non contraheremus. Tertiò opus est, vt propagemur per seminationem naturalem, vt definiuit Tridentinum sess. 6. cap. 3. Quartò inest nobis priuatio sanctitatis, & aliorum donorum, quæ, si Adamus non peccasset, retinuissemus. Denique etiã nobis, quamdiu peccato originali maculati existimus, inest negatio retractationis peccati Adami à nobis, saltem virtualiter, dimanans. Et subiunxi suprà n. 17. & 18. neque in his omnibus simul sumptis, neque in aliquo illorum culpam originalem constitutam esse.

Vasquez. Trident.

73. *Sententia Authoris aperitur.*

Assero ergo ex his omnibus simul sumptis, seu ex priuatione sanctitatis, vt voluntariâ Adamo, in instanti quo primò eorum animæ

mæ creantur, & corpori vniuntur, resultare in posteris Adami denominationem, aut moralitatem quandam, quâ maculati, Deo inimici censentur, & sunt, in qua consistit formaliter culpa delicti originalis. Vnde omnia, quæ de peccato originali tradit Concilium Tridentinum, verificantur; siquidem præfata moralitas est nobis intrinseca, & pro diuersitate subiecti multiplicatur; & insuper eadem ex Adami peccato descendit, cùm illud fuerit causa, cur sanctitate promissâ denudemur, & consequenter, cur prædicta moralitas in nobis consurgat. Ita aliqui recentiores, & existimo fuisse mentem Vasquez, Hurtado, & aliorum citatorum suprà n. 13. pro tertia sententia: hi enim, cùm expressè tradant malitiam originalem esse nobis intrinsecam, & aliunde velint non in solâ priuatione physicâ sanctitatis; sed in eâ, vt voluntaria, & priuatio sanctitatis debitæ est, consistere, planè consequitur, eos sentire peccatum originale in moralitate resultante ex prædictis formalitatibus situm esse. Addo prædictam moralitatem esse relationem moralem habitualem dissonantiæ ad naturam rationalem; siquidem dissonat creatos ad vitam æternam carere sanctitate. Quapropter hęc sententia ab opinione recentiorum asserentium peccatum originale consistere in influxu morali posterorum in culpam Adami, valde differt: nam illi præfatam moralitatem seu concursum moralem præcedere volunt priuationem sanctitatis nobis inhærentem, & ideo dicunt nos iustè priuari sanctitate, quia influximus in culpam Adami; attamen nos sentimus prædictam nostram moralitatem, postquam prioritate naturæ in pœnam peccati physici Adami, sanctitate fuimus spoliati, in nobis resultare. Vnde priuatio sanctitatis non est effectus, sed potiùs causa seu fundamentum malitiæ peccati originalis. quod aptatur Concilio Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali can. 2. definienti, Adamum per suum peccatum nobis ita perdidisse iustitiam & sanctitatem, vt eam nostris viribus recuperare nequeamus: vnde, etiamsi per impossibile, peccatum originale non contraheremus; sanctitate conciperemur denudati. quare præfata priuatio non ex nostro peccato originali iam contracto, sed ex solo peccati Adami ortum ducit. Fateor tamen peccatum originale iam contractum, mereri de condigno perseuerantiam & continuationem præfatæ priuationis sanctitatis, cùm subiectum forma sanctificante, & auxilijs, quibus ea comparatur, indignum reddat.

Trident. Vasquez. Hurtado. Trident.

74. *Fundamentũ præfatæ opinionis.*

Huius opinionis fundamentum est exclusio cæterarum opi-

nionum, nempe quia non est aliud, in quo præfata malitia constituatur, cùm non consistat in concursu morali posterorum in culpam Adami, neque in priuatione physica sanctitatis, neque in aliquo alio illam antecedenti, vt satis superque hactenus ostendi. Confirmatur: nam iuxta hanc sententiam omnia, quæ occurrunt difficilia contra alias opiniones facilè euitantur, vt constabit ex solutione argumentorum; & insuper quæ de peccato originali ttadit Tridentinum, ei bene conueniunt; cùm illa moralitas transfundatur in posteros per seminalem generationem propagatos, illis intrinsecè inhæreat, & vnicuique illorum propria insit. Neque mirum est ex priuatione physicâ sanctitatis, præsupposito pacto inito cum Adamo, & huius trangressione, resultare in nobis denominationem moralem intrinsecam; siquidem plura suppetunt exempla, in quibus ex rebus valde extrinsecis pullulat in nobis moralitas intrinseca; ex eo enim quòd aliquis tibi librum v. g. promisit, aut legauit, in te consurgit ius ad illum; & ex executione sententiæ multoties denominatio moralis infamiæ in reum emanat: & ex declaratione iuridica, quòd crimen aliquod commisisti, moralitas in te resultat, quâ irregularis, vel excommunicatus censeris, & es. Ita ex nostra priuatione sanctitatis, vt voluntaria Adamo, consurgit moralitas, quâ maculati, & Deo inimici intrinsecè formaliter reddimur. Quod totum paritas ex malitia deriuata in actiones exteriores, quâ sæpè vtitur Sanctus Thomas, mirificè declarat. Sicut enim ex eo quòd actio externa, v. g. homicidium, est voluntaria, resultat in illa actione denominatio noua moralis peccati (vt plures volunt, de quo alibi) quâ prædicta operatio mala denominatur, & est (siue illa moralitas sit relatio, siue priuatio rectitudinis debitæ) ita ex eo, quòd priuatio nostra physica sanctitatis fuerit Adamo voluntaria, consurgit moralitas, quâ peccatores denominamur, & sumus.

§. 10.

Varijs obiectionibus contra hactenus dicta respondetur.

75. *Obiectioni respondetur.*

OBijcies primò, omne peccatum est voluntarium & liberum ei, cuius est peccatum, vt omnes supponunt in materia de peccatis; sed præfata moralitas non est voluntaria posteris Adami, vt patet, cùm ipsi operati non fuerint; ergo illa moralitas non est formaliter peccatum. Hoc argumentum specialiter non militat contra nostram sententiam, sed

sed contra cæteras: (vnam vel aliam si excipias) vnde respondeo cum Vasquez 1.2. dusputatio. 131. cap. 2. peccatum esse duplex, personale, & originale, & licèt ad illud requiratur, quòd à persona, cuius est peccatum, voluntariè & liberè proficiscatur, attamen id ad hoc, vt aliqua formalitas sit peccatum originale, opus non est; sed sufficit quòd ex voluntate primi parentis descendat, vt expresè docuit S. Thomas 1.2. q. 81. art. 1. Anselmus, & Augustinus citati à Vasquez suprà. Et ratio est, quia peccatum originale non est propriè peccatum, scilicet personale, sed naturæ; vnde ad illud sufficit quòd ex voluntate Adami continentis in suis lumbis totam naturam, seu omnes posteros, præsupposito pacto, ortum duxerit, vt voluntarium denominetur, & sit, vt innuit Sanctus Augustinus lib. 3. de peccatorum meritis cap. 7.

Vasquez. S. Thom. Anscl. August. Vasquez.

76. *D. Anselmus explicatur.*

Secundò obijcies, Anselmum libro de conceptu virginis cap. 26. asserentem: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, factam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem*; quibus verbis clarè innuit Anselmus, peccatum originale consistere in priuatione iustitiæ debitæ. Idem tradiderunt Sanctus Thomas 1. 2. q. 82. art. 3. & alij plures, quos citat & sequitur Granados tom. de Incarn. controuer. 2. tracta. 1. disputatio. 1. sect. 11. numero 88. Hæc quoque obiectio aliquas ex relatis opiniones labefactat, & ideo illarum patroni Anselmum, & Sanctum Thomam variè interpretantur. Ego respondeo Sanctum Thomam, & Anselmum locutos fuisse causaliter, & asseruisse peccatum originale consistere in priuatione iustitiæ debitæ, quia ex illa, præsupposito peccato Adami, & pacto, vltimatè pullulat moralitas, in qua delictum originale constituitur. Neque mirũ ipsos præfatæ formalitatis mentionem expressam non fecisse; nam inuestigabant formalitatem physicam nobis intrinsecam, quæ esset peccatum originale, vel ex qua vltimatè illud emanaret; quæ cùm sit priuatio sanctitatis, idcirco in eâ, nempe causaliter, illud constitutum esse volunt.

S. Thom.

77. *Declaratur Tridentinũ.*

Tertiò obijcies, Tridentinum sel. 5. cap. de peccato originali, can. 2. vbi, declarans quid sit peccatum originale transfusum per Adamum, ait esse mortem animæ; sed mors animæ est priuatio sanctitatis seu vitæ animæ, sicut mors est priuatio vitæ animalis: ergo peccatum originale in prædicta priuatione consistit. Respondeo, moralitatem, in qua peccatum originale formaliter constitutum esse sentimus, oriri ex priuatione vitæ spi-

ſpiritualis ſeu ſanctitatis, & eſſe inſuper cauſam vt præfata mors continuetur, vt diximus ſuprà numero 73. Et ideo peccatum originale mortem animæ appellari, non quia illud formaliter priuatio ſanctitatis ſit; ſed quia ex ea oritur, & eius continuationis & perſeuerantiæ cauſa meritoria eſt: ſi enim generatio vnius formæ corruptio alterius (iuxta commune philoſophorum proloquium, appellatur) quia illæ formalitates, licèt diſtinctæ, connexę ſunt; cur peccatum originale mors animæ non dicetur, etiam ſi ab illa diſtinguatur, ſiquidem cum præfata morte connectitur, ex eaque neceſſariò dimanat?

78. *Alij obiectioni ſatisfit.*

Quartò obiicies, ſi per poſſibile vel impoſſibile, præfata moralitas ex priuatione ſanctitatis debitæ non reſultaret, adhuc maculati, Deo inimici, & digni pœnâ eſſemus; ergo formalitas peccati originalis in prædicta moralitate non conſiſtit. Simile argumentum confici ſolet contra opinionem ſatis communem conſtituentium eſſentiam peccatorum perſonalium in relatione diſſonantiæ ad naturam rationalem ſupperaddità actibus noſtris phyſicis: vnde quod illi reſpondent, huic obiectioni aptari poteſt. Et primò ſuppono, eſſe impoſſibile quòd poſità priuatione ſanctitatis debitæ in poſteris Adami ex huius peccato dimananti, non conſurgat præfata moralitas: ſicut eſt impoſſibile quòd ex actione ortâ ex principio intrinſeco cognoſcente ſingula, moralitas voluntarij non naſcatur; quare nunquam contingit priuationem iuſtitiæ debitæ ortam ex Adami peccato inhærere ſubiecto, & illud Deo inimicum, & maculatum non reddi. Sed ſi per impoſſibile id accidiſſet, tunc eſſet Theologiſandum ſicut philoſophi diſcurrere ſolent de homine habente filios, à quo per poſſibile vel impoſſibile, aufertur relatio ſuperaddita paternitatis, quem dicunt futurum non formaliter, ſed fundamentaliter patrem; ita ſi per impoſſibile præfata moralitas in poſteris carentibus ſanctitate non pullulaſſet, illi non formaliter, ſed fundamentaliter peccatores eſſent.

Quintò obijcies, prædicta moralitas oritur ex priuatione phyſicâ ſanctitatis debitæ (vt diximus) ſed per nos priuatio illa ſanctitatis oritur ex Deo; ergo Deus ſaltem remotè influit in moralitatem prædictam; & conſequenter erit cauſa peccati. Simili argumento hæretici peccata perſonalia eſſe à Deo ſuadent: cui reſpondet Canus, Sotus, & alij, quos citat, & ſequitur Vaſquez 1.2.diſput.129.cap.7. malitiam peccati perſonalis oriri ex operatione phyſica prout voluntariâ & liberâ ipſi operanti; cùm autem moralitas illa liberi, & voluntarij, non prout prouenit à Deo, ſed prout prouenit à voluntate creata oriatur, idcirco malitia peccati perſonalis, non ex Deo, ſed ex voluntate creatâ dependit; ita quia moralitas, in qua conſiſtit delictum originale, ex priuatione phyſica ſanctitatis debitæ, prout Adamo liberâ & voluntariâ, pullulat, & aliunde illa ratio voluntarij ex voluntate Adami proficiſcatur, ideo moralitas præfata, non ex Deo, ſed ex Adamo ſolo ortum ducit.

79. *Culpa originalis non eſt à Deo.*

Vaſquez.

80. *Alij obiectioni reſpondetur.*

Sextò obijcies, licet Adamus, quando peccauit, meruerit puniri in poſteris; at modò id mereri nequit, cùm eius delictum ſit omnino dimiſſum: vnde priuatio ſanctitatis debitæ, quam hodie Deus eius poſteris immittit, pœna peccati Adami eſſe nequit. Declaratur: vel hodie meretur Adamus, vt eius poſteri puniantur aliqua pœna, vel id non meretur: ſi hoc dicas, ſequitur Deum non puniturum ampliùs Adamum (ſiquidem iam ille non meretur pœnam; & aliunde Deus non punit, quando homò pœnâ indignus eſt, vt colligitur ex Auguſtino lib. 1. retract. cap. 9. & S. Thomas 1.2.q.46. art. 6. ad 2.) quod eſt abſurdum. Si verò prius reſpondeas, eſt falſum: cùm adhuc retineat moralitatem, ſeu dignitatem ad pœnam. Huic argumento etiam aliarum opinionum aſſertores reſpondere debent, cùm Tridentinum ſeſſ. 5. cap. de peccato originali ſupponat, nos plures pœnas ex peccato Adami deriuaras ſentire. Reſpondeo ergo, Adamum hodie v.g non mereri, ſed quondam meruiſſe præfatas pœnas, & ideo Deum tunc ſtatuiſſe efficaciter illum in poſteris punire, eis iuſtitiam originalem denegando. Neque refert quòd hodie Adamus ſit beatus, & conſequenter nullo modo inquinatus; nam hoc ſolùm concludit peccatum Adami, vt perſonam Adami concernit, eſſe quoad culpam & pœnam dimiſſum; at prout ad poſteros pertinuit, quoad omnem pœnam condonatum non eſſe: neque hoc ſtatui beatitudinis Adami aduerſatur, cùm ille in ſe non puniatur, neque dignus ſit pati in ſe aliquam pœnam; imò neque hodie dignus ſit, vt poſteri mulctentur; ſed ſolùm habet quòd olim dignus præfatâ pœnâ fuerit.

Auguſt. S. Thomas.

81. *Alia obiectio proponitur.*

Septimò obijcies illa loca Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, in quibus nos in Adamo deliquiſſe dicimur. Qua phraſi denotatur nos in Adamo extitiſſe, ibique peccaſſe, quod verificari nequit, niſi admittamus noſtras voluntates Adamo fuiſſe diuinitus alligatas, & ibidem cum eo ad culpam illius moraliter concurriſſe. Ita locutus fuit Paulus ad Romanos 5. dum ait: Paulus.

Salmeron. Trident. Africanum. Mileuitan. Augusſt.

In quo (ideſt Adamo , vt bene probat Salmeron ibi diſput. 39.) *omnes peccauerunt.* Eodem modo locuta fuerunt Tridentinum ſeſ. 5. cap. de peccato originali can. 2. Africanum cap. 77. & Mileuitanum can. 2. Eundem modum loquendi tenuit Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſ. cap. 10. quem poſtea alij vſurparunt.

82. *Obiectioni ſatisfit* Salmeron.

Reſpondeo particulam *in* multipliciter in Scriptura, & alijs auctoribus accipi , vt bene aduertit Salmeron in prologomenis , prologom. 16. Sed alijs acceptionibus miſſis , duæ ſatis cõmunes ad noſtrum pertinent inſtitutum : primò *in* ſignficat modum eſſendi quem quis in aliquo loco ſeu ſubiecto habet : ſic accipitur à Paulo 2. Cor. 4. in illis verbis: *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus* , & ad Coloſ. 3. *In quo ſunt omnes theſauri* , & ſæpè alibi. Secundò prædicta particula *in*, non modum eſſendi , ſed cauſam efficientem vel meritoriam , ex qua ille dimanat, importat ; vnde particula *in* ſic accepta , idem, quod præpoſitio *per*, valet : ſic accipitur in illis verbis ad Ro. 8. *In quo clamamus Abba Pater* (id eſt) *per quem*; & ad Galatas 2. *Iuſtificati in Chriſto*, & ſæpè alibi. Aſſerimus ergo , quando Scriptura , Patres, & Concilia affirmant , nos in Adamo deliquiſſe, aut cecidiſſe, aut comediſſe, particulam *in* , poſteriori acceptione fuiſſe vſurpatam,& idem valere,ac ſi dixiſſent, nos per Adamum peccaſſe, comediſſe , cecidiſſe , nempe quia eius culpa cauſa fuit , vt verè delictum contraheremus. Cuius explicationis ſunt varia fundamenta: primò ſic Cornelius , Salmeron , & alij multi nobiles interpretes illam propoſitionem, *in quo omnes peccauerunt* (id eſt) *per quem* , interpretantur. Secundò Paulus , & Patres componunt Chriſtum cum Adamo , in eo quòd, ſicut in hoc morimur, ſic in illo viuificamur: vnde cùm præpoſito *in* , in vno extremo comparationis pro *per* , ſumatur ; in alio extremo eadem particula *in*, pro *per* quoque accipi debet: Tertiò, quia Tridentinum ſeſ. 6. cap. 3. ita illam intellexiſſe videtur : ait enim: *Per ipſum* (id eſt Adamum) *dùm concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahunt.*

Cornelius. Salmeron. Trident.

83. *Aliqui Patres explicantur.* Auguſt. Bern.

Octauò obijcies , S. Auguſtinum , Bernardum,& alios Patres, quorum verba inuenies diſput. 5. cap. 3. numero 16. aſſerentes, nos in Adamo extitiſſe , quando peccauit ; & ideo nos deliquiſſe, quod denotat nos concurriſſe ad peccatum Adami ; ſiquidem ſi peccaſſe in Adamo , fuiſſet Adamum meruiſſe nobis priuationem iuſtitiæ , ad peccandum in Adamo nos in eo extitiſſe non requireretur ; cùm quis alijs extraneis pœnam , aut præmium aliquod mereri valeat. Reſpondeo meritò Patres ad hoc vt peccaremus in Adamo, exegiſſe , vt in illo virtualiter, ſeu in lumbis eius contineremur ; & ita cum illo vnus eſſemus; quia (vt dicam infrà diſput. 5. cap. 3. à n. 12.) Adamus ex vi pacti iuſtitiam originalem, aut peccatum in eos ſolùm tranſmittere potuit, qui in lumbis eius adhuc continerentur , quando conditionem appoſitam ad tranſmiſſionem iuſtitiæ , aut peccati adimpleret. Et ita oſtendam diſp. citatâ cap. 3. ſi ante præuaricationem Adamus filios habuiſſet, neque illis , neque eorum ſtirpi tranſgreſſionem Adami nocituram; quod vt confirmaretur, Patres aſſeruerunt , nos in Adamo fuiſſe, quando peccauit , & tunc Adamum omnes homines fuiſſe.

84. *Theophylactus declaratur.*

Obiicies nonò Theophylactũ ad illa verba Pauli ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt* , quæ eodem tenore verborum , quibus noſtri aduerſarij vtuntur, interpretatur: *In Adam omnes peccauerunt , cùm enim ille idem cecidiſſet , etiam ij , qui non ederunt de ligno illo , facti ſunt illo mortales , mortique ſubiugati, perinde , ac ſi ipſi etiam impegiſſent , quando quidem iſte impegerit.* Admitto nos concipi maculatos , ac ſi verè peccauiſſemus in Adamo , ſeu præceptum violaſſemus; attamen ex hoc non ſequitur pullulaſſe concurſum aliquem moralem poſterorum in culpam Adami ; ſiquidem hæc æquialentia ex eo quod Adamus quoad efficaciam nobis priuationem iuſtitiæ debitæ prometuerit, dimanare potuit : vnde æquiualentia prædicta, concurſus moralis poſterorum in culpam Adami , argumentum non eſt, vt latè oſtendi ſuprà à n. 36. Neque Theophylactus illam introducere voluit ; ſiquidem abſolutè aſſeruit, nos non ediſſe de ligno vetito ; alioquin ſi ipſe iudicaſſet nos concurriſſe ad culpam Adami , ſeu moraliter ediſſe de ligno vetito ; loco illorum verborum, *qui non ederunt* , ſubſtituiſſet , qui non ederunt phyſicè , ſed moraliter, ſicut loquuntur doctores, cũ quibus diſputamus.

CAPVT III.

Quid ſit formaliter nos peccaſſe in Adamo.

85. *Certum eſt nos peccaſſe in Adamo.* Paulus. Trident.

TItulus capitis vnum ſupponit,& aliud inquirit: ſupponit nos peccaſſe in Adamo , cùm id expreſſis verbis tradiderit Paul. ad Rom. 3. & 5. & definierit Tridentinum ſeſ. 5. cap. de peccato originali, can. 2. Vnde quod inquirimus eſt, quid ſit nos peccaſſe in Adamo? Et recentiores, qui noſtras voluntates in Adamo fuiſſe cõſtitutas arbitrãtur, aſſerũt, peccaſſe in Adamo eſſe, nos moraliter concurriſſe ad eius peccatũ (vt vidimus ſuprà cap. 2. §. 2.) verũ quia prędicto capite prędictũ concurſum moralẽ poſterorũ in culpam primi parentis , vtpotè fictitium,

reiecimus, aliam formalitatem, ob quam in Adamo peccasse dicimur, assignare debemus.

86. *Quid sit nos peccasse in Adamo.* Anselm.

Aio ergo, nos peccasse in Adamo, non esse nos in illo aliquid effecisse, aut concurrisse ad eius culpam (vt bene D. Anselmus lib. 10. de conceptu virginis cap. 7.) sed Adamum causam fuisse efficientem aut meritoriam, vt iustitiam amitteremus, seu vt culpam originalem contraheremus. Vnde illa proposito, *nos peccauimus in Adam*, æquiualet huic, *Adamus meruit, & causa fuit, vt nos in peccato concipieremur.* Ita Vasquez 1. 2. disput. 132. n. 21. Salazar de Concept. cap. 1. §. 5. Hanc conclusionem præterquam quòd probauimus sup. cap. 2. à §. 3. reiiciendo concursum moralem posterorū in culpam Adami, iterum stabilio ex Tridentino sess. 9. cap. de peccato originali. can. 2. vbi ait, qui negauerit Adamum perdidisse nobis sanctitatem; aut peccatum, & alias pœnas transfudisse, contradicere Apostolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Vnde iuxta Concilium, Adamum nobis perdidisse sanctitatem, & nos in Adamo peccasse synonyma sunt; sed Adamum perdidisse nobis sanctitatem, est ipsum illam nobis demeruisse; ergo nos peccasse in Adamo est, illū meruisse, vt peccatum incurreremus.

Vasquez. Salazar.

Secundò probatur: nam sicut ait Paulus nos in Christo iustificari, aut viuificari, tradidit nos in Adamo mortuos, aut peccasse, vt constat ex cap. 5. ad Rom. sed nos esse per Christum iustificatos est Christum meruisse nostram iustificationem, ergo nos in Adamo deliquisse est Adamum fuisse causam efficientem seu meritoriam nostri peccati, vt latiùs deduxi suprà cap. 2. n. 61.

87. *Idem adstruitur.*

Argumenta, quæ contra hanc sententiam conficiuntur, & eorum solutiones inuenies suprà cap. 2. §. 10.

CAPVT IV.

Quid sit debitum peccati originalis.

88. *Debitum peccati originalis definitur.*

PEr debitum peccati originalis intelligunt communiter Doctores necessitatem contrahendi culpam originalem, quâ omnes filij Adæ per seminalem generationem generati, infecti & Deo inimici concipimur. Ita Bellarminus lib. 4. de amis. gratiæ & statu peccati §. 10. Vasquez. 3. p. disput. 116. cap. 5. Valentia in 3. p. disput. 2. q. 1. p. 2. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 4. & 1. 2. tract. de peccatis disput. 9. sect. 4. n. 24. Salazar de Concept. cap. 1. §. 8. & alij passim: est expressa sententia Anselmi, & Augustini, quorum verba refert Salazar suprà. Quam necessitatem

Bellarm. Vasquez. Valentia. Suares. Salazar.

fitatem Catholici ex violatione pacti diuini initi cum Adamo, ortum duxisse, meritò arbitrantur. Quippè Deus conditionaliter decreuit, imò comminatus est (vt diximus suprà n. 4.) se certissimè priaturum primos parentes, & eorum propaginem immortalitate corporis, & sanctitate animæ promissa, casu quo Adamus conditionem sibi appositam ad transfusionem iustitiæ originalis, non adimpleret: cùm autem ille eam violauerit, prædictum decretum, & comminatio conditionalis ab illo instanti facta est absoluta. Cæterùm cùm decretum Dei efficax eo ipso quòd est absolutum; & promissio diuina eo ipso quòd redditur absoluta, adimpleri debeat; idcirco ab illomet instanti, quo Adamus pactum diuinum totaliter fregit, necessitas, aut debitum præfatum pullulauit. Quapropter, sicut quia Adamus ob dictam pacti violationem perdidit nobis immortalitatem vitæ animalis, omnes morti corporali subiecti necessariò nascimur; ita quia idem frangendo dictum pactum, vitam animæ nobis certissimè amisit, morti spirituali, aut peccato obnoxij necessariò concipimur.

90. *Debitum peccati est duplex.*

Præterea debitum peccati prædictum diuiditur communiter in proximum & remotum, seu in actiuum & passiuum. Debitum remotum seu actiuum (quod omnes Theologi admittunt) est causa nobis extrinseca, ex qua infelicitas nostra dimanat; vnde præfatum debitum actiuum seu remotum, est ipsa violatio diuini pacti, quâ decretum, & comminatio diuina conditionata est reddita absoluta; siquidem non decretum aut promissio conditionata, vt manet conditionata, sed vt reddita est absoluta, effectum decretum aut promissum sortiri debet. Cùm autem prædictum decretum aut comminatio diuina conditionata, non per inceptam, sed per adæquatam & totalem violationem pacti reddatur absoluta (vt liquet) idcirco adæquata violatio pacti, est debitum remotum seu actiuum peccati originalis, ex quo nostra ruina certissimè dimanat. Vnde Doctores, qui dicunt Deum comminatum fuisse pœnas posterorum, solùm casu quo Adamus externè manducaret ex arbore vetita: asserunt debitum peccati non erupisse ex interna voluntate efficaci, quam habuit Adamus comedendi fructum prohibitum, donec externè illum deuorauit: nempe quia sola interna illa voluntas efficax Adami, neque fuit adæquata violatio pacti diuini, neque decretum, aut comminationem diuinam conditionatam reddidit absolutam. Quænam verò fuerit violatio adæquata pacti, dicemus infrà disput. 6. & 7.

91. *Explicatur quid sit debitum remotum.*

Ex quo deduco debitum remotum formaliter esse peccatum Adami, vt formaliter meritorium nostræ ruinæ; siquidem illo posito necessarium est, nisi Deus diuinitus impediat, vt peccatum contrahamus. Vnde cùm nos peccasse in Adamo, sit Adamum nostram infelicitatem meruisse, vt suprà n. 86. dixi, & aliunde debitũ remotum sit meritum efficax Adami nostræ ruinæ, planè sequitur, debitum remotum vel formaliter esse, nos peccasse in Adamo; vel saltem, si hæc duo distinguuntur, erunt necessariò coniuncta.

92. *Definitio debiti proximi.*

Debitum proximum aut passiuum, est moralitas nobis inhærens ex prædicto debito remoto resultans, quâ vnusquisque nostrũm, quando primò concipimur, & antequam prioritate naturæ maculati intelligamur, peccato obnoxij cẽsemur. Sicut enim, si Adamus conditionem sibi appositam ad transfusionem iustitię originalis, obseruasset, ex illa obseruatione ius in vnoquoque nostrũm resultasset ad habendã iustitiam originalem promissam; ita ex violatione pacti diuini, debitum peccati in nobis consurgit, vt bene Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 4. Vasquez 3. p. disp. 116. cap. 5. Lugo de Incarn. disput. 7. sect. 3. n. 26. Salazar de Concept. cap. 1. §. 9. & alij apud ipsos. Scio Ægidium à Præsentatione, & nonnullos alios recentiores, præfatum debitum proximum negasse; verùm quia tum horum opinionem optimè refutat Salazar suprà; tum quia præfata difficultas nostro intento non deseruit, & in quæstionem de nomine valde inclinat, ad alia propero.

Suarez. Vasquez. Lugo. Salazar. Ægidius.

93. *Quoddam dubium remittitur.* Suarez. Vasquez.

An verò hoc debitum proximũ per superuenientem sanctitatem à subiecto eradicetur, discutiunt Suarez & Vasquez, hic 3. dis. 116. cap. 5. & ille tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 4. & 5. quam quæstionem, quia à nostro instituto est aliena, etiam prætermitto.

CAPVT V.

De motiuo principali & minùs principali ob quod Christus Dominus fuit prædestinatus.

94. *Sensus quæstionis aperitur.*

NOn agimus de fine vltimo Incarnationis: hic enim est gloria Dei, propter quam ipse omnia operari perhibetur; sed solùm de fine intermedio ad præfatam gloriam ordinato, & extra Deum existente.

95. *Finis diuiditur in primarium & secundariũ.*

Secundò aduerto, finem esse duplicem, primarium, & secundarium; seu motiuum, & impulsiuum. Finis primarius, seu motiuus appellatur, qui ita mouet voluntatem ad aliquid efficiendum, vt, si ille non esset, res illa nullatenus ex vi illius voluntatis efficeretur, vt bene Vasquez 3. p. disput. 10. cap. 8. n. 75. At finis impulsiuus, seu secundarius est, qui nõ mouet ad hoc, vt aliquid simpliciter efficiatur, sed vt faciliùs, vel suauiùs, vel sub aliqua alia conditione executioni mandetur; vnde fine impulsiuo deficiente res illa nihilominus fiet.

Vasquez.

96. *Christus duplicitur consideratur ab Scholasticis.*

Tertiò noto, Scholasticos duobus modis Christum comtemplari, vt mortalem, & vt immortalẽ. Et quamuis omnes Christum vt mortalem, seu vt redemptorem in remedium peccati primariò adueniisse asserant, controuertunt tamen, an deficiente peccato, Christum saltem immortalem ex vi præsentis decreti, haberemus. Affirmat Suarius 3. p. tom. 1. disp. 5. sect. 2. cum multis alijs. Verùm Vasquez 3. p. disp. 10. cap. 4. Lugo de Incarn. disp. 7. sect. 1. cum S. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. & pluribus alijs constanter negãt. Quâ suppositâ opinione, aio: Incarnationem ita in remedium peccati fuisse primariò prædefinitam, vt, si peccatum non foret, Christus neque mortalis, neque immortalis aduenirет. Hanc communiorem sententiam Vasquez & Lugo suprà validissimè ex Patribus & Scriptura confirmant, & argumentis in contrarium adductis satisfaciunt.

Suarez. Vasquez. Lugo. S. Thom.

97. *Peccata ad tria capita reducuntur.*

Denique noto, omne peccatum hominum ad tria capita reduci posse. Aliud fuit peccatum Adami, scilicet comestio, ex quâ tandem nostra infelicitas originem meritoriè traxit, vt ostendimus disput. 4. cap. 4. aliud originale posterorum in eis contractum, & aliud peccata actualia prædictorum posterorum. Et accepto fine secundùm totam suam latitudinem, prout includit primarium & secundarium, est certum, Deum in remedium omnium carnem humanam induisse. Id tùm in Lucæ 19. numero 10. Ioan. 3. numero 17. Paulo ad Galat 4. n. 4. & ad Timoth. 1, n. 15. & sæpè alibi: tùm in Concilio Tolet. 6. cap. 1. & in Symbolo Nicæno; tùm in Patribus, expressum reperies. Legantur Vasquez, & Suarius, & Lugo suprà, & Granados de Incarn. controu. 1. tract. 3. disput. 1. vnde Doctores peccatum, ob quod Christus primariò fuit prædestinatus, indagare solent.

Lucas. Ioannes. Paulus. Toletan. Symbolum Nicænum. Vasquez. Suarez. Lugo. Granados.

§ 1.

De peccato, ob cuius remedium Christus primariò & principaliter fuit prædestinatus.

98. *Supponitur communis opinio circa Christi prædestinationem.*

CVm iuxta communiorem & meliorem Theologiam, suppositum fuerimus, Christum ita primariò in remedium peccati fuisse prædestinatum, vt, si peccatum abfuisset, Christum, ex vi præsentis decreti, non haberemus; supereſt examinandũ, quænam sint illa peccata, in quorum remedium Filius æternus carnem primariò induere decreuit: an, inquam,

fuerit solùm culpa Adami, vel hæc, & cætera peccata, siue actualia, siue originalia posterorum.

99. *Prima opinio.* Prima sententia asserit, Christum in remedium omnium peccatorum originalium,& personalium saltem mortalium, quibus Adamus & eius posteri inquinantur, principaliter & primariò aduenisse. Vnde antequàm Christus prædestinaretur, non solùm culpa Adami, sed etiam omnes culpæ originales & personales posterorum, quæ vsque ad finem mundi erunt, fuerunt præuisæ. Ita Bernal. de Incarn. disp.16.sect. 3. Granados ibidem contron. 1. tract. 3. disput. 2. à n.4. Bernal. Granados.

100. *Secunda opinio.* Secunda sententia asserit, finem primarium Incarnationis fuisse remedium, non peccatorum personalium generis humani,sed originalium in eis iam contractorum: quare iuxta hanc opinionem, ante prædestinationem Christi, non peccata personalia posterorum, sed peccatum actuale Adami, & omnia originalia inde in singulos suos posteros deriuata,fuerint præuisa. Ita Salazar de Concept. cap.24.§.6. Salazar.

101. *Tertia opinio.* Tertia sententia ait, solum peccatum Adami, quæ fuit causa totalis meritoria nostræ infelicitatis, nempe comestionem ex fructu vetito, fuisse motiuum primarium & totale incarnationis Verbi: quapropter Deus statim ac vidit comestionem Adami, & ob eam genus humanum in periculo perditionis, antequàm aliud peccatum actuale ipsius Adami, vel originale, aut personale posterorum præcognosceret, vt suum Verbum in remedium præfatæ culpæ carnem assumeret, decreuit. Ita Vasquez 1.p.disput.95.n. 13. & 14. Becanus de Incarn.cap.1.q. 9. Gaspar Hurtado ibidem disput. 1. difficult. 28. Cardinalis de Lugo de Incarn.disp.7. sect. 5. & multi alij recentiores. Vasquez. Becanus. Hurtado. Lugo.

Dicendum est primò, finem primarium saltem partialem aduentus Christi, fuisse illud Adæ peccatum, quod nostræ infelicitatis origo & causa meritoria fuit; nempe comestionem ex fructu vetito. In hâc parte conueniunt tres relatæ sententiæ, & probatur: nam illud est motiuum principale saltem partiale alicuius operationis, quod si abesset, operatio non sequeretur (vt liquet) sed si peccatum Adami præfatum non præcessisset, Christum ex vi præsentis decreti non haberemus; ergo culpa prædicta Adami fuit finis primarius saltem partialis Incarnationis. Minor probatur ex S. Leone serm. 3. in Pentecost. Cyril. 5. dialog. de Trinitate ante medium. Gregor. Magno lib. 4. Reg. & alijs Patribus (quorum verba refert,& bene expendit Vasquez 3.p. disput. 10. cap. 4.) negantibus 102. *Prima conclusio.* S. Leo. Cyril. Gregor. Vasquez.

bus Christum venturum, si Adamus non peccasset. Id ipsum Ecclesia supponit, dum in benedictione Cerei Paschalis, canit: *Certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte delendum erat.* Confirmatur: nam Christus primariò & principaliter venit in remedium alicuius peccati, vt docuit S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3.& bene concludunt Vasquez, & Lugo suprà; ergo in remedium peccati Adami: cùm non fuerit alia culpa, in cuius remedium primariò Verbum carnem assumpserit, vt infrà n. 105. & 106. dicemus. Ecclesia. S. Thom. Vasquez. Lugo.

103. *Corollarium.* Ex quo infero, deficiente prædicto peccato seu comestione Adami, Christum non fuisse venturum ex vi præsentis decreti, etiam si alia innumera delicta in hominibus reperirentur. Ita Vasquez suprà disput. 13. cap. 2. Ragusa de Incarn.disput.33.Hurtado Complutensis, & Becanus suprà. Lugo etiam suprà sect. 5. & multi alij, & probatur: nam ablato fine primario, etiam partiali alicuius operationis, volitio qua illa operatio efficitur, auferri debet; cùm volitio dependeat vel necessariò cum suo obiecto, seu fine primario connectatur; sed remedium peccati Adami, fuit finis primarius saltem partialis, ob quod Deus decreuit incarnationem Verbi (vt ostendimus suprà n. 102.) ergo ablato illo peccato, decretum quoque diuinum de mittendo filium tolleretur; & consequenter ex vi præsentis decreti Christus in casu dicto non veniret: siquidem tunc decretum, quo Christus futurus de facto statuitur, non adfuisset. Vasquez. Ragusa. Hurtado. Becanus. Lugo.

104. *Euasioni occurritur.* Respondent aliqui, licèt ablato peccato Adami, auferatur quoque præsens decretum, quo Deus filium suum in remedium hominum misit; perseueraisse tamen in Deo desiderium ardentissimum salutis,& gloriæ hominum, quo desiderio permotus, casu quo Adamus non peccasset, & aliunde plurima peccata personalia posterorum vidisset, suum Verbum in remedium illorum certo certiùs misisset. Contra hoc est: nam illud desiderium ardentissimum diuinum salutis hominum, Deum ad mittendum filium non coegit; & ideo Deus etiam viso peccato Adami, potuit illum in mundum non mittere, vt bene Vasquez. 3.p. disput. 1. cap. 2. Becanus de Incarn. cap. 1. q.5. Hurtado ibidem disp. 1. difficult. 8. Lugo de Incar. disp. 2. sect. 1. Suarius tom. 1. in 3. p. disput. 4. sect. 2. ergo illud desiderium ardentissimum diuinum de salute hominum, non est firmum argumentum ad hoc vt inde certo inferatur (ablato peccato Adami, & consequenter decreto, quod de facto Deus habuit mittendi filium) Verbum in casu dictæ hypothesis, carnem assumptu- Vasquez. Becanus. Hurtado. Lugo. Suarez.

rum: siquidem Deus adhuc posito illo desiderio salutis hominum mansit liber ad decernendam vel non decernendam Incarnationem; & aliunde quamdiu aliquis liber est ad aliquid faciendum, vel omittendum pro sua voluntate, nemo mortalium quid ille sit volturus, certò affirmare valet. Et ratio est: nam quotiescumque sunt varia media ad consecutionem finis intenti, electio singulorum ita libera est, vt, intentione finis perseuerante, hoc vel illud medium determinatum omitti possit; sed ad hoc, vt, hominibus peccata dimittantur, & ipsi saluentur, præter incarnationem sunt plura media; ergo desiderium diuinum ardentissimum de salute hominum, etiam dato, illud fuisse efficax, sine medio Incarnationis finem intentum assequi poterit. Minor probatur ex Athanasio lib. 13. de Trinitate cap. 10. & 13. & lib. de Agone Christiano cap. 11. & alijs Patribus relatis à Lugo suprà n. 5. asserentibus, stultos esse qui putant, non potuisse aliter Dei sapientiam hominem liberare, nisi carnem assumendo; siquidem potuit hominibus peccata omnino gratis dimittere, vel contentus esse satisfactione imperfecta alicuius hominis, vel Angeli sanctissimi.

Athanas.

Lugo.

105. *Secunda conclusio.*

Secundò dicendum est, remedium prædictæ comestionis Adami, saltem vt toti generi humano imminentis, fuisse finem primarium totalem, & adæquatum Incarnationis Christi. Vnde si nulla alia peccata actualia, aut originalia posterorum essent, Verbum nihilominùs ex vi præsentis decreti, humanitatem susceperet. Ita Doctores tertiæ sententiæ relatæ suprà n. 91. Probatur, nam peccatum, in cuius remedium Christus primariò & principaliter aduenit, decreto Incarnationis in mente diuina præcessit, vt bene Vasquez 3. p. disp. 13. cap. 2. n. 9. & liquet ex Athanasio serm. 3. contra Arrianos asserente: *Necessitas quippe, indigentiaque hominum, anterior est quàm illius natiuitas.* Idem innuunt illa verba Augustini serm. 9. de verbis Apostoli: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est*, scilicet mortis Christi: sed non peccata personalia posterorum, neque eorum originalia, sed solùm præuaricatio Adami præcessit Christū in mente diuina; ergo remedium Illius fuit causa totalis motiua Incarnationis. Minor probatur: nam antequam Adamus impœnitens præuideretur, iam Christus fuit prædestinatus; siquidem auxilia collata Adamo, vt ante prolationem sententiæ pœniteret, ex meritis Christi descenderunt; & aliunde causa meritoria, decretum conferendi præmium semper in mente diuinâ præcedit, vt cum multis docuimus in materia de prædestinatione; sed peccata originalia, & actualia posterorum non ante prædictam Adami impœnitentiam; sed post illam præuisam, sunt prægnita; ergo peccata actualia, & originalia posterorum, non ante Christi prædestinationem, sed post ipsam iam statutam, sunt præuisa. Minor probatur: nam omnia peccata actualia posterorum præsupponunt corruptionem naturæ, seu contractionem peccati originalis (siquidem hæc est origo rebellionis appetitûs, & negationis auxiliorum efficacium ad vincendas tentationes, & consequenter peccatorum actualium) & corruptio naturæ, & debitum contrahendi culpam originalem præsuppossuit prædictam Adami impœnitentiam, vt latè ostendemus infrà disputatio. 6. & 7. Vnde, cùm Christus ante præfatam impœnitentiam fuerit præuisus, eum ante permissionem peccatorum actualium posterorum, & contractionem originalium præuisum fuisse oportet.

Vasquez.

Augusti.

106. *Probatur ab inconuenienti.*

Secundò probatur: nam si omnia peccata originalia, & actualia, quæ in posteris Adami reperiuntur, fuerunt absolutè præuisa ante prædestinationem Christi, planè sequitur, Christum neque meruisse, neque à Patre petere potuisse, vt aliquod peccatum ex illis, quæ de facto sunt, non fieret; quod absurdum est. Quis enim sibi persuadebit, Christum non potuisse orare, ne Petrus eum negaret, & vt alia peccata vitarentur, cùm Christus Dominus in eo totus fuerit, vt homines Deum honorarent; & sicut Pater eius cælestis, perfecti essent? Sequela probatur: nam Christus petere non potuit, vt decreta diuina efficacia, & absoluta, ipsum antecedentia, irritarentur; aut quod scientia visionis falsa redderetur, cùm id cognosceret impossibile, & aliunde quod quis impossibile esse scit, prudenter petere nequeat; sed si ante Incarnationem Christi fuerunt iam omnia peccata originalia, & actualia posterorum absolutè præuisa, fuit impossibile, vt illa per orationem, & merita Christi dein secuta vitarentur, vt patet; ergo Christus, vt peccata prædicta non contraherentur, neque mereri, neque in hunc finem Patrem orare valuit; quod (vt vidimus) absurdum est, & potestatem concessam Christo in remedium hominum valde extenuat. Confirmatur, quia peccatū Adami, in cuius remedium Christus primariò venit, fuit absolutè præuisum ante aduentum Christi; hic, vt illud non fieret, non meruit, neque auxilia, vt illud vitaretur, impertiuit, vt constat ex doctrina communi Vasquez 3. p. disputatio. 12. Lugo de Incarn. disputatio. 27. sect. 3.

Vasquez.

Lugo.

& multorum; ergo si cætera peccata originalia, & actualia posterorum fuerunt ante prædestinationem Christi absolutè præuisa, & eorum remedium finem quopue primarium incarnationis integrauit, neque Christus, vt illa vitarentur, meruit, neque in hunc finem auxilia vlla impendit, quod nemo concedet.

107. *Iterum ab absurdo stabilitur.* Tertiò probatur: nam si peccata omnia posterorum, siue originalia, siue actualia, fuerunt ante Christi Incarnationem præuisa, & eorum omnium remedium finem totalem primarium Incarnationis composuit; sequeretur, deficiente vnico peccato actuali, vel originali posterorum, Christum ex vi præsentis decreti non venturum; siquidem remedium illius esset finis primarius saltem partialis Incarnationis, & aliunde ablato fine primario etiam partiali alicuius operationis, eam auferri necesse est. Consequens esse absurdum nemo negabit. quis enim dicet, si Dauid v. g. non adulteraſſet, aut si Saul non fuisset, & consequenter nō contraxisset culpam originalem, genus humanum caritarum redemptore? Scio aduersarios huic argumento respondere conatos fuisse; verùm eorum solutionem retuli, & impugnaui suprà n. 104.

108. *Aliter conclusio suadetur.* Denique probatur conclusio: nam si Christus fuit primariò prædestinatus, non in remedium solius culpæ Adami iam commissæ; sed etiam in remedium culparum posterorum iam præcognitarum, inquiro, an remedium omnium culparum singulorum omnium posterorum intrarit finem primarium Incarnationis, vel solùm aliquarum. Hoc posterius non dices, tum quia testimonia Patrum, quæ pro tua sententia allegas, sunt vniuersalia; & si ea tibi patrocinantur, etiam persuadent, finem primarium Incarnationis fuisse remedium omnium posterorum; tum quia desiderium illud antecedens salutis hominum, quo motus Pater filium misit, æqualiter omnes, & singulos homines respexit. Vnde si finis primarius aduentus Christi fuit remedium culparum aliquarum posterorū, eundem remedium culparum aliarum cæterorum intrare debuit. Si verò priùs respondeas, nempe omnia & singula peccata omnium posterorum ante Christum fuisse præuisa, est falsum; tum quia ad plurima peccata actualia præcesserunt auxilia sufficientia per Christum impensa, vt bene Lugo suprà argumentatur: vnde cùm Christus ante illorum auxiliorum collationem fuerit prædestinatus, eundem quoque ante præuisionem prædictorum peccatorum fuisse decretum oportet; tum quia saltem Isaacus, Ioannes Baptista, & alij plures, quos meritis Christi, & sanctorum natos scimus, fuerunt post Christum prædestinatum præuisi, vt ostendam infrà disput. 2. capite 2. Vnde horum peccata originalia, & actualia in mente diuina Incarnationem non præcesserunt, sed eam subsecuta sunt: siquidem peccatum originale, & actuale Isaaci v.g. ipsum Isaacum, & Isaacus Christum præsupposuit.

109. Argumenta, quæ opponi possunt contra prædictam doctrinam, ad duas classes reducuntur; alia suadent Christum ante præuisionem peccati Adami fuisse prædestinatum, & alia eum in remedium omnium peccatorum actualium & originalium fuisse primariò decretum. Verùm quia prioribus Vasquez 3. p. disp. 10. Vasquez. & posterioribus Lugo ibidem Lugo. disp. 7. sect. 5. optimè satisfaciunt, ea omitto.

DISPVTATIO SECVNDA.

An pactum initum cum Adamo, ad homines omnes tunc possibiles sub conditione, si ex Adamo per seminalem propagationem nascerentur, extensum fuerit?

1. *Omnes posteri Adami fuimus in pacto inclusi.* QVamuis certum sit, omnes & singulos homines per seminalem propagationem natos ex Adamo (si Virginem excipias, de qua postea disputabimus) in prædicto pacto fuisse comprehensos, cùm eos omnes in primo parente peccasse, & maculam originalem contraxisse, fides doceat, nihilominùs est dubium satis controuersum, an homines, qui in signo, quo Deus intelligitur pactum iniuisse cum Protoplasto, intra statum possibilitatis continebantur, in præfato pacto conditionaliter, nempe si ex Adamo naturaliter nascerentur, inclusi fuerint. Quam difficultatem, quia nostro instituto valde deseruit, ex professo per varia capita discutere placuit.

CAPVT I.

Sententia quorundam recentiorum refertur, & explodiatur, & argumentis nonnullis fit satis.

2. *Prima sententia.*

PRima sententia ita negat homines possibiles, etiam sub conditione, si ex Adamo orirentur, inclusos esse in pacto, vt id diuinitus fieri nequisse seriò affirmet; & ideo asserit Deum ante intionem pacti, quot homines vsque ad finem mundi essent futuri decreuisse, & eos solùm in pacto comprehendisse: ita aliqui recentiores Complutenses.

3. *Depulsio praedictae sententiae.*

Lugo. Ruicius. Suarez.

Hæc sententia, quòd hominibus sine vlla imperfectione concedi-tur, Deo negare videtur, & ideo contrariam opinionē meritò supponunt Cardinalis de Lugo de Incar. disp. 7. sect. 3. n. 28. Ruicius de Prædestinat. disp. 13. sect. 4. n. 9. Suarius lib. 5 de Opere sex dierum cap. 4. n. 10. & alij communiter. Quæ licèt ex dicendis infrà cap. 2. & 3. falsa appareat, impugnatur.

4. *Eadem opinio impugnatur.*

Equidem Princeps, si miles strenuè se gesserit in bello, ei & filijs, si quos postea habuerit, principatum aliquē promittere; si verò malè, eisdem priuationem principatûs, & nobilitatis comminari valet: quis hoc neget, cùm regiam potestatem non excedat, neque aliquid impossibile inuoluatur? in quo casu, etiam si filij existant post violatam vel obseruatam conditionem appositam, nihilominus præfati filij tempore, quo dictum pactū celebraretur, in eo verè & propriè continerentur; & ideo præfati filij, quando existerent, debitum ad pœnam, vel ius ad præmium haberent. Ergo etiam Deus Adamo, & posteris, si consequentibus signis essent futuri, gratiam promittere potuit, si ipse obediens perseueraret, quamuis eorum existentia ex Adamo eius transgressionem subsequeretur. Sanè Deum simile pactum cum Saule effecisse autumo: Deus enim, vt colligitur ex lib. 1. Reg. cap. 15. decreuerat re- Lib. Regū.
gnum Israeliticum Sauli, & filijs eius in perpetuum, sicut Dauidi, largiri, casu quo in bello Amalecitico bene & obedienter se gessisset. Vnde quia ibi inobediēs fuit, ipse, & eius stirps regno fuit spoliata: Inquiro, an ad celebrandum prædictum pactum fuerit necesse, vt omnes posteri ex Saule fuissent efficaciter decreti, vel non: si hoc dixeris euidenter infertur, Deum quoque potuisse promittere Adamo, & filijs, si quos haberet, gratiam, si mandatis impositis obediret, etiamsi horum existentia ex Adamo non fuisset tunc, sed præuaricationem subsecuta; sicut, te concedente, filij Saulis in pacto illo fuerunt inclusi, etiam si eorum existentia ex Saule post violationem

tionem præcepti fuerit determinata. Si verò respondeas Deū ante prædictam pactionem iam efficaciter decreuisse, quos & quot filios Saul esset habiturus, & ideo illos solùm fuisse in prædicto pacto comprehensos, rem satis dubiam asseueras, vt adnotant Interpretes ad locum Scripturæ citatum, nempe stirpem, quam Saul, si obediens perseuerasset, habuisset, post eius peccatum non fuisse tam citò extinctam; sed vsque ad tempora, v. g. Christi, instar Dauidicæ, duratsse, sicut Saule obediente, durasset.

5. *Alia impugnatio.*

Secundò probatur: Deus potuit habere decretum conditionatum ex parte obiecti, & actuale ex parte voluntatis, quo efficaciter vellet dare hominibus possibilibus iustitiam originalem, si in signis subsequentibus decernerentur futuri ex Adamo obediente, & eam negare, si ijdem possibiles postea haberent existentiam ex Adamo inobediente, quis infitias ibit? tum quia præfatum obiectum est bonum & amabile, & aliunde quiquid bonū & amabile est, à Deo amari non repugnat; tùm quia homines passim similia obiecta conditionata amant & volunt, vt patet in iuramentis, votis, & alijs pactis conditionatis, & quidquid homines amant, Deus quoque amare valet, si peccatum, aut imperfectio non inuoluatur. Vlteriùs, cùm non repugnet Deum sua decreta hominibus manifestare, demus præfatam voluntatem diuinam Adamo fuisse declaratam, ab eoque tam nomine suo, quàm posterorum acceptatam, & consequenter verum pactū inter Deū, & Adamum celebratum. Sanè ex hoc pacto, sicut ex alijs contractibus conditionatis, statim consurgeret obligatio in Deo dandi, vel negandi gratiā omnibus hominibus possibilibus, qui consequentibus signis decernerentur futuri ex Adamo obediente, vel inobediente, & insuper in his omnibus hominibus possibilibus resultaret ius ad hoc, vt, si postea ex Adamo obediente nascerentur, gratia, si verò ex inobediente, peccato afficerentur. Ergo pactum initum cum Adamo potuit dirigi ad omnes homines possibiles sub conditione, si existerent ex Adamo obediente, vel inobediente; siquidem in hactenus dictis nulla apparet implicatio.

6. *Obiectio proponitur.*

Contra hactenus dicta obijciunt primò præfati Recentiores: homines qui ante præuaricationem Adami possibilis erant, etiam inito pacto indifferentes ad illud ingrediendum perseuerabant; siquidem, si Deus illos sine concursu maris, & fœminæ ad statum futuritionis traduceret, in pacto inclusi nullatenus censerentur: ergo vt in pacto absolutè inclusi habeantur, præfatam indifferentiam ablatam esse oportet, cùm implicet

eundem hominem indifferentem ad aliquam rem, & simul ad eandem esse determinatum. Cæterùm cùm solùm præfata indifferentia tollatur per possibilium existentiam ex Adamo iam statutam, planè consequitur homines possibiles non fuisse absolutè in pacto contentos antequàm eorum existentia ex Adamo decerneretur.

7. *Obiectionis satisfactio.*

Vt argumento respondeam, moneo aliud esse homines possibiles esse verè & propriè inclusos in pacto, & aliud eosdem fructum iustitiæ, aut peccati originalis inde deriuatum participare: ad hoc enim posterius non solùm absoluta inclusio in pacto seu futuritio ex Adamo, sed actualis existentia extra causas opus est; cùm nemo, dùm tantùm in statu possibilitatis aut futuritionis manet, Deo amicus, aut inimicus formaliter esse queat: at ad hoc vt quis propriè & verè in pacto prædicto cõprehensus censeatur, non requiritur absoluta in eo inclusio, sed actualis licèt conditionata ex parte obiecti, siquidem per hanc resultat actualis obligatio in Deo ad hoc vt, si possibiles existerent ex Adamo obedienti, felices; si verò ex inobedienti, infelices nascantur. Quo posito, ad argumentum respondeo, homines, dum in statu possibilitatis sepulti manent, non absolutè, sed sub conditione, si ex Adamo orirentur, fuisse actualiter & propriè inclusos in pacto, quod sufficit ad hoc vt in illis, si conditio purificaretur, ius absolutum ad præmium obedientiæ, vel debitum absolutum ad supplicium inobedientiæ Adami pullularet: quod in omnibus alijs pactis, & promissionibus conditionatis euenire videmus. Ad hoc enim vt indulgentiæ v. g. concessæ omnibus euntibus Romam, & septem vrbis Ecclesias visitantibus, tibi quoque concessę censeantur, non est opus vt absolutè eas Romam, sed quòd ius actuale, sed conditionatum, habeas ad hoc vt, si Romam accedas, & visites prædicta templa, eas lucreris: ita ad hoc, vt pactum prædictum homines omnes possibiles comprehendat, sufficit quòd illi, dùm in statu possibilitatis manent, habeant actuale ius, sed conditionatũ ex parte obiecti, ad hoc vt, si ex Adamo obedienti, felices; si verò ex Adamo inobedienti procrearentur, infelices essent.

8. *Cuidam instantiæ respondetur.*

Instabis: homines dùm in statu possibilitatis manent, esse indifferentes ad hoc, vt in pacto sint, vel non sint inclusi; siquidem si consequentibus signis decernatur eorum futuritio ex Adamo, erunt in pacto absolutè inclusi: si verò Deus statuerit eos in statu possibilitatis relinquere, erunt ab eo absolutè excluſi; ergo ante eorum existentiam ex Adamo præuisam, in pacto inuolutè

luti non censentur. Respondeo, prædictam possibilium actualem inclusionem in pacto, non esse absolutam, sed conditionatam ex parte obiecti, vt sæpè repetiui; vnde cùm homines possibiles sint indifferentes ad conditionem requisitam ad inclusionem absolutam in pacto, & ad conditionem requisitam ad exclusionem à pacto; idcirco homines, dum sunt possibiles, sunt conditionaliter inclusi in pacto, & pariter ab eo excluſi. Sunt inclusi conditionaliter in pacto, si orianrur per seminalem propagationem ex Adamo; si verò ex illo non descenderint, à pacto erunt excluſi: si enim Christus sua merita pro omnibus possibilibus, si ex Adamo orirentur, applicuisset, & ab eis meritis homines qui aliunde nascerentur, positiuè excluſisset, homines omnes possibiles conditionaliter inclusi in oratione Christi, & pariter ab eà excluſi censerentur: ita quia Deus solùm homines possibiles, si ex Adamo nascerentur, in pacto comprehensos esse voluit, omnes in eo inclusi, ab eoque pariter conditionatè excluſi fuerunt.

9. *Alia obiectio.*

Vt aliud argumentum formetur, notant præfati Recentiores, voluntates omnium posterorum fuisse ita diuinitus voluntati Adami alligatas, vt in eius obedientiam, vel inobedientiam moraliter influerent: & ideo illo vincente, nos vincere; & illo superato, nos quoque superari diceremur. Vnde aiunt, nos peccasse in Adamo, esse nos moraliter influxisse in dictam transgressionem, & hunc nostrum moralem concursum non retractatum in nobis manentem, esse nostram culpam originalem, quà maculati concipimur: ex quo apparet voluntates omnium inclusorum in pacto, fuisse transfusas in voluntate Adami ante eius præuaricationem, alioquin eos ad eius culpam moraliter non concurrerent. Quo posito, inquirunt, an voluntates omnium possibilium, antequam eorum existentia præuideretur, fuerint transfusæ in voluntate Adami, vel non: hoc posterius est falsum; nam sequeretur inclusos in pacto moraliter non influxisse in culpam Adami, & consequenter neque in eo peccasse, neque delictum originale incurrisse, siquidem ad concursum moralem transfusio voluntatum omnino requiritur: quare si præfatorum voluntates ante Adami præuaricationem in primo parente transfusæ negantur, eas quoque ad dictam culpam moraliter influxisse negare decet: Si verò respondeamus prædictas voluntates omnium possibilium fuisse ante culpam Adami in eo transfusas, iterùm inquirunt, an voluntates omnium possibilium vt potentium exire ex Adamo, fuerint absolutè in eo transfusæ,

vel sub conditione, si præfata potentia reduceretur ad actum, & postea ex illo tandem nascerentur. Prius nemo dicet, quia iam sequeretur omnes possibiles vt potentes descendere ex Adamo, in eius transgressionem moraliter influxisse, & consequenter in eo peccasse, quod est ridiculũ. At si dicamus posterius, nempe voluntates possibilium conditionaliter solùm fuisse transfusas in voluntate Adami, infertur eas absolutè non fuisse transfusas donec conditio verificetur, seu donec existentia eorum ex Adamo futura decernatur, quæ cùm iuxta nostram opinionem post præuaricationem Protoplasti statuatur, planè deducitur prædictas voluntates, non ante, sed post culpam Adami in eius voluntate fuisse absolutè constitutas. Ex quo iam sequitur, homines possibiles in culpam Adami non influxisse: nam ad hoc vt in opus alterius moraliter influere dicaris, tua voluntas in physicè operante absolutè transfusa esse debet; alioquin si tua voluntas in eo absolutè transfusa non est, sed solùm transfunderetur, si hæc, vel illa conditio esset; ad opus illud nõ concurristi, sed cõcurrisses; si conditio illa apponeretur; & consequenter non peccasti, sed peccauisses, quod diuersum est. Declaratur, si influximus moraliter & actu in culpam Adami, maximè in signo, quo deliquit Adamus, vel in posteriori quando nostra existentia ex Adamo determinata fuit; sanè in signo quo peccauit Adamus nos nullatenus deliquimus: siquidem tunc, cùm posterorum existentia non fuerit statuta, nostræ voluntates absolutè in Adamo non erant collocatæ; & ideo ad illam culpam tunc moraliter concurrere nequiuimus. Insuper in signis sequentibus non erat exercitium actuale voluntatis Adami; sed fuerat, quare in illis signis cum Adamo non sumus operati; & consequenter tunc neque moraliter influximus, neque peccauimus.

10. *Solutio prædata obiectioni adhibetur.*

Argumentum relatum satis robustum est contra Cardinalem de Lugo, Suarium, & alios, qui peccatum originale in concursu nostro morali in culpam Adami non retractato, consistere volunt; at contra P. Vasquez, & eius discipulos, asserentes culpam originalem non in concursu morali posterorum in delictum Adami, sed in alia formalitate constitutum esse, debile & infirmum est. Nam iuxta hanc nostram opinionem, peccasse in Adamo, non est nostras voluntates, vtpote voluntati Adami alligatas, in eius delictum moraliter concurrisse; sed Adamum meruisse, vt iuxta pactum eius posteri iustitiã promissã spolientur (vt ostendimus suprà disput. 1. cap. 3.) cùm autem non omnibus possibilibus vt sic, sic, sed eisdem, si ex Adamo nascerentur, Deus iustitiam originalem promiserit; idcirco Adamus non meruit pœnam omnibus possibilibus, sed solùm nascituris, & consequenter non omnes possibiles, sed solùm ex Adamo orituri peccarunt. Neque obstat si dicas Adamum meruisse pœnam omnibus inclusis in pacto; vnde cùm omnes possibiles in eo fuerint absolutè comprehensi, omnibus iustitiam demeruit; hoc, inquam, non obest, nam Adamus non meruit absolutè pœnam omnibus inclusis, sed conditionatè, si nascerentur. qnare cùm homines possibiles, qui in statu possibilitatis iacent, non sint vnquàm orituri; idcirco illis nihil mali promeruit; sed solùm ijs qui in signo posteriori futuri sunt decreti.

11. *Alterius oppugnationis satisfactio.*

Denique obijcies, si Deus non homines tunc futuros, sed omnes etiam possibiles, qui nascerentur ex Adamo, in pacto contineri voluit, iam eius scientia, & voluntas ad multitudinem confusam terminaretur, quod diuinæ perfectioni non decet; cùm quidquid Deus amat, & intelligit, clarè & distinctè, & in particulari cognoscatur, & diligatur: quapropter in materia de scientia Dei tradidimus cum communiori sententia, neque iudiuiduum vagum, neque multitudinem in confuso à Deo amari aut cognosci posse. Sequela probatur: nam Deus non inclusit in pacto absolutè omnes homines, quos per scientiam simplicis intelligentiæ in illo signo possibiles cognoscebat; sed sub conditione quòd ex Adamo nascerentur: cùm autem pro illo signo nulli determinati essent ex primo parente orituri, idcirco scientiam & voluntatem diuinam pro illo signo fuisse terminatam ad multitudinem confusam, vel indiuidua vaga oportet concedere, sicut Cardinalis de Lugo suprà n. 39. admittere videtur. Enimuero si præfatum argumentum robustũ esset, plurima Dei decreta & leges è medio tollerentur: Deus enim, vt in die festo hanc vel illã Missã audiamus, & in Paschate hanc vel illam hostiam consecratam accipiamus, expressè desiderat, & si iniuriam proximo in bonis fortunæ intulimus, hanc vel illam numero pecuniam v. g. eidẽ restitui mandat: quapropter respondeo, neq; in his casibus, neque in casu pacti initi cum Adamo, Dei scientiã, aut voluntatem ad indiuidua vaga, vel multitudinem confusam, sed ad indiuidua determinata, & multitudinem expressam terminari. Deus enim in signo, quo pactum celebrauit, cognouit distinctissimè per scientiam simplicis intelligentiæ, omnes & singulos homines possibiles, cognouit etiam possibile esse, vt omnes, & singuli ex Adamo propagarẽtur, fecit ergo Deus hoc

Lugo.

hoc modo contractum. Si meum præceptum obseruaueris. ô Princeps gentis humani, cõfero tibi iustitiã originalem pro hoc, & illo, & illo, & sic de reliquis, homine possibili, si ego in signis sequentibus eos ex te ad existentiam venturos, statuerim: in quo decreto nulla confusio apparet. Quòd verò Deus ex vi pacti non agnouerit, qui tandem forent ex Adami propagandi, non reddit eius scientiam obscuram, cùm id in omnibus promissionibus conditionaris reperiatur: Deus enim ex vi pacti prædicti non præuidit absolutè, an Adamus esset vel nõ esset diuino præcepto obtemperaturus, & tamen illam conditionem in pacto fuisse expressam omnes admittunt: ita licèt Deus ex vi pacti, non fuerit assecutus per scientiam absolutam quosnam ex possibilibus esset ad statum futuritionis traducturus, eos in pacto includere potuit.

CAPVT II.

Alia sententia recensetur, & impugnatur.

12. *Alia opinio recensetur.*

SEcunda sententia, licèt Deum diuinitus omnes possibiles in pacto inuoluere valuisse, fateatur; at de facto solùm eos, qui ante initionem pacti erant futuri, in eo non inclusos esse vult. Pro quo norant huius sententiæ patroni, Deum in signo, initionem pacti antecedenti, decreuisse absolutè, qui ex possibilibus essent ad statum futuritionis traducendi, & eos de facto futuros ex Adamo determinasse; quo præsuppositio decreto, Deus Adamum caput physicum & morale eorum constituit, eique præfatis solùm futuris iam præuisis iustitiam originalem, si conditionem appositam obseruaret, promisit; si verò eam violaret, mortem corporis & animæ eisdem comminatus fuit. Ex quo inferunt primò, si Deus, visa præuaricatione Adami, aliquem ex statu possibilitatis ad statum futuritionis traduceret, illum non peccaturum in Adamo, neque culpam originalem incursurum; siquidem Deus solùm inclusis in pacto mortem comminatus est, & præfatus in pacto non fuit inclusus. Secundò aliqui inferunt B. Virginem non fuisse præuisam inter illos futuros, sed post præuaricationem Adami, imò post mortem Christi, quare eam in pacto inclusam fuisse negant. Fundamentum præcipuum huius opinionis est, quia iuxta eam B. Virgo à peccato originali & eius debito facilè liberatur, ita Salazar de Concept. cap. 1. §. 7. n. 40. Bernal. de Incarnat. disput. 16. sect. 3. idem sequitur Suarius suprà n. 3. relatus, si demas secundam illationem de B. Virgine. Salazar. Bernal. Suarez.

Fundamentum, cui secundùm prædictos recentiores Mariana im-

13. *Præfata opinio innititur fundamentis infirmis.*

Scotus.

S. Greg. Suarez. Molina. Ansel.

immunitas à peccato innititur, fulcris infirmis sustentatur, & ideo illud nutare necesse est. supponit enim primò homines, qui post præuaricationem Adami reprobantur, fuisse futuros in statu naturæ felicis, quod incertum est; imò iuxta doctrinam Scoti in. 2. dist. 20. q. 2. falsum: nam vel illi tunc quoque fuissent reprobi, vel prædestinati: si priùs respondeas, manifestè non solùm S. Gregorio lib. 4. Moral. cap. 35. alias 28. (vt fatentur Suarius lib. 5. de Opere sex dierum cap. 9. & Molina 1. p. tract. de Opere sex dierum disput. 33.) sed etiam D. Anselmo lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. post medium, contradicis: Si verò respondeas cum nonnullis, quos refert Suarius lib. 5. de Opere sex dierum cap. 4. n. 1. illos, si Adamus non peccasset, futuros prædestinatos; rem valde incertam asseueras, vt bene Suarius adnotauit: nã ex nullo capite id suaderi potest.

14. *Incertum est an reprobi exstitissent, si status innocentiæ perseueraſſet.*

Secundò supponit prædicta opinio, Deum eo ipso quòd pactum iniuit, mansisse obligatum ad producendum omnes reprobos, & prædestinatos, qui vsque ad finẽ mundi futuri sunt: vnde supposito pacto, non valuit vllius hominis existentiam prætermittere; siquidem Deus decreuit efficaciter ante præfatum pactũ, qui homines essent futuri, & aliunde Deus, quod semel efficaciter decreuit, & vidit futurum, vt non fiat, statuere non potest: quod etiam incertum, & forsan falsum est: tum quia Patres, vt fatetur Salazar de Concept. cap. 24. n. 32. seriò pronunciant mundi finem & subuersionem, saltem quoad reprobos, maturandam esse ob peccata hominum: tum quia Chrysostomus hom. 5. de pœnit. ait: Esau de mundo non fuisse sublatum, ne mundus Raguele, Sara & Iob, quos postea Esau genuit, priuaretur, de quo iterum infrà n. 22. sermo redibit. Salazar. S. Chrys.

15. *Etiam est dubium, an idem numerus hominũ fuisset in statu naturæ integræ & corruptæ.*

Tertiò supponit: eundem numerum hominum futurum in statu innocentiæ, si Adamus non peccasset, qui est post eius transgressionẽ in statu naturæ corruptę; quod teste Suario suprà n. 5. nõ solùm est incertũ, sed forsan falsũ, vt tradit. S. Thomas quodl. 5. art. 8. nam tunc omnes peruenirent ad maturam ætatem, & generarent, vt expresè docuit S. Thom. 1. p. q. 99. art. 2. ad. 3. Suarius suprà. cap. 2. Molina 1. p. tract. de Opere sex dierum, disput. 33. & alij apud ipsos: attamen modò plures in pueritia, seu infantia decedunt, & plures steriles reperiuntur, quod arguit in statu naturæ integræ plures numero homines, quàm erunt in statu naturæ corruptæ, orituros. Neque satisfacies respondendo, tunc mundum tanto tempore, ac modo durabit, non permansurum; & ideo numerum eundem hominum, S. Thom. Suarez. Molina.

minum, qui breuiori tempore in statu naturæ integræ produceretur, nunc producendum longiori. Hoc, inquam, non obest; cùm nos penitùs lateat, an mundus eodem, an inæquali tempore esset duraturus in statu naturæ integræ, ac permansurus est post peccatum Adami.

16. *Aliud fundamentum dubium.*

Quartò supponit prædicta opinio, non solùm numerum hominum futurum æqualem in statu felici & infelici, sed eosdem prorsus homines esse orituros in vtroque statu; quod non solùm S. Thomas. est incertum, sed S. Thom. quodl. citato id esse falsum demonstrare se putat, ex eo quòd variato patre filium quoque variari necesse Molina. est, vt benè Molina suprà; vnde cùm in statu naturæ integræ plures, quàm modò gignunt, generarent; idcirco plures in statu naturæ integræ essent, qui in statu naturæ corruptæ non sunt.

17. *In statu naturæ integræ tot fuissent viæ fœminæ.* S. Thom. Suarez.

Vt aliud argumentum proponam, duo aduerto: aliud in statu naturæ integræ tot futuras fœminas, ac viros: ita S. Thomas 1. p. q. 99. art. 2. ad 3. & sequuntur communiter Theologi, fundamẽta vide in Suario lib. 5. de Opere sex dierum cap. 3. n. 14. Aliud est, in statu naturæ corruptæ numerũ virorum numero fœminarũ longè minorẽ esse, vt experientia docet. Neque audiendi sunt aliqui recentiores Complutenses, qui, vt argumentũ effugiant, tradiderũt, licèt hic numerus fœminarũ numerum virorum excedat, at alibi illum ab hoc superari; & ita, factâ computatione omnium fœminarum & virorũ in fine mundi, numerum vtriusque sexus euasurũ æqualem. Hoc, inquam, non solùm est diuinare, sed malè diuinare: nam si agamus de fœminis, & viris, qui sunt, & hactenus præcesserunt, experientia & historia persuadet, viros in numero à fœminis excedi: si verò agamus de viris, & fœminis orituris, idẽ futurum, quod hactenus euenit, debilitas ipsius naturæ demonstrat.

18. *Argumentum deducitur.*

Ex quo sequitur in statu naturæ integræ vel futuros fuisse multos viros, qui in statu præsentis naturæ non erunt; vel in statu naturæ corruptæ plures fœminas fuisse productas, quæ, si Adamus non deliquisset, nõ fuissent, siquidẽ aliter inæqualitas numeri virorum & fœminarum, ad æqualitatem reduci nequit, vt patet. Inquiro ergo, an Deus post præuaricationem Adami, addiderit fœminas numero fœminarum, quas ante initionem pacti futuras statuerat; vel si Adamus in sanctitate perseueraſſet, addidisset viros eis, qui ante pactum erant decreti. Prius non dices, nam iam illæ fœminæ auctæ, pactum non intrauissent; & consequenter neque peccassent in Adamo, neque maculam originalem contraxissent, quod fateri nullus Catholicus audebit. Si verò posterius asseras, se-

sequeretur, illos viros superadditos non habituros ex vi pacti iustitiam originalem; siquidem in pacto non fuerunt inclusi, & illam solùm in pacto comprehensi erant participaturi.

19. *Effugium præcluditur.*

Respondẽt Aduersarij, Deum in illo signo præuaricationem Adami, & pactum antecedenti, numerum hominum, non quoad accidentia, sed quoad substantiam, decreuisse, vnde, cùm diuersitas sexuum sit accidentalis, hanc in illo signo non statuit, sed postea, visa naturæ corruptione, illum numerum hominum iam præuisum in duplicem classem virorũ, & fœminarum diuisit, & voluit, vt tales & tales, qui in statu naturæ integræ essent viri, fœminæ modò nascerentur, & è contrario, quo fit, vt sine additamento hominũ inæqualitas vtriusque sexûs in statu naturę integræ ad æqualitatem facilè reduceretur. Fateor cum Suario suprà cap. 4 id possibile esse; attamen, vt ait Paulus ad Paul. Rom. 11. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* & quis affirmare valebit, Apostolos v. g. in fœminas, & S. Agnetem, Claram, & alias insignes Virgines, si Adamus obediens permanisset, in viros conuertendas fuisse. Ad summum dicere possumus, eosdem homines, qui sunt in statu naturæ corruptę, futuros fuisse in statu naturæ integræ, vt qui miserias ortas ex peccato Adami participamus, fructu illius obedientiæ frueremur: at negare Deum, si Adamus obediẽs fuisset, nouos alios viros producturum, vel asserere numerũ hominum in vtroque statu futurum fuisse earumdem prorsus personarum, & omnino æqualem, incertum est; & ideo à nullo mortalium asseruerari potest.

20. *Aliud argumentum.*

Præterea impugnatur prędicta sententia: nam Isaacum, Ioannem Baptistam, & nonnullos alios insignes viros & fœminas, precibus sanctorum, & consequenter ex meritis Christi natos, scimus, vt constat ex historia sacra vel Ecclesiastica: vnde prædictos non ante præuaricationem, aut initionem pacti; sed post Christi prædestinationem præuisos fuisse oportet: quare si in pacto, non homines tunc possibiles, sed solùm, qui ante initionem illius fuerant decreti futuri, fuerunt inclusi; sequitur, neque Isaacum, neque Baptistam, neque alios similes in pacto fuisse comprehensos; & consequenter eosdem neque in Adamo peccasse, neque culpam originalem contraxisse; quod absurdum esse nemo ignorat.

21. *Aliqui respondent præfato argumento.* Salazar.

Huic argumento respondent Salazar de Concept. cap. 17 §. 2. & nonnulli alij, Ioannem Baptistam, Isaacũ, & alios similes ante initionem pacti fuisse iã futuros; vnde etiam si Christus non venisset, illi nascerentur; nihilominus subiungunt prædictos meritis Christi, aut precibus sanctorum

ctorum natos, non quia Christus meruit, vt illi ex statu possibilitatis ad statim futuritionis traducerentur; sed quia meruit, vt illi, qui alias erant nascituri, orirentur ex his numero parentibus, & in hoc tempore, & non ex alijs, aut in alio tempore. quod probant ex Augustino epist. 115. & serm. 11. de Verbis Apostoli à cap. 4. vsque ad 12. vbi ait: *Etenim Christus non est mortuus, vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt viuificarentur.* Sanè si Christus, vt aliqui ex statu possibilitatis ad futuritionem seu existentiam suis meritis effecisset; ipse, vt homines conderentur, mortuus fuisset; quod Augustino contradicit. Confirmatur: nam Concilium Palæstinum (vt constat ex epist. 50. Augustini) agens contra Pelagium, gratiam creationis à gratia per Christum distinguit, & illam per Christum nobis dari negat: cùm autem traductio hominum possibilium ad statum futuritionis, sit gratia creationis (vt liquet) idcirco eam per Christum collatam fuisse negari oportet.

Auguſt.

Concil. Palæſtinum.

22 *Reiicitur ſolutio.*

Enimuero si præfata solutio benè perpendatur, non solùm fundamento carere, sed etiam Philosophiæ, & Theologiæ eam repugnare comperiemus. Primò firmâ Philosophiâ non nititur: nam, vt in libris de Generatione tradidimus, effectus ita à causis quas habent, procedunt, vt ab alijs numero distinctis, saltem naturaliter, produci nequeant, vt supponit S. Thomas quodl. 5. ar. 8. quo nixi fundamento, resurrectionem, seu effectuum reproductionem naturaliter non posse accidere, stabiliuimus: vnde si Deus in signo, pactum præcedenti, prædictos homines decreuit futuros, eorum quoque parentes decernere debuit, vt naturaliter prodirent, & ne miracula sine necessitate multiplicarentur. Cõfirmatur ex illo Eccles. 7. *Honora Patrem tuum, & gemitum matris tuæ non obliuiscaris, memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Quibus verbis denotatur, iuxta ordinationem diuinam, & seriem causarum, ita nos à nostris parentibus dependisse, vt illis ablatis nunquàm essemus. Adhæc, si sacra vel Ecclesiastica historia innuente aliquos ob merita Christi, vel sanctorum esse natos, adhùc sentimus, illos, non futuritionem, sed designationem progenitorum ex Christo habuisse; quilibet eodem modo dicere potest, non solùm vinum nuptiarũ Galilææ, & panes mulplicatos in deserto, & alios innumeros effectus naturales, miraculosè per Christum, vel eius seruos productos; sed etiam omnes habitus supernaturales fuisse distinctè ante Christum futuros; & ita Christum solùm effecisse, vt illi his vel illis applicarentur; quod absurdum esse nemo ignorat.

S. Thom.

Eccleſia.

Præ-

23. *Iterum solutio relata expldoitur.*

Præterea præfata solutio vt minimum caret fundamento, cùm nullũ aliud appareat, quàm præconceptam opinionem de decreto futurorum ante culpam Adami tueri. Vel dicant Aduersarij, vnde sciant Isaacum, Ioannem Baptistam, & alios similes, ex alijs parentibus nascituros, etiam si ab illis, quos de facto habuerunt, non processissent; respondent, quia, teste Augustino suprà numero 21. relato, Christus, non vt homines conderentur, sed vt iustificarentur, mortuus est. Infirma quidem responsio: quippe si præfatum testimonium, vt sonat, accipitur, etiam conuincit, vt benè obseruauit Cardinalis de Lugo de Incarnat. disput. 7. numero 30. pluuias, abundantiam tritici, & alios innumeros effectus, quos per merita Christi quotidie à Deo petimus ex Christo non descendere; siquidem Christus, non vt pluat, aut manducemus, & frumentum habeamus; sed vt iustificemur, mortuus est. Secundò conuinceret præfatum testimonium generationem numericam, quâ Ioannes Baptista v. g. genitus fuit, Christum non promeruisse; & ideo Christus, aut Sancti suis precibus, vt præfati ex his numero parentibus nascerentur, non effecerunt; quod ipsi Aduersarij meritò negant. Sequela probatur, quia Augustinus, & Patres Palæstini n. 21. citati, gratiam creationis à gratia per Christum contra Pelagium, in eo distinguunt, quòd illa nobis existentiam conferat eo modo, quo contulisset, si in pura natura fuissemus: at hæc nos iã creatos, & extra causas per generationem actualiter constitutos, moraliter perficit, & iustificat; & non illam, sed hanc per mortem Christi oriri volunt. Enimuero generatio numerica, quâ Ioannes Baptista à Zacharia, & alij similes à suis parentibus generantur, non est gratia iustificationis, sed creationis, vt liquet: vnde si, testibus Aduersarijs, quia futuritio hominum possibilium non est gratia iustificationis, sed creationis, quâ Pelagius admittebat, secundùm Augustinum, non oritur ex Christo, etiam quòd præfatis tales parentes sint designati, gratia Christi non erit. Quod adhuc solidius apparebit, si aduertas, Augustinum non de traductione hominum possibilium ad statum futuritionis; sed de generatione numerica, quâ producuntur, locutum fuisse, vt verba præseferunt. Vnde si ea, vt sonant, vsurpentur, significant, Christum non meruisse, vt præfati ex his numero parentibus, aut per hanc numero actionem gignantur. Quapropter omnes Augustinum interpretari debemus. Aio ergo, Augustinum negasse Christum mortuum fuisse pro conditione hominum, vel quia conditio, & futuritio hominum tam carò ei

Auguſt.

Lugo.

non stetit; siquidem forsan prædicta omnia naturalia alijs operibus meritorie consecutus est; vel si pro illis fuit passus, suam mortem principaliter non pro nostra existentia aut futuritione, neque pro eo vt ex his parentibus generaremur; sed pro nostra iustificatione Patri obtulit. Et quia Augustinus agebat de gratia, pro cuius consecutione Christus principaliter mortuus est, & quam ardentissime nobis conferre desiderauit; & hæc gratia non est naturalis generationis, sed supernaturalis, & iustificationis, idcirco non pro illa, sed pro hac Christum mortuum fuisse pronunciauit. Aliam explicationem Augustini adducit Lugo supra disput. 7. sect. 3. n. 30. vide si placet: quo conuulsum manet fundamentum Aduersariorum.

Lugo.

CAPVT III.

Verior sententia stabilitur, & nonnullis argumentis satisfit.

24. *Verior opinio aperitur & probatur.*

VErior sententia asserit, omnes & singulos homines, qui ante præuaricationem Adami possibiles erant, fuisse inclusos in pacto sub conditione, si ex Adamo per seminalem propagationem orirentur. Ita Cardinalis de Lugo de Incarnat. disput. 7. sect. 3. n. 28. Ruiz de Prædestin. disput. 13. sect. 4. n. 9. Probatur non solùm ex dictis contra præcedentes opiniones; sed etiam ex communi doctrina Patrum, & Theologorum absolutè asserentium, per Adamum totam naturam humanam esse corruptam, & venenatam. Sic locutus est Paulus ad Ephes. 2. dum ait: *Eramus naturâ filij iræ*, id est (vt ait Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 12.) *deprauatâ peccato.* Insuper idē Augustinus lib. 18. de ciuit. cap. 3. & serm. 14. de verbis Apost. & sæpè alibi, naturam humanam per peccatum Adami vitiatam, aut venenatam scribit. Eumdem modum loquendi obseruauit Bernardus lib. de præcep. & dispens. cap. 15. dum sic fatur: *Quæ* (id est inobedientia Adami) *valuit non solùm obligare personam, sed & vitiare naturam*, & S. Anselmus lib. de Concept. Virginis cap. 7. *Persona erat, quæ erat Adam, natura quod homo, fecit ergo homo peccatricem naturam, quia vbi Adam peccauit, natura peccauit*: Eadem fuit mens S. Anselmi lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. ad medium, vbi ita scribit: *Quemadmodum tota natura humana, quæ erat in parentibus primis, tota in eis victa est, vt peccaret; ita in eisdem tota vicisset, si non peccasset.* & S. Iustinus Martyr lib. de Trinit. *Adam vniuersam naturam huic debito obnoxiã reddidit.* Eandem sententiam sæpe apud Patres repetitam inuenies; vnde solùm referam verba S. Thomæ. 1. p. q. 100. art. 1. vbi ait:

Paulus.

Augusti.

Bern.

Ansel.

S. Iustinus.

S. Thom.

Fuit

Fuit donum (nempe iustitia originalis) *diuinitus datum toti naturæ, & hoc apparet, quia oppositæ sunt vnius generis: peccatum autem originale, quod opponitur illi iustitiæ, dicitur esse peccatum naturæ.* Ex quo infero, in pacto omnes homines possibiles, casu quo ex Adamo per viam naturalem descenderēt, fuisse inclusos; alioquin si exclusis possibilibus, solùm qui tunc erant visi futuri, in pacto fuissent contenti, præuaricatio Adami non totam naturam (vt ait S. Thomas suprà) neque absolutè naturam; sed eius partem minimam infecisse, aut corrupisse diceretur.

25. *Euasioni occurritur.*

Neque satisfaciunt Aduersarij, dum respondent, Patres non locuros fuisse de natura humana secundùm totam suam latitudinem; sed de ea, vt restricta ad omnes homines præuisos futuros: nam prædicta solutio videtur vim inferre non solùm S. Thomæ asserenti, iustitiam originalem fuisse datam toti naturæ; sed etiam alijs Patribus absolutè appellantibus naturam vitiatam, quo denoratur Patres nomen *naturæ*, prout omnia sua indiuidua includit, vsurpasse. Quod clariùs colligitur ex verbis Anselmi citatis, vbi, postquam dixerat, naturam esse idem ac hominem, superaddit, *fecit ergo homo peccatricem naturam*; quo innuitur naturam humanam specificam esse vitiatam, casu, inquam, quòd ex propagatione naturali eius indiuidua nascerentur. Confirmatur: nam Patres prædicti non solùm absolutè naturam vitiatam appellant, sed etiam inde inferunt, omnes posteros Adami maculatos prodire, nempe quia naturam infectam participant, vel fructus sunt naturæ, seu radicis venenatæ. Ita argumentatus est Sanctus Thomas 3. p. q. 8. art. 5. ad 1. *Deriuatur* (scilicet peccatum originale) *ad posteros secundùm quod natura corrupta corrupit personas.* Sanctus Augustinus in Hipognost. ad art. 2. *Homo genuit hominem sine dubio peccatorem, quia de natura, vt dixi, peccato vitiata, non nisi natura nasceretur vitiata.* Eodem argumento alii Patres passim vtuntur: & Tridentinum sess. 6. capite 3. sic ait: *Homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cùm ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant.* Qui sanè discursus infirmus foret, si tota quanta est natura, seu si omnes homines possibiles sub dicta conditione in pacto non includerentur; siquidem hæretici sentientes prolem iustorum, seu baptizatorum, maculatam non oriri, facilè argumento prædicto responderent, naturam non totam, seu quoad omnia indiuidua, sed quoad aliqua esse vitiatam; & ideo licèt prædicti sint homines,

S. Thom.

Augusti.

Trident.

mines, non sequi eos esse peccato innodatos. Confirmatur & pariter declaratur discursus: Deus, inito pacto, imò visa præuaricatione Adami, decernere potuit, vt aliqui ex hominibus, qui tunc intra statum possibilitatis continebantur, transirent ad statum futuritionis, & tandem ex Adamo per propagationem seminalem nascerentur (sicut tunc statuit, vt B. Virgo, & humanitas Christi futuræ essent) siquidem in hoc nulla apparet implicantia. Quo posito decreto, inquiro, an illi homines post præuaricationem Adami decreti, quando per seminalem propagationem nascerentur ex Adamo, contraxissent culpam originalem, vel non? Si illud respondeas, sequitur euidenter illos in pacto fuisse inuolutos, & consequenter pactum ad possibiles se extendisse; siquidem præfati in Adamo peccassent, & culpam contraxissent, & aliunde solùm inclusi in pacto præfatis pœnis subdantur. Si verò respondeas posterius, nempe prædictos carituros peccato originali, & Adamum eis non perditurum fuisse iustitiam, est falsum; quia opponitur Concilio Tridentino, & Patribus modò citatis, vt ibi arguebam.

16 *Aliud effugium occluditur.*

Neque satisfacies respondendo, Concilium, & Patres pro certo supposuisse, omnes, quotquot erunt, fuisse ante præuaricationem Adami decretos futuros, quo supposito, nos omnes maculatos esse ex eo quòd filij naturales Adami simus, optimè deducunt. Hoc, inquam, non obest: nam Concilium supponere non potuit ad suas definitiones, doctrinam, quæ est valde dubia & incerta, & à nullo ex Patribus tradita, tamquam certam, vt liquet. Quapropter cùm solùm Theologi supponant, pactum cum Adamo interceßisse (vt vidimus suprà disput. 1. cap. 1. n. 4.) & sit valdè dubium & incertum, & saltem à nullo ex Patribus traditum, sed à paucis Theologis, & his recentibus, an pactum fuerit ad solùm futuros iam præuisos restrictum, seu an ad contractionem peccati originalis prærequiratur, quòd fuerimus ante præuaricationem primorum parentum decreti futuri, idcirco Concilium, & Patres inferentes, nostram maculam originalem ex eo solùm quòd per Adamum naturaliter deriuemur, prædictam doctrinam non supponunt, sed potiùs euertunt, vt suprà n. 24. argumentabamur.

Contra nostram sententiam plura opponunt Aduersarij, quæ retulimus, & soluimus suprà cap. 1. à n. 6. Difficilius argumentum, quod restat soluendum, est: nam si homines non fuerunt decreti futuri ante præuaricationē Adami, sed post ipsam, imò post Christum iam præuisum; sequeretur

17 *Obiectio.*

rerur Christo nostram futuritionem adscribi debere, cùm sit ei glorioßum, vt omne beneficium, siue naturale, siue supernaturale, nobis post eius præuisionem impensum, ex eius meritis proficiscatur. Consequeus autem est contra Augustinum, supra cap. 2. n. 21. relatum, asserentem, Christum, non vt homines conderentur, sed vt iustificarentur, passum fuisse, ergo &c.

28. *Responsum ad obiectionem.*

Miror homines doctos doctrinam multorum Doctorum, & ab Scriptura insinuatam, reputare absurdam. Sanè S. Bernardus

Bern.

serm. 3. in Salue regina, ait: *Propter hanc* (ideſt Virginem) *totus mundus factus est.* Est sententia communis antiquorum Rabbinorum, quos citat, & sequitur

Rabbini. Benedictus Fernandez. Galatinus.

noster Benedictus Fernandez in cap. 1. Genes. sect. 1. n. 5. Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 2. vide Salazar de Concept. cap. 3. vbi hanc doctrinā illustrat. Si ergo absurdum non est, omnes creaturas Christo adscribere; inconueniens non erit, hominum futuritionem Christo, & Mariæ attribuere. Præterea innumeros homines ob virtutem parentum, vel precibus sanctorum ortos fuisse scimus: cap. enim 22. Genes. promittitur Abrahamo in præmium

Genes.

suæ obedientiæ, *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris*: & alijs parentibus multiplicatio filiorum passim Deus pollicetur, vt constat ex illo Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans* & sæpè alibi; ergo nefas non est asserere, cæteros omnes, præter Adamum & Euam, ex meritis Christi descendisse: sic enim Christo magis obligati erimus; siquidem ei vitam naturalem & supernaturalem debebimus. Neque hactenus dicta Augustino aduersantur (vt dicebamus suprà n. 23.) ille enim, vt bene aduertit Cardinalis de Lugo de Incarnat.

Psalmi.

Lugo.

disput. 7. sect. 3. n. 30. non voluit negare Christo futuritionem hominum, & aliarum rerum naturalium; sed solùm pro ea ipsum primariò non fuisse mortuum; sed ob solam hominum iustificationem: & ita inter iustificationem, & hominum futuritionem, hoc discrimen intercedit: nam iustificatio nostra vt sic, seu specifica, aut generica post præuaricationem Adami, nisi Christus moreretur, nullatenus esset; at homines vt sic, seu species humana multiplicaretur, etiamsi Christus passus non fuisset; siquidem Deus ex eo, quod pactum iniuit cum Adamo, & ei mortem spiritualem, & coporalem filiorum comminatus est, si conditionem appositam violaret, se quodammodo obligauit ad conseruandum, & multiplicandum speciem humanam. Denique præfatam obiectionem contra Aduersarios facilè retorquere possumus. Pro quo aduerto

iuxta ipsorum doctrinam, Deum ante initionem pacti celebrati cum Adamo, indiuidua omnia naturæ humanę, non quoad accidentia, sed solùm quoad substantiam illorum statuisse; quare, vt retulimus suprà n. 19. & 21. Deus in illo signo nō determinauit omnes generationes numericas posterorū Adami, neq; quinā ex illis viri, & quinam fœminæ futuri essent: hoc enim Deus post Christū iam prædestinatum mortalem decreuit. Vnde ille horum omnium accidentium causa meritoria esse potuit. Quo posito, inquiro, an Christus fuerit mortuus pro distributione horū accidentium, vel non. Si prius non dissonat, nescio quo iure absurdū reputas, Christū substantiā quoq; omniū hominū promeruisse? siquidē vtrobique eadē ratio esse videtur. Si posterius asseras, eodē fundaméto quilibet respondere poterit, Christū potuisse, sed noluisse sua merita pro futuritione hominum offerre sicut potuit, sed noluit ea pro distributione prædictorum accidentium applicare.

29. *Obiectio.* Tandem obiicies, si omnes homines qui latebant in statu possibilitatis, quando Deus pactū iniuit cum Adamo, pactū intrarunt; sequitur humanitatē Christi in eo quoq; fuisse comprehensam; siquidem illa tunc erat in statu possibilitatis, quod absurdū est. Quis enim dicet eius sanctitatē ex voluntate Adami dependisse? aut eā post delictum Adami in periculo peccandi, sicut reliquos homines, fuisse constitutā, & consequenter indiguisse Redemptore, qui illam ab eo periculo vendicaret? Huic argumento facilè quilibet respōdere posset, humanitatē Christi, ob eius excellentiā, pactum non intrasse, etiamsi reliqui omnes homines possibiles pactum introierint. Insuper, vt præfata obiectio aliter infringatur, & pariter via ad ea, quæ disputatione sequenti de inclusione B. Virginis in pacto dicam, complanetur, adnotare placet, humanitatem Christi Domini, dum ipsa erat in statu possibilitatis sepulta, duplici modo considerari posse, alio, prout poterat cum sua subsistentia creata prodire (sicut cæteræ aliæ humanitates) ex Adamo per seminalem propagationem, & alio, prout poterat verbo vniri & nasci ex Virgine sine opera viri. Hoc posteriori modo humanitas Christi considerata, pactum nullatenus intrauit: tum quia pactum solùm inuoluit eos, qui per seminalem generationem ex Adamo fuissent orituri, vt colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 3. tum quia humanitas sic accepta, futura fuisset infinitè sancta, si tandem aliquando exstitisset, & omnino impeccabilis, vt communiter Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 15. art. 1. fatentur, cum quo eam secundùm dictam formalitatem pactū introiuisse non subsistit. Attamen si

30. *Responsio ad obiectionem.*

si consideretur humanitas Christi, prout poterat cum subsistentia creata, illi naturaliter debita, oriri ex Adamo per seminalem propagationē, potuit absque dubio diuinitus pactum intrare: cùm in hoc nulla appareat repugnantia. Sicut enim, licèt aliæ humanitates potuerint diuinitus assumi à Verbo, & oriri ex Virgine sine opera viri, nihilominus etiam potuerunt sua subsistentia naturali ornatæ prodire ex Adamo per seminalem propagationem, pactum secundùm hanc formalitatem intrarunt; ita licèt humanitas numerica Christi Domini potuerit personalitate Verbi subsistere, & ex Virgine sine opera viri generari, tamen quia etiam potuit diuinitus operā viri ex fœmina produci cum sua subsistentia naturali & creata, eam secundùm hanc formalitatem inuolui in pacto non repugnat. Vnde solùm poterit esse difficultas, an de facto prædicta humanitas Christi, hoc posteriori modo accepta, pactum initum cum Adamo conditionatè, sicut cæteri homines possibiles, introierit. Et, vt mei ingenij imbecillitatem fatear, non apprehendo absurdum in eo quòd prę-fata humanitas, vt poterat cum propria & creata generari ex viro & fœmina, pactum intrarit, & consequenter etiam ob peccatum Adami fuerit conditionatè in periculo peccandi in Adamo constituta, nempe si prædicto modo decerneretur futura. Nam humanitas Christi secūdùm prædictam formalitatem erat peccabilis, & si reipsa sic produceretur, forsan multa peccata personalia, sicut cæteri homines, commisisset: & aliunde quòd humanitas vt peccabilis in pacto fuerit inuoluta, non absurdum, sed conueniētia esse videtur. Si enim Deus, vt eius potentia magis appareret, & nobilior esset de diabolo triumphus (vt ait S. Leo serm. 5. de Passione, & Ecclesia in Præfatione de Cruce) nō armis suæ omnipotentiæ; sed homo factus in ligno, in quo ille vicit, eum vincere voluit; ita Deus ob eundem finem humanitatem ex inclusis in pacto, & in periculo conditionato peccandi per delictum Adami constitutis, eligere, suo Verbo vnire, & eam sic assumptam ex vIrgine sine opera viri nasci statuit. Neque ex hac doctrina sequitur Adamum fuisse vnquam absolutè caput morale humanitatis Christi, seu sanctitatem humanitatis prædictæ dependisse absolutè ex voluntate Adami, sed solùm conditionatè; nempe si ea verbo non vniretur, & non produceretur sine opera viri, quod in præfata humanitate nullam imperfectionem imponit, vt constabit ex dicendis infrà disp. 3. n. 50. Verùm si prædicta responsio doctioribus displicuerit, mihi quoque eam displicere fateor, & solutione obiectioni su-

S. Leo. Ecclesia.

prà adhibita contentus sum.

30. *Ordo diuinorum decretorum attexitur.*

Ex dictis ordinem diuinorum decretorum sic attexo: in primo signo Deus cælum, & terram, & reliqua elementa & mixta statuit, vt hominum, quos in sequentibus signis decreturus erat, esset habitaculum & domicilium: in secundo signo Adamum futurum esse decreuit, eique iustitiam pro omnibus hominibus possibilibus, qui ex ipso per seminalem propagationem nascerentur, sub certa conditione promisit, non statuendo quinam illi homines futuri essent: in tertio signo præuidit Deus Adami præuaricationem, & ob eam totum genus humanum in periculo perditionis constitutum: in quarto in remedium prædicti peccati Christum prædestinauit, in reliquis verò signis, quæ postea disput. 7. capite 5. numero 42. explicabo, reliquos homines ob merita Christi futuros esse statuit, eisque auxilia distribuit.

DISPVTATIO TERTIA.

An B. Virgo in pacto inito cum Adamo fuerit inclusa.

1. DIximus disp. præcedenti, omnes homines possibiles sub conditione, si ex Adamo naturaliter orirentur, fuisse in prædicto pacto comprehensos: & modò quærimus, an inter illos B. Virgo Maria inuoluta quoque censeatur; vel ab illo ob singulare priuilegium excluſa. Et quamuis olim ferè omnes eam in pacto contentam fuisse affirmarint; tamen his temporibus id multi negant recentiores, quorum nonnullas opiniones recensebo, & eas ad Marianrm immunitatem, à peccato & eius debito vindicandam (quò illæ ordinantur) debilibus inniti fundamentis ostendam.

CAPVT I.

Quid circa præsentem quæstionem sentiant aliqui, existimantes Christum quoad substantiam ante delictum Adami fuisse prædestinatum.

2. *Prima sententia.*

PRima sententia asserit Deum ante præuaricationem Adami, imò ante initionem pacti, Christum quoad substantiam futurum determinasse; in quo signo omne pactum antecedenti,

præuidit aliquot opera, quæ ipse Christus in statu passibili, & impassibili esset effecturus, quales sunt amor proximorum, & aliquot actus virtutū internorum, ob quæ motus Pater (& præuidens per suam scientiam conditionatam casum Adami, & consequenter omnes inclusos in pacto culpam originalem contracturos) B. Virginem in eo includere noluit, Ita aliqui recentiores, quibus fauet Galatinus lib. 7. de Arcanis, & nonnulli alij.

Galatinus.

3. *Refutatur dicta sententia.*

Hæc opinio communiter explioditur, & meritò, cùm scateat difficultatibus, & absurdis. Primò supponit Christum quoad substantiam, fuisse ante culpam Adami prædestinatum: quod vel est falsum, vt benè Vasquez 3. p. disput. 10. vel saltem valde dubium, vtpotè contra S. Thomam, & maiorem & meliorem partem Theologorum, vt ait Cardinalis de Lugo de Incarnat. disput. 7. sect. 1. n. 1. Præterea etiam dato, sed non concesso, Christum quoad substantiam ante culpam Adami fuisse decretum, est falsum asserere Deum ob opera Christi indifferentia ad statum mortalem, & immortalem in illo signo præuisa, B. Virginem ab ingressu in pactum abegisse: nam omne priuilegium, & omnis gratia posteris Adami diuinitus collata, ex Christi morte, aut saltem ex Christo vt mortali descendit, vt benè Vasquez 3. p. disput. 13. cap. 2. Lugo de Incarnat. disp. 7. sect. 5. numero 55. & constat tum ex illo Pauli ad Hæb 10. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* & ad Colos. 2. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:* tum ex illis verbis Tridentini sess. 22. cap. 1. *Is igitur Deus & Dominus noster semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur,* Cùm autem Deus ante pactum Adami, neque Christi mortem, imò neque Christum vt mortalem viderit, vt fatentur hi Doctores, cum quibus modò disputamus; idcirco opera illa indifferentia ad vtrumque statum passibilem & impassibilem, Deum Patrem non mouerunt ad hoc vt B. Virgini priuilegium prædictum largiretur.

Vasquez.

Lugo.

Paulus.

Trident.

4. *Responsioni occurritur.*

Forsan aliquis respondebit, omnia prædicta testimonia solùm conuincere perfectam redemptionem nostram, & glorificationem ex Christi morte dimanasse, non verò omnem aliam gratiam, & ideo Lugo suprà & alij multi, aiunt, gratiam concessam crucifigentibus Christum, sed hoc vt ipsi eum non occiderent, non ex morte Christi præuisa, at ex alijs meritis Christi prodiisse. Hoc, inquam, responsum non obstat: nam licèt præfata gratia ex morte Christi secuta, non

promanarit ; at præsuppositum Christi mortem acceptatam, vt Vasquez. benè Vasquez suprà cap. 3. in fi- Granados. ne, Granados de Incarnat. controuers. 1. Tract. 2. disp. 2. n. 39. Et sanè si aliqua dona gratiæ non ex Christi morte saltem acceptatâ, sed ex operibus illis Christi indifferentibus, generi humano attribui admittuntur, nescio quo fundamento plurima alia dona eisdem operibus indifferentibus non adscribemus, & ita Christo, vt mortali, multum gloriæ detrahetur; siquidem ex vi præsentis decreti, etiam illo mortem non acceptante, plurima dona gratiæ haberemus. Ad hæc, licèt aliæ gratiæ ex Christi morte non prouenirent; at priuilegium prædictum Marianum ex eius morte descendere debet; quia, testibus etiam ipsis Aduersarijs, est gratia redemptionis à debito peccati, & à captiuitate diaboli, in quam B. Virgo incidisset, si per dictam exclusionem non præueniretur; & aliunde omnem redemptionem ex Christo mortali deriuari Suarez. scimus. Legatur Suarius 1. 2. disp. 9. de peccato originali sect. 4. n. 14. & sequentibus, qui hoc bene probat ex Scriptura. Insuper adducit orationem quandam festi Conceptionis, quæ ante Pium quintum communiter in Ecclesia recitabatur, & hæc verba continebat: *Vt sicut ex morte filij tui præuisâ, eam omni labe præseruasti.* Ex quo apparet, prædictam exclusionem Virginis à pacto (si datur) non ab operibus illis indifferentibus, sed etiam à morte Christi deriuari. Denique relata sententia non bene cohæret cum redemptione Dei genitricis; siquidem ex illa sequitur, eam non fuisse verè & proprie redemptâ, vt infrà cap. 4. à n. 22. latiùs deducemus: quare præfatâ opione missâ, ad alias propero.

Secunda sententia, vt exclusionem Marianam à pacto morti Christi attribuat, decreta diuina quoad præsens attinet institutum, sic componit: Deus ante omnem seriem absolutam prædestinationum, præsciuit suâ scientiâ conditionatâ, si pactum cum Adamo iniretur, ipsum peccaturum, & tandem Christum venturum, &, vt iustitiæ diuinæ satisfaceret, moriturum; & ita in primo signo Deus Christum vt redemptorem & mortalem futurum esse voluit, in quo signo eius mortem præuidit. In secundo signo pactum iniuit cum Adamo; at quia per scientiam conditionatâ sciebat ipsum præuaricaturum, morte Christi antea præuisâ permotus, in illo B. Virginem, saltem quoad comminationem & pœnâ, comprehendere noluit. Vnde licèt Adamo iusto perseuerante, Dei genitrix præmij, sicut reliqui, particeps esset; at illo peccante, pœnam nullam incurrit: nempe quia non quoad comminationem, sed solùm quoad promissionem iustitiæ

5. *Alia opinio refertur.*

stitiæ in pacto ob merita Christi mortalis tantum fuit inclusa. Ita multi recentiores, qui licèt inter se digladientur circa explicationem decreti Incarnationis, ita vt diuersas opiniones efficiant; conueniunt tamen in eo, quod B. Virgo per merita mortis, & passionis Christi, ante culpam primorum parentum iam præuisi, pactum, saltem quoad comminationem pœnæ, non intrauerit.

6. *Depulsio relatæ opinionis.*

Nollem tam magnum B. Mariæ priuilegium (qualis est immunitas à peccato originali) & ab omnibus ferè fidelibus receptum, tam dubio inniti fundamento, & à S. Thoma 3. p. q. 2. S. Thomas. Scoto in dist. 7. q. 5. & maiori, & Scotus. meliore parte Theologorum reprobato. Supponit enim præfata opinio, Christum iam mortalem, imò iam mortuum, ante præuaricationē Protoplasti fuisse præuisum; quod esse falsum, tum ex Patribus, tum ex Scriptura, tum ex rationibus Theologicis euincit Vasquez 3. p. disputatio 10. Vasquez. Suarius tom. 1. in 3. p. disputatio Suarez. 5. sect. 3. Lugo de Incarnat. disp. Lugo. 7. sect. 2. Præterea præfata opinio cum B. Virginis verâ & propriâ redemptione non cohæret, vt infrà cap. 4. ostendemus.

Penaloza de B. Virgine.

CAPVT II.

Aliæ duæ sententiæ referuntur, & refelluntur.

7. *Tertia sententia.*

TErtia sententia licèt Christum Dominum post culpā Adami præuisum admittat, tamen eum pactū præcessisse ait: & ideo ob merita mortis & passionis Christi, eius sanctissimam Matrē à pacto exclusam fuisse defendit. Pro quo notāt hi Doctores, prioritatem, vel posterioritatē decretorū diuinorum non ex antiquitate, sed ex dependentia, vel independentia obiectorum desumendam esse, vt bene Vasq. 1. p. disp. Vasquez. 82. cap. 5. Salazar de Concept. Salazar. cap. 24. §. 3. n. 74. & alij aduertunt. Vnde tunc decretum diuinum, alio prius est, quando obiectum illius in huius obiectum influit, licèt tempore subsequatur. Secundò notant pactum initum cum Adamo, neque causam, neque occasionem fuisse, vt Adamus præuaricaretur; siquidem ablato decreto de transfundendo in posteros iustitiam originalem, idem numero peccatum esset. Ex quo inferunt non decretum ineundi pactum, sed solam culpam Adami, decretū incarnationis præcessisse; siquidem non pactum, sed sola culpa primorum parentum, vt Christus veniret & moreretur, causa seu occasio fuit. Declaratur: Quamuis

sanctitas Adami, & Angelorum, culpa Adami antiquior fuerit; tamen quia neutra peccati prædicti causa fuit, idcirco Suarius 3. p. disput. 41. sect. 2. & alij multi aiunt, à Christi morte prouenire potuisse; ita quia pactum in culpam Adami nullatenus influxit, futuritionem Christi subsecutum est. Vnde iuxta hanc opionem decreta diuina sic compone: in primo signo Deus nostrum Progenitorem creare, eóque præceptum imponere statuit: in secundo signo eius inobedientiam permisit, & nouit: in tertio signo in remedium peccati Christum mortalem mittere voluit: in quarto signo pactum iniuit, & in illo ob merita Christi B. Virginem non comprehendit.

Suarez.

8. *Exploditur tertia opinio.*

Hæc sententia sustineri nequit, vtpotè noua & falsa: nam vt communissima & verissima sententia fert, Christus vt mortalis seu vt redemptor, fuit prædestinatus in remedium peccati non cuiuscumque, sed infectiui posterorum, vt suprà disput. 1. cap. 5. n. 105. ostendi: quapropter voluntas mittendi Christū mortalem, non solùm culpam Adami, sed etiam quodlibet aliud decretum requisitum ad hoc vt præfatum delictum posteris posset nocere, subsecuta est. Cæterùm si pactum præuaricationi primi parentis non præiisset, ea naturam humanum seu propaginem lædere non valeret (vt suprà disput. 1. cap. 1. n. 4. demonstrauimus) ergo cùm Christus fuerit in decretis diuinis posterior peccato Adami vt posteris imminenti, etiam ipsum initione pacti posteriorem esse necesse est Confirmatur, quia non solùm creatio & existentia Adami, sed etiam auxilium primum sufficiens illi, vt præuaricationem vitaret, concessum, ipsâ culpâ Adami prius naturâ erat, & ad ipsam prærequirebatur: vnde tam creatio Adami, quàm præfatum auxiliū Christū vt mortalem præcedere debuit, vt bene Vasquez 3. p. disput. 12. capite 2. Lugo de Incarnat. disput. 27. sect. 3. n. 31. ergo, cùm etiam pactum ad hoc, vt inobedientia Adami toti naturæ humanæ obesset, prærequireretur; illud Christū vt mortalē præcessit. Neque paritas allata de sanctitate Angelorum, & Adami, præsenti casui aptatur, non solùm quia Vasquez suprà disp. 49. & alij multi negant, eam ex morte Christi dimanasse: sed etiā quia illa non fuit causa, neque occasio prærauricationis Adami; siquidem prædictā sanctitate ablatā, idem numero delictum esset, & eodem modo posteris noceret; quod in pacto non contingit: illo enim ablato, culpa Adami ad posteros non extenderetur.

Vasquez, Lugo.

Vasquez.

9. *Quarta opinio.*

Quarta sententia; ait, mortem Christi non absolutè, sed conditionatè futuram, mouisse diuinam voluntatem, vel fuisse occasionem ad hoc vt eius Genitrix in pacto non contineretur; & ita iuxta hoc placitum ordo decretorum sic attexitur: In primo signo Deus Adamum condere voluit, in quo signo per suam scientiam conditionatam agnouit Adamum, si præceptum imponeretur, & pactum iniretur, peccaturum, & omnes in eo comprehensos maculaturum; insuper in eodem signo per eandē scientiam certissimè præuidit, posito præfato peccato, Christum in remedium illius venturum, imò morituram: In secundo signo Deus præsciens per dictam scientiam, Christo fore gratum, si eius Mater in pacto non comprehenderetur, pro illoque beneficio Patri gratias acturum, eam in pacto non inclusit.

10. *Reiicitur quarta opinio.*

Hæc quoque sententia, quam aliqui recentiores amplectuntur; nunquam mihi placuit; quia vel ad errorem Massilienſium valde accedit, vel idem cum illo est, Etenim Massilienses rogati, cur ex innumeris, qui in ætate infantili moriuntur, alij baptizati, & alij sine baptismo decedunt? Respondebant, illis quos Deus sua scientia conditionata præcognoscit, præceptis obtemperaturos, si diu viuerent, concessisse baptismum; at illis, quos per eandem scientiam sciuit, si in vita durarent malè victuros, illum denegasse. Contra quæ merita conditionata sæpe Augustinus in libris de prædestin. sanctorum, & de dono perseuerantiæ disputauit. Legatur Ruiz de Proui. disput. 15. & tom. de prædestin. disp. 5. sect. 6. sicut enim neque merita, neque demerita conditionata prædictorum infantium, Deum vt illis baptismum negaret aut largiretur, permouerunt; ita ipsum, merita Christi conditionaliter visa, non allexerunt, vt eius Matri præfatum impertiretur priuilegium.

Ruiz.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

11.

Præterea præfatus B. Mariæ fauor, ex quo eius immunitas à peccato originali, & eius debito dependet, tanti ponderis est, vt ille fundamentum magis solidum, quàm prædictæ opinionis prærequirit, expoſcat, vt suprà n. 6. tetigimus.

CAPVT III.

Opinio Ferdinandi de Salazar reiicitur.

12. *Notabile.*

QVinta sententia supponit, Deum primò decreuisse certum numerum hominum determinatorum producere, relictis pro illo signo cæteris in statu possibilitatis: postea Adamum caput physicum & morale prædictorum futurorum constituit, pactumque cum eo iniuit de transfundenda iustitia originali in illos homines futuros iam prequisos, si ipse primus parens conditio-

ditionem appositam adimpleret. In tertio signo fuit inobedientia Protoplasti, & pariter Deus ipsũ, & omnes illos homines antea decretos futuros, vtpote in pacto inclusos, maculatos aspexit. In quarto signo in remedium prædicti peccati Christus vt mortalis fuit prædestinatus. In quinto deniq, signo Deus intuens Christo non placere ex fœminâ maculatâ oriri, & meritis illius motus, ex fœminis, quæ adhuc erant in statu possibilitatis, B. Mariam ad statum futuritionis traduxit, eamque filij sui Genitricem designauit.

13. *Corolarium.* Ex quo infertur primò, B. Virginem pactum non intrasse; cùm solùm includantur, qui erant iam decreti futuri in signo quo præfatum pactum celebrabatur, & Dei Genitrix non in prædicto signo, sed in posteriori fuerit futura. Secundò infertur, quòd, licèt neque dilatio futuritionis B. Virginis, neque ipsius à pacto exclusio, fuerit in illis prioribus signis gratia, & sic ex meritis Christi non dimanarit; at postquam in quinto signo B. Virgo ex meritis filij futuritionem habuit, præfata dilatio futuritionis Virginis, & eius à pacto exclusio, eidem Virgini fausta fælixque cœpit esse: & ideo prædicti Doctores immunitatem Virginis à peccato orginali & eius debito, morti Christi attribuunt; non quia fuit causa meritoria vt futuritio B. Virginis differretur, aut in pacto non comprehenderetur: sed quia efficiendo, vt B. Virgo ex statu possibilitatis ad statum futuritionis traduceretur, effecit vt præfata dilatio futuritionis, & exclusio à pacto, eidem prodesset, eamque à peccato originali liberaret. Ita Salazar de Concept. capite 24. quem Bernal. de Incarnat. disp. 16. sect. 3. & multi recentiores sequuntur. Salazar. Bernal.

Hæc sententia meritò reiicitur à nostro Cardinali Lugo de Incarnat. disput. 7. sect. 3. à numero 28. siquidem in ea plura difficilia, imò falsa continentur. Primò falsum est, Deum ante pactum omnes homines futuros decreuisse, eosque solùm in pacto comprehendisse (vt suprà dispur. 2. cap. 3. latè ostendimus) Secundò ex hac sententia sequitur; si Adamus sanctus permaneret, B. Virginem præmij Adami, sicut reliquos posteros participem non futuram; siquidem in pacto non fuit inclusa, & præfatum præmium in eo comprehensis proponebatur. quod licèt admittant Aduersarij perdifficile est: quis enim persuadere sibi poterit, solam B. Virginem inter alios posteros, bonorum Parentis exhæredem fore? Neque obstat si dicas, B. Virginem in illa hypothesi, sicut neque Christum, non nascituram; quia hoc difficilius est; si- 14. *Impugnatio relatæ sententiæ. Lugo.*

siquidem iuxta præfatum responsum B. Maria non solùm hæreditate paternâ, sed existentiâ, & tandem beatitudine, si ille status fælix durarer priuaretur. Neque est simile de Christo Domino; nam hic fuit medicina & redemptio nostra necessaria: cùm autem medicina infirmitatem, & redemptio captiuitatem præsupponat; & aliunde in prædicto casu neque infirmitas, neque captiuitas naturæ foret; idcirco cum Patribus, in illo casu Christum non fuisse venturum, asseueramus. At B. Virgini neque medicina, neque redemptio necessaria fuit; neque Patres eam in illo casu nascituram esse negant. Quapropter, licèt Christum, si status innocentiæ duraret, venturum negemus, B. Virginem tunc non exclusam iri à futuritione, affirmamus.

15. *Alia refutatio.* Tertiò in relata sententia immeritò negatur, dilationem futuritionis, & exclusionem à pacto præcisè gratiam esse. Quippe illa dilatio & exclusio fuit causa, seu occasio, tum ne Virgo pactum ingrederetur, tum ne peccaret in Adamo, tum ne macula originali inficeretur: & quidem tot bonorum occasio specialis, priuilegium est. Neque obstat si dicas, in illo signo B. Virginem fuisse in statu possibilitatis; vnde sicut cæteris possibilibus gratia non fuit negatio futuritionis, & exclusionis; ita neque B. Virgini; quoniam si præfata negatio bene perpendatur, fausta & felix possibilibus esse videtur; siquidem per illam peccato originali non innodantur. Si enim, teste Christo, Matt. 26. Iudæ melius fuisset natum non fuisse, quàm peccatum proditionis perpetrasse; melius quoque est hominibus, in statu possibilitatis permanere, quàm transcundo ad statum futuritionis peccato maculari. Quis enim negabit reprobis futuram fuisse gratiam, si in statu possibilitatis fuissent derelicti, cùm melius sit absolutè non esse, quàm Deum offendere, & in æternum miserabiliter puniri? Verùm quia in hoc forsan de nomine quæstio est, ad aliud argumentum pergo. S. Matth.

Quartò impugnatur: nam ex præfata sententia deducitur, præseruationem B. Mariæ à peccato originali, & eius debito, neque Christo, neque passioni & morti ipsius adæquatè adscribi posse: quod adeò magnum absurdum est, vt illud Aduersarij deuorare non audeant, & meritò: nam præseruatio ab originali, cùm sit prima gratia inter cæteras quas prædestinatus habet, non solùm est effectus prædestinationis, sed initium discretionis à reprobis, & etiam causa prædestinationis Virginis, & discretionis à reliquis. Quapropter, cùm morti Christi omnium 16. *Iterum impugnatur.*

sanctorum prædestinatio, & à reprobis separatio attribuatur (vt bene conuincit Granados de Incarnat. tract. 14. disp. 5.) idcirco prædicta B. Virginis à peccato immunitas, morti Christi adscribi debet. Quare sequela probatur: nam ad præseruationem prædictam tria concurrunt; aliud quod pactum non ad homines possibiles, sed ad solùm tunc visos futuros, fuerit directum; aliud quòd B. Virgo in illo signo non fuerit decreta futura; aliud denique, quòd in posterioribus signis ex statu possibili ad statum futuritionis fuerit traducta. Enimuero licèt futuritio Virginis ex morte Christi ortum duxerit, attamen priora duo beneficia ex ipso non dimanarunt; siquidem, testibus Aduersarijs, Christus in illo signo adhuc non erat futurus; & aliunde causa meritoria, vt influat in effectum, præuideri debet, antequàm præfatus effectus decernatur. Ex quo apparet Christum, vt mortalem, immunitatis à peccato, & consequenter prædestinationis, & Marianæ à reprobis discretionis, causam non adæquatam, sed solùm inadæquatam & partialem extitisse; cùm non omnia ad præseruationem requisita, sed aliquid tantùm promeruerit. Neque satisfacies respondendo, dilationem futuritionis, & exclusionem à pacto, incepisse esse faustam & felicem Virgini ex eius futuritione; quare cùm hæc à Christo dimanarit; ideo præfatam dilationem & exclusionem, vt gratia est, Christo attribui, & ideo ipsum causam adæquatam prædictæ præseruationis extitisse: hoc, inquam, non obest, tum quia (vt dixi suprà numero 15.) dilatio, & exclusio à pacto, Virgini etiam in statu possibilitatis manenti, beneficium & gratia fuit; tum quia quòd dicta dilatio & exclusio fausta Virgini sit, ex Christo non processit; siquidem ea etiam ipso repugnante, si in signis posterioribus B. Virgo decerneretur futura, vtilis foret; quare Christus, non quòd præfata dilatio & exclusio beneficium esset, sed solùm quòd B. Virgo tandem nasceretur, principium morale fuit. Declaratur: non solùm futuritio; sed etiam actualitas extra causas physicas, seu existentia executioni mandata, requiritur ad hoc vt B. Virgo immunis à peccato dicatur: nam sicut homines dum in statu futuritionis perseuerant, neque Dei amici, neque inimici, seu maculati censentur; ita B. Virgo dum futura fuit, re ipsa neque sancta, neque immunis aut præseruata à peccato erat. Cæterùm si Christus præseruationis Marianę causa moralis est, quia suæ Matri futuritionem conferendo, effecit vt dilatio & exclusio à pacto eidem fausta & felix haberetur, etiam sanctus Ioachimus & Anna Virginem generando effecerunt, vt non solùm futuritio decreta, sed etiam dilatio & exclusio præfata eidem felix & fausta esset; ac proindè sicut Christus causa moralis; ita prædicti progenitores causa physica præseruationis, prædestinationis, & suæ filiæ à reprobis discretionis, censerentur; quod absurdum apparet. Et ratio à priori est, nam cùm prædestinatio & discretio subiectum prædestinatorum præsupponat, non ab actualitate vel existentia Virginis, sed à donis ipsam existentiam subsecutis, incipere debet, vt bene Vasquez 1. p. disput. 93. cap. 4. & ita neque principio physico existentiæ substantialis, neque principio morali futuritionis eiusdem substantiæ, prædestinatio aut discretio attribui solet; sed solùm illi, qui iam præsupposita existentia & futuritione substantiali, hominum physicè vel moraliter primum beneficium in vitam æternam ordinatum, effecerit; cùm autem primum donum B. Virginis in vitam æternam ordinatum, & existentiam seu actualitatem illius subsecutum, fuerit præseruatio à peccato, idcirco causa istius, causa quoque prædestinationis & discretionis Marianæ est. Cæterum cùm neque Christus moraliter, neque S. Ioachimus physicè, suppositâ iam futuritione & existentia B. Mariæ, in præseruationem à peccato vllatenus influxerint, idcirco illius neque Christus, neque Ioachimus causa physica, aut moralis haberentur.

Granados.

Vasquez.

17. *Responsum refertur.*

Præfato argumento aliter recentiores aliqui cum suo Antesignano Salazar, satisfacere procurant: afferunt enim dilationem futuritionis Marianæ, & voluntatem diuinam non comprehendendi eos, qui in illo signo pacti possibiles solùm cognoscebantur, Christi morte priorem esse; & ita vtrumque beneficium ex Christo prodiisse. Pro quo notant primò, prioritatem, & posterioritatem decretorum diuinorum non ex antiquitate; sed solùm ex dependentia aut independentia obiectorum, desumendam esse, vt bene Vasquez 1. p. disput. 82. cap. 5. Vnde illa entitas, quæ in aliam influxerit, eadem in decretis diuinis primum locum occupabit. Secundò supponunt, neque dilationem futuritionis Marianæ, neque eius à pacto exclusionem, aduentu Christi priorem esse; cùm huius motiuum adæquatum & totale, non præfata exclusio aut dilatio, sed tantummodò fuerit remedium peccati Adami, & aliorum posterorum. Quare præfata exclusio & dilatio non in signo, quo Deus pactum iniuit, sed in signo posteriori, incarnationem subsecuto, constituetur; siquidem in signis incarnationē præcedentibus, solùm locum habent entitates, quę causæ vel occasio incarnationis sunt: cum

Vasquez.

cùm autem neque dilatio, aut excluſio præfata, fuerit occaſio, vt Chriſtus mitteretur; ideo neutra ante Chriſtum venturum admitti debet.

18. *Reſponſum adhibitum reiicitur.*

Hæc reſponſio non minorem continet difficultatem, quàm precedens: quippe ſupponit Virginem motiuum principale incarnationis non intraſſe, quod Virgini, & Chriſto dedecus aliquod eſſe videtur. Primò Virginem non decet, nam cùm Dei genitrix cæteros omnes poſteros longè excedat, eius felicitatem prædictum motiuum ſaltem integraſſe decet. (de quo ſuprà diſp. 1. cap. quinto ſermo fuit) Inſuper Chriſtus in hac reſponſione deuenuſtatur: ſicut enim aliqua nota illi eſſet, qui miſſus principaliter Romam v.g. ad aliquod negotium, & minùs principaliter ad aliud; finem ſecundarium, & non primarium conſequeretur. Sanè ſi Chriſtus primariè in remedium poſterorum, & ſecundariò in bonum Virginis aduenit; eum non omnimodam felicitatem poſterorum, ſed ſolùm Virginis aſſequutum fuiſſe, diſſonat (vt diſputatio. 1. n. 175. tetigi.)

19. *Alia depulſa.*

Inſuper impugnatur aliter prædicta ſolutio: nam tam decretum faciens homines futuros, quàm decretum illos in pacto includens, incarnationem præcedentia, ſunt aliquid non vagum, ſed ſingularia, & veluti indiuidua determinata, cùm apprehendantur vt exiſtentia in Deo à parte rei; & quidquid datur à parte rei, vel Deo attribuitur, ſingulare & determinatum eſſe oporteat. Vnde cùm de ratione cuiuſcumque realitatis ſingularis ſit, quòd ita ſit talis, quòd alia diuerſa non ſit; ideo de ratione cuiuſcumque ex duobus decretis, eſt quòd quodlibet ſit tale, vt aliud diuerſum eſſe nequeat. Quapropter de ratione decretorum verſantium circa prædictos homines futuros, eſt, quòd non ad nouum aliud obiectum ſiue partiale ſiue totale dirigantur; ſiquidem ſi circa prædictos futuros & inſuper circa aliam nouam perſonam, ſcilicet B. Virginem, verſarentur, iam non decreta quæ præceſſerunt incarnationē, ſed alia omnino diuerſa forent; cùm decreta diuina penes diuerſitatem obiecti diſtinguamus. Ex quo iam deduco negationem futuritionis Marianæ, & negationem excluſionis eiuſdem à pacto, in eodem prorſus ſigno, in quo ſunt prædicta decreta, conſtitui debere; & conſequenter vtramque negationem decreto mittendi Chriſtum priorem eſſe, Sequela probatur: quippe quando aliqua entitas alicuius effectus cauſa eſt, non ſolùm illa, ſed etiam quidquid ad exiſtentiam illius requiritur, imò quidquid ex illa ordinatum ad ipſam neceſſariò conſequitur, effectui quoquoque præcedere, opus eſt; & ita quia Adamus v.g. Abelis cauſa fuit, & entitas Adami, & quidquid ad exiſtentiam illius requirebatur, Abelem anteceſſit. Cæterùm de ratione decretorum, quibus Deus, & homines futuros, & eos in pacto comprehendere determinauit, eſt, quòd per illa decreta Deus neque B. Virginem, neque aliam nouam perſonam includat in pacto, aut futuram eſſe velit; ergo quòd B. Virgo non fuerit per illa numero decreta in illo ſigno futura, neque in pacto comprehenſa, ad exiſtentiam prædictorum numero decretorum requiretur; & conſequenter ſicut ipſa decreta ita & vtraque præfata negatio voluntatem mittendi Chriſtum antecedit.

20 *Alia ſolutio ad noſtrum argumentū.*

Forſan reſpondebis, licèt quòd per decreta præfata neque B. Virgo foret futura aut incluſa in pacto, ſit in illo ſigno priori ante decretum incarnationis, vt euincit argumentum; at quòd in illomet ſigno fuerit negatio aliorum duorum decretorum, quibus Deus vellet eius Genitricem futuram efficere, & eandem in pacto cum alijs inuoluere, non probatur; ſiquidem Deus poſtquàm priora decreta circa cæteros poſteros Adami formauit; alia duo poſteriora poſſet habere, quibus B. Virgo foret, & in pactum nouiter ingrederetur; quare vtraque negatio horum duorum decretorum ex Chriſto prouenire potuit; ſiquidem neutra ad Chriſti exiſtentiam prærequirebatur.

21. *Solutio relata depelitur.*

Fateor robur argumenti noſtri ad hanc duplicem negationem nouorum decretorum non extendi, niſi ampliùs deducatur. Ad quod prænoto, illa duo decreta nouiter aduenientia, quibus B. Virgo iam futura, in pacto includeretur, vt vtilia forent ad hoc, vt Adamo victo vel vincente, Dei genitrix meriti ſeu demeriti primi Parentis particeps foret, ante peccatum conſiderari debere; ſiquidem illo iam perpetrato, pactum ita clauſum eſt, vt nemo illud ampliùs ingredi valeat: quæ enim iuſtitia foret, aut quomodo Deus confecto iam peccato, pactum iniret de transfundendo iuſtitiam originalem in illum nouiter præuiſum, ſi Adamus non peccaret; cùm illum iam peccaſſe certò Deus præſenſiſſet: ex quo apparet negationē prædictorū decretorū, vt ad præſeruationē Marianā à peccato cōduceret, debere peccatum præire: nam ſicut ipſa decreta, ad hoc vt quis pœnam aut præmium Adamo debitum ob ſuam obedientiam aut inobedientiam, participet, neceſſariò peccatum Adami præcedere opus eſt; ita ad hoc vt vtraque negatio prædictorum decretorum influat in præſeruationem à peccato, ipſum peccatum anteceſſiſſe oportet: inquiro ergo,

ergo, vel Christus promeruit vtramque negationem prædictam, vel aliam, scilicet negationem decretorum non conducentium ad præseruationem: priùs est manifestè falsum, nam illa vtraque negatio est ante peccatum; vnde cùm Christus hoc perpetrato, venerit, illâ posterior est. Si verò respondeas posteriùs, est extra rem; nam cùm vtraque posterior negatio impertinens sit ad hoc vt B. Virgo peccaret, aut non peccaret; etiam si à Christo proueniat, non ideo ipse causa exclusionis B. Virginis à pacto, aut eiusdem præseruationis à peccato, diceretur.

CAPVT IV.

Quinque præfatæ sententiæ, & aliæ negantes B. Virginem in pacto fuisse inclusam, alio argumento ex redemptione deducto refutantur.

22. *Quid sit redemptio, & quotuplex.*

REdemptio (iuxta Patrum, & Scripturæ communem acceptionem) quâ per Christum verè & propriè redimi dicimur, in specialem seu præseruatiuam, & in non præseruatiuam seu communem diuidi solet. Redemptio communis generi humano, seu non præseruatiua, est, quâ quis à captiuitate diaboli iam contractâ liberatur: at redemptio præseruatiua est, quâ quis à debito seu periculo captiuitatis, in quo antea ob aliquod peccatum versabatur, eximitur. Vnde inter vtramque redemptionem magnum discrimen intercedit: nam redemptio communis peccatum seu captiuitatem diaboli præsupponit, vt constat ex Sozimo Papa, quem citat & sequitur Augustinus tom. 2. epist. 156. asserente: *Nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus.* Idem habet lib. de natura, & gratia cap. 67. & sæpè alibi: at redemptionem præseruatiuam non captiuitas iam incursa, sed debitum seu periculum illius naturæ humanæ in suo esse constitutæ superueniens, antecedit: vnde ad hanc redemptionem præseruatiuam non solùm peccabilitas, seu possibilitas ad peccandum expedita, sed etiam debitum seu periculum aliquod superadditum naturæ ex malitia hominis ortum, prærequiritur. Ita Caietanus 1. 2. q. 81. art. 3. Durandus in 3. dist. 3. q. 1. Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 2. Vasquez in 3. p. disput. 112. cap. 13. & alij communiter, & videtur clara mens Augustini in Psalm. 85. ad illa verba: *Eruisti animã meã de inferno inferiori. Quidam*, inquit, *orans, hic iam in corpore positus, & orans in voce Christi, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit; quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni: quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè*

Sozimus. August.

Caietanus. Durandus. Suarez. Vasquez. August.

fortè ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, sic te iracta, requiesce, his cibis vtere; nam si non feceris, ægrotabis: tu autem, si feceris, saluus eris: rectè dicis medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis, habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius defendit eum, gratias agens quid diceret? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, debitum solutũ est pro eo, liberatus dicitur de suspendio; in his omnibus non erant; sed quia talibus meritis agebantur, vt, nisi subuentum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari. Verba Augustini ad longum retuli, vt lector oculis clarè intueatur, Augustinum non solam possibilitatem naturalem; sed insuper debitum, seu periculum, vel initium mortis, incarcerationis, & ægritudinis accidentale, & superueniens ex aliquo peccato antecedenti naturæ iam constitutæ, opus esse ad redemptionem præseruatiuam, seu ad hoc vt sanitas medico, libertas & vita amico defensori adscribatur.

23. *Alia explicatio redemptionis.*

Enimuero nonnulli recentiores argumentum, quod inde contra ipsos deducetur, formidantes, nomen redemptionis valde extendunt; & ita asserunt, ad redemptionem præseruatiuam, neque debitum captiuitatis, neque periculum naturæ superueniens, necessariò præsupponi; sed solam possibilitatem ad peccandum sufficere. Vnde aliqui Angelos redemptos fuisse concedere non reformidant. Ita Salazar de Concept. cap. 24. §. 9. & multi alij.

Salazar.

24. *Prædicta declaratio redemptionis reiicitur.* Vasquez.

Verùm contra hoc est; nam vt benè obseruat Vasquez 1. p. disp. 85. n. 14. quando agimus, an aliquod prædicatum, vel essentia alicui conueniat, debemus disputare de illo prædicato aut essentiâ secundùm communem illius definitionem: alioquin si cuilibet liceret definitiones rerum confingere, nihil firmum esset in Theologia. Cæterùm Patres, quãdò agunt de redemptione, & vniuersaliter aiunt, omnes per Christum esse redemptos, tractãt de redemptione præsupponente in redimendis non solam possibilitatem captiuitatis, sed ipsam captiuitatem, vel periculum illius ortum ex peccato. *Ipsa redemptio* (ait Augustinus Concione 2. in Psalm. 70.) *clamat captiuitatem nostram: vnde enim redempti, si non antea captiui?* Idem, verbum *redimo*, præsefert, quod iterùm emo significat; vnde vt aliquis propriè redimi dicatur, opus est vt priùs fuerit per peccatum diabolo aliquo modo venditus. Confirmatur: nam si sola possibilitas peccandi, seu incidendi in captiuitatem diaboli ad propriam redemptionem sufficeret, Angeli boni ex eo quòd Deus illos auxilio congruo ad non peccandum præuenit verè redempti dicerentur, & essent (vt liquet,) quod conse-

August.

Salazar. quens licèt admittat Salazar numero 123. est absurdum, vt bene Suarius tom. 1. in 3. p. disputatio 42. Granados de Incarn. controu. 1 tract. 14. disputatio. 3. numero 8. Vasquez 3. p. disput. 49. cap. 1. & magis constabit ex dicendis infrà n. 32.

Suarez. Granados. Vasquez.

25. *B Virgo fuit propriè redempta.* Suarez. Secundò suppono B. Virginem fuisse verè & propriè redemptâ, saltem redemptione speciali, & præseruatiua. Ira omnes Doctores, teste Suario in 3. p. dis. 3. sect. 2. & 1. 2. tract. de peccatis disput. 9. sect. 4. n. 13. supponunt: idque clarè Sanctus Bernardus innuit serm. de Assump. dum plùs pro redimenda Matre, quàm alia creatura Christum aduenisse, testatur. Huic patti non solùm communis fidelium sensus, sed loca Scripturæ fauent, in quibus Christus iam Redemptor, iam Saluator omnium, iam propitiatio nostra, absolutè nuncupatur. Neque obest si dicas, istis regulis & propositionibus Virginem non comprehendi, sicut in alijs vniuersalibus indicantibus omnes peccasse, eam non includimus: nam propositiones vniuersales insinuantes totum genus humanum deliquisse, inuoluunt culpam, quæ neque Virginem, neque eius Filium decet. Et ideo Augustinus lib. de Nat. & gratia, & Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, præfatas propositiones ad reliquos posteros Adami restrinxerunt. Attamen redemptio præcipuè præseruatiua, neque peccatum, aut debitum incursum præsefert; sed periculum ortum ex Adamo, quod in Maria imperfectionem nullam, & in Christo summam gloriam arguit, vt infrà disputatio. 10. capite 6. numero 34. ostendemus.

S. Bern.

Augustin.

26. *Arguitur contra eos qui B. Virginem in pacto inclusam fuisse negant.* Ex dictis argumentum contra omnes opiniones absolutè negantes B. Virginem in pacto fuisse inuolutam, sic conficio: Ad veram & propriam redemptionem à captiuitate intrusa per Adamum, non sufficit possibilitas in eam incidendi; sed insuper prærequiritur vel peccatum originale, vel debitum illius contraxisse, aut saltem aliquod periculum superueniens incurrisse, vt suprà numero 24. ostendimus. Sed si B. Virgo in pactum non intrauit, neque peccatum originale, aut debitum illius incurrit, neque fuit in periculo aliquo ipsi Virgini accidentale & superuenienti (vt admittunt Aduersarij) ergo à præfato Adami delicto propriè redempta non est.

27. *Responsio aliquorum.* Aliqui, quos taciro nomine citat Salazar de Concept. capite 24. à numero 125. duplex genus culparum esse aiunt, originalium, & actualium, quas quisque adultus committere potest. Vnde inferunt, esse duplicem redemptionem, aliam ab originali seu culpa, aliam ab actualibus. Inquiunt ergo, B. Virginem non à præuaricatione primi parentis, sed solùm ab actualibus fuisse verè & propriè redemptam.

18. *Solutio reiicitur.* Hoc responsum summoperè displicet, & primò falsum est excipere B. Virginem à redemptione peccati Adami: nam Patres asserentes omne genus humanum redemptum fuisse de peccato Adami sermonem instituunt. Sancto Augustino tom. 7. lib. aduersus articulos falsò impositos, obiiciebatur dixisse: *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum redemptione sit passus*, & respondet loquendo de peccato Adami: *Sanguis Christi redemptio est totius mundi* (& paulò inferiùs) *redempti omnes rectè dicuntur.* Idem asserit Sanctus Gregorius in Iob lib. 17. capite 15. & alij passim. Idem propositiones vniuersales Scripturæ significant, in quibus innuitur omne malum ex præuaricatione primi parentis secutum, per Christum fuisse emendatum, quales ad Romanos 5. & 2. ad Corint. 5. & 1. ad Timot. 2. & passim alibi reperiuntur. Præterea (vt diximus suprà disputatio 1. cap. 5. numero 105.) finis primarius aduentus Christi, non fuit remedium peccatorum actualium, sed peccati Adami: vnde si Virgo à captiuitate Adami non fuit per Christum præseruata & redempta, ipsa in primarium motiuum incarnationis non intrauit, quod sanè absurdum est, vt tradidimus disputatio. 1. n. 110.

Aug.

S. Greg.

Ad Rom. Ad Corint. Ad Timot.

29. Denique non video quomodo B. Virgo, si pactum non intrauit, à peccatis actualibus redempta fuerit, quippe si à pacto fuit exclusa, neque perdidit auxilia congrua in Adamo, neque rebellionem appetitus acquisiuit, neque debitum aliquod incidendi in præfatas culpas aut pœnas incurrit, vt admittunt Aduersarij: vnde præseruatio ab illis, vera redemptio non est; siquidem ad hanc, præter possibilitatem ad peccandum, aliquod debitum vel periculum accidentale ortum ex peccato Adami, & superueniens naturæ, prærequiritur (vt diximus suprà numero 24.) quod cùm in Dei genitrice non fuerit, ideo secundùm præfatas opiniones, ipsa neque à peccato Adami, neque ab alijs culpis actualibus verè & propriè redempta fuisset.

30. *Aliorum solutio.* Præfato argumento aliter respondent alij, & primò admittunt B. Virginem non solùm à culpis actualibus, quas committeret, si præseruata non fuisset, sed etiam à culpa Adami verè & propriè redemptam. Secundò concedunt ad veram redemptionem à peccato, non sufficere præcessisse so-

solam peccabilitatem in redimendo ; sed insuper aliquod debitum vel periculum peccandi superadditum naturæ, prærequiri, quod in Virgine fuisse aiunt: nam eo ipso, quòd Deus vniuersalem legem statuit, quâ omnem posterorum felicitatem, & infelicitatem ex voluntate Adami pendere voluit, consurrexit aliquod debitum in Virgine, imò in omnibus, & singulis posteris, per seminalem propagationem orituris, ingrediendi prædictum pactum. Cùm autem Deus aliunde sua scientia conditionali prægnoscceret Adamum præuaricaturum, & omnes præfatâ lege comprehensos maculaturum, exemit per merita Christi B. Virginem à præfato periculo, eam in lege non comprehendēdo; & ideo per Christum verè redempta ab illo peccato dicetur.

31. *Solutio relata infirmatur.*

Hæc quoque solutio difficilis semper mihi visa est: primò captiuitas, seu debitum illius, quod ad veram redemptionem per Christum præsupponunt Patres, non ex Deo solùm; sed ex malitia humana descendit; quare cùm debitum illud intrandi in legem vniuersalem, non ex malitia, sed ex Deo, vel vt summùm ex naturâ legis oriatur; ideirco præfatum debitum vel periculum non est, quo ad redemptionem à peccato iuxta Patres, opus est. Ad hæc falsò supponunt Aduersarij, ex eo quòd Deus legem vniuersalem condiderit, in omnibus & singulis hominibus debitum intrandi in legem consurrexisse: quippe in legibus humanis præfatū debitū in subditis agnoscimus, quia Princeps, si legē statuit, tenetur omnes comprehendere, & nullum sine causa excludere: at cùm Deus sit Dominus supremus, & longè maiorem in creaturas, quàm legislatores humani, habeat potestatem & iurisdictionem, non tenetur, quando legem vniuersalem edit, omnes & singulos comprehendere, & ideo potest licitè, & validè quemlibet ab ea sine vlla causa, solùm quia illi placet, eximere. Ex quo apparet in subditis non magis exurgere debitum intrandi in legem diuinam, quàm subeundi præceptum alicui particulari impositum. Vnde sicut ex eo quod Deus tibi ire Niniuen prædicatum, sicut Ionæ, non præcipit, à periculis maris, & piscis redemptus non censeris; ita quòd B. Virgo legem vniuersalem non fuerit ingressa, non sufficit ad hoc vt à malis, quæ per Adami culpam contigerunt, redempta dicatur. Declaratur discursus; vel Deus antequàm præfatum pactum iniret, habuit voluntatem antecedentem faciendi legem vniuersalem, in quâ Virgo comprehenderetur, vel non habuit talem voluntatem; sed solùm cæteros includendi: prius non dices, quia cùm posteà non fuerit in pacto cum reliquis inuoluta, illi voluntati

tati decretum posterius, quo pactum celebrauit, aduersaretur; quod implicat. Si verò respondeas Deum habuisse voluntatem condendi legem vniuersalem, in quam alij, & non Virgo, ingrederentur; iam in Virgine nullum debitum intrandi legem consurrexit; siquidem nunquàm fuit in Deo voluntas eam in pacto comprehendendi. Si verò respondeas, præcessisse voluntatem in Deo faciendi legem vniuersalem cum Adamo, & eius posteris in communi consideratis; etiam non satisfacies; tum quia gratis prædictam voluntatem admittis; tum quia (vt diximus in materia de scientia & voluntate Dei) neque voluntas, neque intellectus diuinus in res in communi dirigitur: quidquid enim Deus cognoscit aut vult, non quid commune aut indiuiduum vagum; sed determinatum & singulare est: hoc enim eius perfectionem infinitam decet.

32. *Argumentum sumptum ex redemptione aliter roboratur.*

Denique, vt præfata solutio, & relata supra n. 23. radicitus conuellatur, aduerto: si leges naturales & ordinem causarum consideremus, humanitas Christi Domini non solùm propriam subsistentiam erat habitura, & ex seminali propagatione oritura, & consequenter subiecta ad ingrediendum pactum; sed etiam si auxiliis congruis non præueniretur, sicut cæteri mortales, peccatura; siquidem neque exclusio à pacto, neque impeccabilitas, neque vnio hypostatica, neque alia beneficia ingentia, quibus diuinitùs fuit locupletata, ei naturaliter debebantur, sed ex merâ Dei liberalitate processerunt. Inquiro an humanitas Christi fuerit verè & propriè redempta à captiuitate diaboli, & peccati, vel non? à priori responso abhorret animus Christianus; siquidem Christus Dominus non redemptus, sed omnium redemptor est; vnde absque dubio posterius respondebis, scilicet illum non esse vllo modo redemptum. Ex quo infero neque B. Virginem fuisse propriè redemptam, si in pacto non comprehendebatur: nam sicut possibilitas, & debitum quod fuit in humanitate Christi secundùm se sumpta carendi subsistentiâ diuinâ, & habendi propriam, & consequenter intrandi in pactum, & denique peccandi, non sufficit ad hoc vt immunitas à præfatis, & dispensatio dicatur, & sit propria redemptio; ita neque possibilitas, & debitum illud remotum ingrediendi legem vniuersalem, Adamo & eius posteris impositam, erit satis ad hoc vt exclusio præfata verè & propriè Mariæ redemptio nuncupetur. Neque obstat si dicas, humanitatis Christi priuilegia, redemptionem non esse; quia nullum pretium pro illis, sicut pro Marianis priuilegiis ac gratiis, Patri fuit oblatum, quod

ad

ad veram redemptionem opus est: hoc, inquam, non obest; tum quia licèt ad veram redemptionem ortam ex pretio, illud requiratur; at ad redemptionem vt sic, non præsupponitur necessariò, & ideo, si amicum industriâ, vel vi liberes à captiuitate, eum redimisse diceris, vt constat ex doctrina Augustini lib. 13. de Trin. cap. 13. (vbi varias rationes adducit cur Deus nos à potestate diaboli vi redimere noluerit, sed exhibito pretio per Christum) tum quia iuxtà opinionem, quam sequitur S. Thomas in 3. dist. 4. q. 6. art. 1. ad 2. Suarius tom. 1. in 3. p. disp. 10. sect. 6. Granados de Incarnat. tract. 14. disput. 7. n. 8. & multi alij, antiqui Patres, non solùm incarnationem quoad circumstantias; sed etiam quoad substantiam de congruo promeruerunt. Quare cùm secundùm præfatam opinionem, iam aliquod pretium pro vnione hypostatica, & alijs priuilegijs humanitatis Christi; interceserit (licèt illis longè inæquale) prædicta beneficia, redemptio eunt. Ad hæc quamuis ob absentiam pretij, vnionis hypostaticæ collatio non sit redemptio à captiuitate diaboli; at medicina, & liberatio à captiuitate diaboli, nescio quomodo iuxta aduersarios, non dicatur: siquidem per illam humanitas Christi impeccabilis, & exempta ab omni ægritudine spirituali redditur, & aliunde ad hoc, vt quis curatus ab infirmitate, & liberatus à captiuitate dicatur, oblatio pretij non requiratur: Vnde Christus curatus ab ægritudine spirituali, & eductus à captiuitate diaboli absolutè diceretur, quod planè absurdum est.

S. Aug. S. Thomas. Suarez. Granados.

CAPVT V.

Sententia Cardinalis de Lugo exponitur, & refellitur.

33. *Opinio noua exponitur.* Lugo.

CArdinalis de Lugo de Incnat. disput. 7. sect. 3. vt excludat B. Virginem à pacto, & pariter eam à peccato Adami verè redemptam fuisse defendat, nouum modum excogitauit: ait ergo, Deum in pacto inito cum primis parentibus, omnes & singulos eius posteros naturaliter orituros comprehendisse, exceptâ sola fœmina, quæ in matrem Filij eligeretur: hanc enim à comminatione pœnæ, non verò à promissione præmij exclusam esse voluit. Vnde licèt B. Virgo, vt Maria, seu vt talis persona, pactũ intrauerit; at vt Mater Dei, ab illo quoad pœnam exclusa fuit: & ita iuxta hanc opinionem ordo decretorum sic attexitur. In primo signo Deus Adamum constituit caput physicum & morale omnium & singulorum posterorum, etiam B. Virginis; & solùm quoad pœnam exemit eam, quæ postea in Matrem filij assumeretur,

meretur, non determinando pro illo signo, quænam ex fœminis ad tantam dignitatem esset promouenda; imò nec, an esset Filium missurus, & electurus aliquam in eius Matrem. In secundo signo præcognouit Adami peccatum, & eo omnes posteros masculini generis maculatos, fœminas verò pro illo signo infectas non vidit; quia cùm Deus in iliis duobus signis neque decreuerit incarnationem Christi, neque, casu quo mitteretur, matrem designauerit, fœminæ in pacto inclusæ, adhuc indifferentes ad peccandum & non peccandum in Adamo, perseuerabant. In tertio signo Deus in remedium peccati Filium carne passibili indutum mittere statuit. In quarto denique signo, morte filij præuisa, B. Mariam in eius Matrem designauit, & reliquas fœminas macularas præcognouit. Ex quo apparet Christum B. Mariam exemisse à pacto, & insuper à captiuitate redemisse; siquidem fuit causa moralis vt in Dei Genitricem assumeretur, cui dignitati sanctitas, exclusio à pacto, & immunitas à peccato debebatur. Hanc sententiam Serlogus in Cant. vestig. 10. numero 34. & multi recentiores cum plausu recipiunt.

34. *Relata opinionis depulso.* Quamuis iuxta hanc opinionẽ exclusio B. Virginis cum eiusdẽ redemptione ex meritis Christi mortalis, componatur; nihilominus in ea multa difficilia apparent. Primò, gratis recentiores prædicti pactum ita formant, vt viri peioris conditionis, quã fœminæ efficiãtur; siquidẽ illi in secũdo signo, & hæ in quarto maculantur. Secundò, licèt Christus electionẽ B. Mariæ in suam Matrẽ promeruerit; at neque eius primã sanctitatẽ, neque exclusionem à pacto quoad pœnam, neque immunitatem à peccaro promeruit; siquidem quando præfata priuilegia suæ Genitrici dare determinauit, Christus non erat. Neque obstat si dicas, Christum fuisse causam vt B. Maria in Dei Matrem assumeretur, & sic eius à pacto exclusionem, & à peccato immunitatem promeruisse: nam licèt Christus fuerit causa, vt B. Maria inrer omnes fœminas in Matrem suam eligeretur; non tamen fuit causa, vt dignitati maternæ exclusio à pacto, & consequenter immunitas à peccato, tribueretur; vnde eius redemptionem adæquatè non meruit. Declaratur: Deus omnes homines futuros saluos fieri desiderat, iuxta Paul. 1. ad Timot. 2. & insuper omnes ex Adamo nascituros, pœnã comminatã mulctare, efficaciter decreuit; & tamen, licèt Christus promeruerit, vt multi qui non essent, nascantur (vt fatetur Lugo suprà numero 28. & nos diximus suprà disputatio. 2. capite 2. numero 20.) tamen Lugo.

ipse neque voluntatis inefficiacis, qua Deus antecedenter voluit illos saluare, neque incursionis peccati originalis, causa fuit; nempe quia tam voluntas efficax priuandi posteros Adami iustitiâ originali, quàm voluntas inefficax saluandi omnes, qui essent futuri, ex Christo non processit, sed aliunde; ita licèt Christus fuerit causa, quòd Beatissima Virgo ad dignitatem Matris eleuaretur; tamen quia non meruit, vt exclusio à pacto, & immunitas ab originali Dei Genitrici, vt sic, impertiretur, idcirco solùm electionis in Matrem Dei, non verò priuilegiorum præfatam dignitatem consecutorum, causa adæquata fuit.

35. *Alia refutatio.*

Tertiò prædictum argumentum magis premitur, quo amplius sententia impugnatur: nam si Christo exclusio suæ Matris à pacto, & eius immunitas à peccato originali; imò & prima sanctitas maternitati Dei alligata, attribuitur, quia ipse, vt B. Maria eligeretur in Matrem, causa meritoria fuit: planè sequitur etiam ipsam B. Virginem suæ exclusionis à pacto, & immunitatis à peccato originali, imò & primæ sanctitatis alligatæ dignitati Matris Dei, causam quoque meritoriam extitisse; siquidem, iuxta opinionem valde communem (quam optimè probant ipse Cardinalis de Lugo de Incarnat. disput. 8. sect. 5. Suarius ibidem disput. 10. sect. 7. & 8. Vasquez 3. p disput. 23. cap. 2.) B. Maria, vt ipsa in Matrem Dei assumeretur, saltem de congruo meruit. Cæterùm cùm actus meritorij, quibus Virgo maternitatem acquisiuit, fuerint ita in perfectione singulares, vt actus quoslibet aliarum fœminarum longè in laudabilitate excesserint, ideo illi à persona libera à peccato, & pluribus gradibus sanctitatis ornatâ, proficisci debuerunt. Demus ergo claritatis causâ Virginem per actus charitatis, vel aliarum virtutum, quos in primo instanti suæ conceptionis (iuxta communem opinionem Suarij tom. 2. in 3. p. disput. 4. sect. 7. & 8. Vasquez in 3. p. disp. 119. capite 3. Granados de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 21.) elicuit, maternitatem de congruo promeruisse. Sanè præfati actus, vt singulariter maternitatem mererentur, ipsum subiectum immune ab originali peccato, & sanctum supponebant; siquidem actus eliciti ab inimico Dei, vel non sancto, non valde æstimantur: fuit ergo B. Maria, antequam in mente diuina in Matrem promoueretur, immunis à peccato, & aliquot gradibus sanctitatis ornata. Ex quo sequitur, Deum, quando pactum iniuit cum Adamo, non decreuisse independenter à meritis Christi, nondum præuisi, alligare prædicta priuilegia, nempe exclusionem à pacto quoad pœnam,

Lugo. Suarez. Vasquez. Suarez. Vasquez. Granados.

pœnam, immunitatem à peccato originali, & aliquot gradus sanctitatis, dignitati matris suæ. quippe si præfata vera essent, collatio prædictorum priuilegiorum esset in mente diuina prior, & posterior meritis Marianis, quod absurdum est; siquidem (vt benè Vasquez 1. p. disp. 89. cap. 9. & Lugo de Incarnat. disput. 8. sect. 3. & 4.) quod prius præuisum est in mente diuina posterius respectu eiusdem in eadem mente esse nequit. Quòd autem prædicta exclusio à pacto, & immunitas à peccato originali, & aliquot gradus sanctitatis, sint priores actibus, quibus B. Maria meruit maternitatem, liquet; nam ad eorum valorem prærequiruntur, vt dixi: & aliunde quidquid conducit ad hoc vt actus boni & laudabiles fiant, & sint meritorij, ipsos antecedere oportet. Quòd verò præfata priuilegia sint etiam posteriora meritis Marianis, est clarum; nam ea, iuxta aduersarios, supposito pacto, consequuntur dignitatem Matris Dei, seu eius electionem. vnde cùm præfati actus fuerint causa meritoria de congruo, vt ipsa in Matrem Dei eligeretur; ipsos quoque causam, vt prædictis donis B. Maria ditaretur, fuisse oportet; & consequenter eorum largitione priores.

Vasquez. Lugo.

36. *Effugium præcluditur.*

Forsan respondebis, electionem B. Virginis in Matrem Dei, fuisse ordine intentionis priorem meritis Marianis, & hæc ordine executionis illâ priora. Sed contra hoc est primò: nam vt bene Vasquez 1. p. disput. 8. cap. 7. ordo intentionis & executionis in mente diuina vnus & idem est: vnde si electio B. Virginis in Matrem, fuit prior ordine intentionis, quàm eius merita; etiam illa eiusdem, ordine executionis, prior permaneret. Præterea licèt ordo intentionis, & executionis diuersus sit; tamen prædicta doctrina ad euacuandam difficultatem propositam non iuuat; nam principium meriti sub meritum cadere nequit, (vt benè ostendit Lugo tota disput. 8.) sed quòd B. Virgo in primo instanti suæ conceptionis (vtpote in decretis diuinis antea in Matrem Dei designata) non peccauisset in Adamo, neque peccatum aut eius debitum contraxisset; sed sanctitatem & iustitiam ex vi pacti initi cum Adamo, alligatam dignitati maternæ, habuisset, fuit principium & causa, cur actus boni eliciti ab ea in dicto primo instanti suæ conceptionis, fuerint excellenter meritorij, vt liquet, (siquidem excellentia meriti, non solùm ex bonitate operis, sed etiam ex dignitate operantis, consurgit) ergo B. Virgo non potuit per dictum actum bonum mereri priuilegia sanctitatis, & immunitatis à peccato, prædictam dignitatem consecuta; alioquin per actus bonos præfatos prin-

Vasquez.

cipium eorum promeruisset.

17. Denique prædicta exclusio B. Virginis à pacto, eo modo quo à nostro Cardinalis de Lugo defenditur, cum eius doctrina de concursu morali posterorum in culpam Adami non bene subsistit, vt constat ex argumentis, quæ ipse Cardinalis loco citato sibi obiicit.

CAPVT VI.

Verior sententia proponitur, & stabilitur.

38 *Verior sententia proponitur.* VErior & communissima sententia asserit, B. Virginem, sicut reliquos alios, in pacto inito cum Adamo fuisse inuolutã.

S. Thom. Ita non solùm S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. & omnes, qui inibi cum ipso eam culpâ originali maculatam fuisse voluerunt; sed etiã

Suarez. Vasquez. Suarez 1. 2. tract. de peccatis disp. 9. sect. 4. Vasquez in 3. p. disput. 116. & alij, qui ipsam solùm debitum peccati originalis contraxisse defendunt.

39. *Probatur.* Probatur, non solùm ex dictis contra relatas sententias, sed etiam, quia illa lex pacti lata

Genes. Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, non solùm Adamum, sed omnes eius posteros per seminalem propagationem generatos, comprehẽdit, vt tam Patres, quàm Theologi, teste Suario 1. 2. tract. de

Suarez. peccatis disp. 9. sect. 3. n. 7. supponunt; ergo cùm B. Virgo ex viro, & fœmina per naturalem generationem ortum duxerit, eam in prædicta lege comprehensam fateri oportet. Neque satisfacies respondendo, B. Virginem, vtpote Matrem Dei, & hominum, & Angelorum Imperatricem, legibus vniuersalibus nõ fuisse subiectam: nam licet dignitas Matris & Dei, Imperatricis, eam à legibus vniuersalibus inuoluentibus peccatũ, excluſam fuisse persuadeant; at à legibus, cum quibus eius omnimoda & perfectissima puritas bene subsistit, non vendicat; & ideo quia bene cohęret ipsam mansisse purissimã, & insuper eandem fuisse obligatam ad obseruationẽ non solùm præceptorum naturalium, sed etiam aliquorum legalium, eam prædictis legibus vniuersalibus subiectam fuisse asseueramus. Cæterũ B. Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, aut eius debitum incurrisse, benè connectitur cum eo quòd ipsa præfatæ legi subiecta fuerit (vt ostendemus infrà disp. 10. cap. 5.) ergo sub ea B. Virginem, sicut cæteros, comprehensam fuisse, asserere debemus.

40. *Alia confirmatio.* Confirmatur: nam, vt ait S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. *Ea quæ,* (eius verba refero) *ex sola Dei voluntate proueniunt suprà omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam*

quam diuina voluntas nobis innotescit. Quo principio innixi Theologi, quando tractant, quid Deus, si aliqua conditio apponeretur, effeciisset; sine præuisâ Patrum, aut Scripturæ auctoritate, illud definire non audent; sed quod B. Virgo non fuerit comprehensa in illa lege pacti vniuersalis, est supra omne debitum naturæ, dependens à sola diuina voluntate, (vt liquet) ergo eam à prædicta fuisse excluſam asseuerari non debet, cùm neque Scripturæ, neque Patres id indicauerint.

41. *Responsio.* Respondent aduersarij, B. Virgini est concedendum quidquid glorioſum & illustre est, dummodo id non repugnet; (vt Patres, quos referemus infrà disp. 9. cap. 1. n. 6. testantur) cùm autem sit illustre & glorioſum B. Virgini pactum non intrasse (siquidem inde eius omnimoda puritas bene dimanat) & aliunde id nulli decreto diuino contradicat; ideo præfatum priuilegium eidẽ concessum prudenter affirmatur.

42. *Relata responsio refutatur.* Contra hoc est: nam vt aliquid speciale, & extraordinarium B. Virgini concessum esse dicamus, illud duas conditiones vel proprietates habere debet; aliam, quòd sit illustre & glorioſum Virgini; & aliam, quòd illud ex Christo passibili & redemptore dimanarit, seu quòd largitio illius fauoris, præmium fuerit laborum Christi: (vt liquet) quæ duæ conditiones hîc non reperiuntur. Primò hæc excluſio à pacto, non est glorioſa Christo, cùm ex eius meritis non descenderit, (vt ostendimus suprà cap. 1. & sequentibus) vel si ea ex Christo dimanauit, non fuit fructus redemptionis (accepto hoc vocabulo in significatione, qua illud Scriptura, & Patres vsurpant, vt probaui suprà capite 4.) Præterea do excluſionem prædictam à pacto, fuisse gratiam propriæ redemptionis, & consequenter Christo illustrem & glorioſam; nihilominus negari non potest, fuisse illi magis illustre & glorioſum B. Virginem, sicut reliquos, iam incluſam in pacto, & per peccatum Adami in certissimo periculo peccati constitutam, ita redimere, vt ea neque in Adamo peccasset, neque culpam, aut eius debitum contraxisset, cùm id argumentum euidens valoris & efficaciæ suorum meritorum fuerit, vt ex Paulo ostendemus infrà disputatio. 10. capite 3. à numero 8. & aliunde B. Virgo omnino pura, & ab omni indecentia immunis permaneret. Vnde cùm hoc ita fieri potuerit, (vt infrà dis. 10. cap. 5. probabo) vt Christo hanc magnam gloriam attribuamus sine vllo detrimento Virginis, eam in pacto, sicut reliquos, fuisse incluſam, affirmare expedit.

43. *Exclusio B. Virginis à pacto non fuisset illi ita gloriosa, ac eius in illo inclusio.*

Insuper prædicta exclusio à pacto non fuit Virgini magis illustris & glorioſa, quàm inclusio eiusdem in pacto : nam per inclusionem acquisiuit ius, quo carebat, ad iustitiam & gloriam, si Adamus variis gratiis iam præmunitus, conditionem facillimam adimpleret. Et quòd quis, etiam si per ingressum exponatur periculo infelicitatis, non intret pactum, in quod cæteri omnes intrarunt, per quod beatitudinem, alias indebitam, facillimè consequi posset, ei ex se gloriosum non est. Neque obstat si dicas, exclusionem à pacto fuisse glorioſam Virgini, quia Deus, quando pactum iniuit per suam scientiam conditionatam, casum Adami futurum præcognouit; nam etiam in prædicto signo, & per eandem scientiam conditionatam Deus præsciuit, peccante Adamo, venturum Christum, & eum suis meritis B. Virginem, antequàm natura inficeretur, & peccasset in Adamo, à pacto ita erepturum, vt eam peccatum Adami, neque quoad culpam, neque quoad pœnam, attingeret. Vnde si illa præcognitio exclusionem à pacto fecit glorioſam B. Virgini; etiam hæc præcognitio exemptionis à pacto, reddidit primam in eo inclusionem B. Virgini & Christo magis illustrem & glorioſam. (vt vidimus suprà numero 42.) Vnde cùm inclusio B. Virginis in pacto ante peccatum, vt coniuncta cum eius à pacto exemptione post peccatum, sit B. Virgini & Christo magis illustris & glorioſa, quàm prædicta exclusio à pacto, eam in pacto fuisse inuolutam fateri debemus.

44. *Confirmatio discursus.*

Confirmatur discursus : nam opinio vindicans B. Virginem à peccato originali, valde communis est: vnde fundamentū, ex quo deducitur, firmum esse debet; siquidem hoc priuilegium Marianum ita defendi debet (vt bene aduertit Suarez 1. 2. tract. de peccatis, disput 9. sect. 4 numero 29.) vt sanctis tectisque alijs principiis aliorum communibus, & receptis, propugnari possit. Cæterùm, quòd B. Virgo in pacto non fuerit inclusa, neque est opinio communis & recepta, vt liquet; cùm oppositum præsupposuerint antequi, & multi ex modernis; neque valde firma; cùm magis voluntate defensorum, quàm solida ratione, aut auctoritate Patrum, aut Scripturæ nitatur: vnde immunitas omnimoda B. Virginis tam infirmo fundamento inniti non debet.

Suarez.

CAPVT VII.

Argumentis nonnullis respondetur.

CVm Aduersarij B. Virginem à pacto excluſam fuisse propugnent ex eo quòd eius à pacto exclusio possibilis fuerit, non argumentum solidum, sed solùm aliquas coniecturas nobis obijciunt, quibus eam de facto in prædicta lege non fuisse comprehensam stabilire procurant; quas adducam, vt contrariæ opinionis debilitas, & nostræ sententiæ robur magis clarescat.

46. *Obiectio & eius satisfactio.*

Primò obiciunt cum Salazar de Concept. cap. 20. aliquos Patres sibi relatos, asserentes B. Virginem ex meritis Christi decretam fuisse futuram ergo B. Virgo in pacto non fuit comprehensa; siquidem in illo solùm fuerunt inclusi, qui ante initionem pacti erant extra statum possibilitatis. Vnde cùm B. Virgo in signo, quo pactum iniebatur intra possibilitatis statum maneret; idcirco eam in pacto non fuisse inuolutam, necesse est. Respondeo, an aliquis intrauerit, vel non intrauerit pactum, & consequenter, an peccauerit, vel non peccauerit in Adamo, non esse desumendum ex eo quòd eius futuritio fuerit, aut non fuerit ex meritis Christi; sed ex eo, an fuerit ex Adamo per seminalem propagationem generatus, vt facit Tridentinum sess. 6. cap. 3. Vnde licèt Ioannes Baptista, & multi alij ex meritis Christi sint decreti futuri (vt ostendimus suprà disput. 2. cap. 2. numero 20.) eos à pacto nullus hactenùs excluſit. Et ratio est, quia pactum directum fuit ad omnes homines, qui in dicto signo erant possibiles sub conditione, si ex Adamo per seminalem propagationem nascerentur. (vt suprà disput. 2. capite 3. docui.) Quare cùm B. Virgo prædicto modo fuerit generata, ea etiam, si ex meritis Christi & post præuaricationem Adami fuerit decreta futura, vt Patres relati asserunt, pactum introiuit.

Salazar.

Trident.

47. *Alia oppugnatio proponitur.*

Secundò obiicies, si B. Virgo pactum intrauit; sequitur fuisse eidem gratiam, & iustitiam promissam dependenter à voluntate Adami, & Adamum fuisse caput morale & physicum illius : quod sine dubio tantam dedecet Imperatricem. Quis enim dicet, decere Reginam, vt mancipium, quale s post præuaricationem manſit Adamus, eius caput morale constituatur, ab eoque eius felicitas dependeat? Profectò mirissima sunt hominum ingenia, siquidem, quod alij glorioſum Christo & Matri, alij dedecus esse putant. Cæterùm si iustitia semel amissa per Adamum, aliter restaurari nequiret; indecentia fuisset eam Matri dependenter à voluntate Adami fuisse promissam. At Deo plures modi suppetebant, quibus B. Virgo, etiam Adamo naufragium patiente, ditaretur; & ita non indecentia, sed magnus fauor fuit, quòd Deus felicitatem, & infelicitatem matris, ita ab Adamo dependere voluerit, vt ipso peccante, porta maneret aperta ad hoc, vt

vt Virgo per Christum felix reddi posset.

48. *Satisfit oppugnationi.* Respondeo ergo, nos posse considerare Adamum in duplici statu, nempe ante peccatum, & post peccatum. Sanè Adamus ante præuaricationem, non mancipium diaboli, sed sanctus & multis donis supernaturalibus erat ornatus: & quòd Deus B. Virginem, casu quo ipsa ex ipso nasceretur, paternorum bonorum hæredem esse voluerit, nulla est indecentia, vt apparet. Etiam non est indecentia, quòd ex vi pacti felicitas & infelicitas ex voluntate Adami penderet; nam Adamus Pater physicus, iustitiâ originali, & alijs priuilegijs ornatus, erat: & quòd Princeps v.g. aliquis felicitatem, & infelicitatem filiorum, in voluntate patris eorum collocet, non indecentia, sed magnus fauor est. Si verò consideremus Adamum post præuaricationem, fateor illud tunc mancipium diaboli fuisse, & consequenter neque decuisse tantam Reginam, vt ipse caput morale illius esset; neque quòd huius felicitas ab Adamo captiuo, & omni felicitate indigno, penderet; & ideo ea à pacto per merita Christi erepta fuit, vt ostendemus infrà disp. 9 cap. 1.

49. *Noua instantia.* Instabis, licet B. Virgo post instans temporis, in quo peccauit Adamus, à pacto per Christum erepta fuerit, & consequenter tempore post peccatum subsecuto, Adamus iam mancipium, vt caput morale B. Virginis non perseuerauerit; at in ipso instanti temporis, quo Adamus deliquit, & captiuus diaboli primò factus fuit, B. Virgo in pacto inclusa perdurabat, & in illo instanti eius felicitas, aut infelicitas ab Adamo dependebat; & ideo ille iam mancipium diaboli, & Deo inimicus, & maculatus, caput morale B. Virginis fuit.

50. *Responsio ad instantiam.* Respondeo, adhuc in illo instanti temporis, quo primus parens præceptum violauit, eum non fuisse absolutè, sed solùm conditionatè caput morale hominum; nam solùm fuit constitutus caput possibilium, si hi ex Adamo futuri postea decernerentur, (vt diximus disput. 2. cap. 3.) cùm autem, quando deliquit Adamus, B. Virgo non fuerit absolutè decreta futura (vt diximus suprà disput. 2. cap. 3. n. 28.) idcirco Adamus in dicto instanti non fuit absolutè caput morale Virginis, sed solùm conditionatè. Cæterùm cùm conditio, iuxta commune proloquium, nihil ponat in esse, quòd Adamus in dicto instanti temporis fuisset caput morale Virginis, si illa decerneretur futura, & pariter à pacto non vendicaretur, indecentiam nullam in B. Virgine arguit. Declaratur, finge accidisse, quod nullam repugnantiam inuoluit, nempe Deum, quando pactum iniuit cum Adamo, in eo

eo comprehendisse humanitatem Christi Domini, si postea ex Adamo ea per seminalem propagationem, & verbo non vnita prodiret; sanè in hoc casu quia Adamus, quando deliquit, non fuisset caput morale absolutum; sed conditionatum prædictæ humanitatis, in ea sequenti tempore, & ante infectionem naturæ, decretâ miraculosè, & vniendâ Verbo diuino, nullum dedecus resultasset: ita quia in instanti temporis quo peccauit Adamus, ipse non erat caput morale absolutum, sed conditionatum Virginis (casu, inquam, quòd ex ipso naturaliter nasceretur, & à pacto ante infectionem naturæ non extraheretur) in ea ante infectionē naturæ decreta, & à pacto erepta, dedecus aliquod, aut indecentia non pullulauit (de quo iterum dis. 10. cap. 6. serm. redibit.)

DISPVTATIO QVARTA.

Quodnam fuerit peccatum primorum Parentum, in quo peccauimus, seu quod ex vi pacti fuit causa per se meritoria transfusionis culpæ originalis?

1. *Conditiones pacti initi cum Adamo latent.* SI verba omnia, & conditiones, quibus Deus pactum iniuit cum Adamo, nobis innotescerent, facilius quæstioni propositæ responderetur; verùm quia ea latent, etiam culpa primorum parentum, quæ fuit causa adæquatè meritoria & per se nostræ infelicitatis, nobis obscura est. Vnde Doctores circa præsentem difficultatem diuisos videmus. Sed antequam vlteriùs procedam, moneo, aliquos sensisse nos peccasse in Adamo, esse nos moraliter influxisse in culpam illius. Alij verò (quibus adsensimus suprà disputatio. 1. cap. 3.) asserunt, nos peccasse in Adamo, esse Adamum formaliter nostram ruinam promeruisse. Verùm impræsentiarum ab hac quæstione abstinemus, & quidquid de illa sit, nunc inquirimus, quodnam fuerit Adami peccatum, ad quod moraliter concurrimus secundùm aliquos; seu secùdùm alios, quod fuit causa meritoria transfusionis culpæ

originalis, siquidem omnes supponunt peccatum Adami, quod formaliter nostram mortem spiritualem, & temporalem meruit, seu ad quod moraliter concurrimus, fuisse vnum & idem; idcirco titulum præsenti disputationi sub præfata disiunctione præfiximus.

CAPVT I.

Aliqua præsentis difficultatis resolutioni non inidonea præmittimus.

2. *Primi parentes plura peccata in paradiso commiserunt.* Suarez. Pereira. Salianus.

PRimò suppono, Adamum & Euam plura peccata antequam sententiam audirent, & à paradiso exularent, commisisse, vt ex Scriptura, & Patribus bene conuincunt Suarius lib. 4. de Opere sex dierum cap. 3. & 4. Pereira lib. 4. in Genes. disputatio. *An Adam fuerit deceptus?* Salianus in Annalibus, anno 1. die. 13. Inter quæ primo loco numeratur superbia à S. Augustino lib. 14. de Ciuit. cap. 13. & 15. Chrysost. homil. 16. in Genes. Gregorio lib. 34. Moral cap. 17. Damasceno lib. 2. cap. 10. Bernardo serm. 1. de Aduentu, quos sequitur S. Thomas 2.2. q. 163. art. 1. Secundo loco numeratur infidelitas seu culpa contra fidem, quâ primi parentes de veritate comminationis diuinæ dubitarunt. Præterea secundùm aliquos fuit in nostris progenitoribus peccatum inobedientiæ formalis, quâ præceptum sibi impositum contempserunt; & præfati Doctores id ex Paulo ad Rom. 5. & Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali, colligi arbitrantur. Quartum peccatum numeratur nimia curiositas experiendi quid in fructu vetito lateret, vt ait Pereira supra; quibus motuis impulsi primi parentes ex arbore scientiæ comederunt, & quintum peccatum, nempe gulæ, perpetrarunt. Præter quinque relata peccata, sextum aliud delictum nostri progenitores in paradiso commiserunt, dum se excusarunt; &, vt aliqui Patres obseruant, propriam culpam in ipsum Deum coniecerunt. Insuper aliqui recentiores, qui nobiscum sentiunt, Adamum, si ante prolationem diuinæ sententiæ peccati pœnituisset, transfusurum in posteros iustitiam originalem; ei septimum peccatum, scilicet impœnitentiæ superaddunt. Sicut enim peccatores in articulo mortis constituti pœnitere debent, ne vitam æternam amittant; ita aiunt, Adamum, quando de suo peccato fuit à Deo Genes. 3. interrogatus, fuisse obligatum ad perfectè pœnitendum; ne eius posteri in miserias, in quas incidimus, laberemur. Denique nonnulli nostros primos parentes alias culpas præter dictas etiam admisisse, arbitrantur, nempe furti, ingratitudinis, scandali formalis.

August. S. Chrys. S. Greg. S. Damas. S. Bern.

S. Thom.

Ad Rom. Trident.

Pereira.

Genes.

malis. Verùm quia rigidius examen de peccatis nostrorum progenitorum, ad nostrum institutum non conducit, ad alia his omissis properamus.

3. *Explicatur quartus modus dicendi per se.* Aristot.

Secundò suppono, Aristotelem 1. Posteriorum cap. 4. quatuor modos dicendi per se inuenisse, quos in materia de Trinitate olim explicui; tamen quia tres priores præsenti controuersiæ non deseruiunt, illis prætermissis, quartum modum dicendi per se hic examinare oportet. Ille enim (teste Vasquez 1. p. disput. 143. cap. 1. n. 20 & Alarcon 1. p. tract. 5. disput. 8. cap. 7. numero 10.) est, quando causa prædicatur de suo effectu, in quem formaliter & realiter influit. Quippe multoties accidit, vt aliqua causa duplicem formam habeat, quarum alia tantùm realiter & formaliter influit in effectum, qui hic & nunc nō fieret sine illa, siue altera forma absit, siue adsit; & propterea hæc causa per accidens, & illa causa per se præfati effectus censetur. Cuius rei plura passim suppetunt exempla: homo enim, quando aliquod obiectum oculis intuetur, plures habet formalitates, cùm sit intellectiuus, volitiuus, visiuus, auditiuus, &c. & tamen quia in visionem non influit vt intellectiuus, volitiuus, aut auditiuus; sed solùm vt visiuus; idcirco potentia intellectiua, volitiua, & auditiua, causa per accidens visionis; & potentia visiua, causa per se eiusdem nuncupatur, & est. Ob hanc rationem Philosophi causas mediatas seu remotas alicuius effectus (etiam si in illum mediatè, & in causam proximam prædicti effectus immediatè & per se influant, respectu illius causas per accidens appellare solent, vt obseruauit Vasquez 1. p. disput. 168. cap. 2. numero 4. nempe quia causa proxima non influit in præfatum effectum, vt à sua causa immediata dependet; siquidem si ab alio principio orta fuisset, prædictum effectum produxisset. Exemplo communi declaratur. Abrahamus fuit causa immediata & per se sui filij, nempe Isaaci, & Isaacus fuit etiam causa proxima & per se Iacobi; vnde Abrahamus fuit auus Iacobi, & consequenter causa mediata illius; tamen quia Isaacus non genuit suum filium Iacobum, quatenus ipse Isaacus ab Abrahamo dimanauit, (siquidem si Isaacus per possibile vel impossibile ab alio fuisset procreatus, suum filium Iacobum generare potuisset) idcirco Abrahamus respectu Iacobi causa per accidens esse censetur.

Vasquez. Alarcon.

4. *Deus potuit dupliciter pactum inire cum Adamo.*

Tertiò suppono, Deum duobus modis potuisse pactum inire cum Adamo. Primò Deus potuit decernere punire Adamū & eius posteros casu quo ipse fructum interdictum deglutiret, etiā si nullam aliam culpam superbiæ,

aut alterius peccati distincti formaliter à malitia gulæ admisisset. Quis abnuat, cùm id nullam repugnantiam inuoluat? Secundò potuit Deus statuere, Adamum & eius progeniem mulctare casu quo non solùm de fructu vetito comederet, sed simul etiam alia peccata perpetraret. Si hoc posteriori modo pactum fuisset celebratum, planè sequitur, non solam malitiam comestionis; sed eandem vt coniunctam cum alijs culpis, fuisse causam per se nostræ ruinæ: siquidem quacumque malitiâ ex illis ablatâ, Deus ex vi pacti homines iustitia originali denudare non teneretur. Verùm si Deus priori modo fœdus cum Adamo iniuisset, reliquæ malitiæ causa per accidens, & sola malitia intemperantiæ seu gulæ, causa per se tranfusionis peccati originalis censerentur; siquidem hâc solâ positâ, & illis omnibus ablatis, Deus ex vi pacti nos omnes mulctaret. Neque obstaret quòd in casu dictæ hypothesis, motiua aliorum vitiorum fuissent causa per se comestionis Adami de ligno prohibito; nam præfata motiua vitiosa proximè influentia in prædictam comestionem, fuissent causæ mediatæ respectu transfusionis peccati originalis. Quare cùm causæ mediatæ respectu effectûs mediati & remoti, sint causæ per accidens (vt suprà numero 3. dicebam) idcirco prædicta motiua vitiosa, respectu nostræ ruinæ, per accidens se habuissent. Exemplo notissimo hanc doctrinam illustro. In canone, *Si quis suadente diabolo*, imposita est excomunicatio contra percussores Clericorum. Sanè si aliquis, vt furaretur, seu vt adulteraret, clericum verberaret aut occideret, excommunicationem prædictam incurreret; non vt fur, aut adulter; sed vt sacrilegus aut iniustus, nempe quia excommunicatio præfata non malitiæ furti, aut adulterij; sed iniustitiæ sacrilegæ alligatur. Vnde motiua furti, & adulterij, & malitiæ inde resultantes, quamuis per se influxerint in percussionem sacrilegam, tamen respectu excommunicationis incurrendæ, per accidens se habent, & non sunt causæ in quarto modo dicendi per se: siquidem illis culpis ablatis, percussor sacrilegus excommunicatus maneret; ita licèt in casu dictæ hypothesis, motiua superbiæ, inobedientiæ expressæ, infidelitatis, nimiæ curiositatis, & similium vitiorum, influxissent proximè & per se in comestionem Adami, fuissent nihilominus causæ per accidens nostræ infelicitatis: scilicet quia prædicta pœna, non dictis vitijs, sed solùm intemperantiæ Adami, vndecumque prouenienti, fuisset alligata.

5. *Corollarium.*

Ex dictis sequitur euidenter, ad hoc vt asseueremus, Patres aut Scripturam sacram sensisse aliqua peccata determinata primorum parentum, fuisse causam per se nostræ infelicitatis, non sufficere quòd eam illis attribuant; nam iuxta communem modum loquendi, effectum non solùm causis proximis formaliter & realiter in illum per se influentibus, sed etiam causis remotis, & consequenter per accidens ad illum concurrentibus, adscribere solemus. Quod si Doctores moderni bene perpendissent, forsan tot opiniones circa præsentem quæstionem, non fuissent excogitatæ. Confirmatur: Sapientiæ 2. dicitur: *Inuidiâ diaboli mors intrauit in mundum*; & tamen nemo effutiet, inuidiam diaboli transfundi originaliter in posteros Adami, aut illam fuisse causam meritoriam & per se nostræ infelicitatis. Insuper Ecclesiastici 25. legitur: *Per illam* (nempe Euam) *omnes morrimur*; & nihilominus communiter Theologi cum S. Thoma, Euam fuisse causam per se nostræ ruinæ constanter negant, vt videbimus infrà à numero 7. Ergo licèt Patres, & Scriptura, nostram ruinam alijs peccatis attribuant; non sufficit vt inde ea fuisse causam per se illius, solidè deducamus. Hoc enim ex alijs principijs diiudicandum est. Et si roges, quænam sint principia ex quibus vera resolutio præsentis dubij venari possimus; respondeo esse inter alia præcipuè duo: Primum est, præcepta quæ primorum Parentum peccata violant: si enim præcepta fuerint imposita primis parentibus vt capiti generis humani, seu vt suam prolem continentibus; peccata eis opposita erunt delicta naturæ, & consequenter causa per se nostræ ruinæ. Si verò prædicta præcepta fuerint personalia, peccata quoque eis opposita, personalia erunt, & ad stirpem totam humanam non se extendent. Ob hanc rationem Theologi omnes (vt vidimus suprà disputatio. 1. numero 4.) pactum, seu ordinationem diuinam prærequirunt, vt peccata primorum parentum nobis nocere possent; siquidem illâ ablatâ, delictum Adami, sicut neque delicta aliorũ progenitorum, suæ proli non obesset. Secundum principium, ex quo præfata lis dirimi debet, sunt testimonia Scripturę, & Patrum, in quibus non de causa vtcumque transfusionis peccati originalis; sed de causa per se prædicti effectus disputatur; siquidem priora testimonia, cùm indifferentia sint, ad causam per se, vel per accidens, neutram partem definire valent.

Sapientia.

Eccleſiaſt.

CAPVT II.

Singularis quædam sententia reiicitur.

6. *Prima opinio.*

PRima sententia asserit, peccata Euæ & Adami simul sumpta, fuisse causam per se nostræ ruinæ: vnde Adamo peccante, si Eua obediens permansisset, & econtrariò, culpa originalis non transfunderetur. Ita aliqui recentiores, quos suppresso nomine refert Hurtado 1. 2. tract. de peccatis disputatio. 6. difficult. 7. fundamentum potissimum huius sententiæ est, quia tum Patres, tum Scriptura iam peccatis Adami, iam peccatis Euæ, iam peccatis vtriusque nostram infelicitatem attribuunt.

Hurtado.

7. *Depellitur.*

Hanc opinionem meritò S. Thomas 1.p.q.81.art.5. & communiter Theologi reiiciunt; & asserunt, solum Adamum fuisse causam per se nostræ ruinæ; vnde Adamo præceptum diuinum transiliente, si eius vxor obediens perseueraſſet, culpa originalis transfunderetur. Probatur primò ex Paulo ad Rom. 5. vbi Apostolus agens de causa per se nostræ ruinæ, per vnum hominem (nempe Adamum) mortem in mundum intrasse, & in eo omnes peccasse, testatur: *Per vnum hominem*, ait, *peccatum in hunc mundum intrauit, in quo omnes peccauerunt* (& paulò infrà) *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantia gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, regnabunt per vnum Iesum Christum.* & 1. Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ergo solus Adamus, & non Eua, fuit causa per se nostræ infelicitatis: alioquin si vterque primus parens ad nostram ruinam per se concurrisset, ea non ab vno, & per vnum hominem; sed à duobus, & per duos homines, nempe Adamum & Euam, emanasset.

Ad Rom.

8. *Responsio refertur.*

Respondent præfati recentiores, maritum & vxorem vnam carnem appellari; vnde quando Paulus per vnum hominem mortem in mundum intrasse perhibuit, nomine vnius hominis, Adamum & Euam intellexit. Neque obstat, aiunt, quòd Apostolus nomen Adami expresserit, & per illum nos mortuos fuisse, & in illo peccasse, affirmauerit; nam, vt constat ex cap. 5. Genes. tam Eua quàm eius maritus, *Adamus*, nominantur, *Masculum & fœminam* (ait sacer textus) *creauit eos, & vocauit nomen eorum Adam*: vnde quando Apostolus per vnum hominem mortem in mundum intrasse, & nos in Adamo deliquisse, perhibuit, vtrumque primum parentem denotauit, & ab vtroque præfatam pœnam deriuari voluit, vt explicuerunt S. Ambrosius, & S. Hieronymus in commentarijs epistolæ ad Rom.

Genes.

Ambros. Hieron.

9. *Reiicitur solutio adlata.*

Verùm prædicta expositio communi Patrum explicationi contradicit, vt bene aduertit Hurtado tract. de peccatis disp. 6. difficult. 7. neque illi fauent Ambrosius & Hieronymus in Commentarijs super epist. ad Rom. cùm prædicta Commentaria dubiæ auctoritatis sint, (vt aduertit Lorca 1. 2. q. 81. art. 5.) & varijs erroribus Pelagianorum respersa. Secundò licèt maritus, & vxor vna caro nuncupentur, nunquam tamen vnus homo absolutè perhibentur, sumpto nomine numerali *vnus* in genere masculino; quare cùm Apostolus sumpserit prædictum nomen in genere masculino, vt constat ex textu Græco & Latino, idcirco Paulus per illas voces, non Euam, sed eius virum tantùm significauit. Tertiò do, nomen *Adam* tam Euæ, quàm eius viro conuenire, (vt bene probat Cornelius ad præfatum locum Geneſis) nihilominus quotiescumque Scriptura aliquid Adamo absolutè attribuit, vel eum aliquid fecisse testatur, per nomen *Adam*, solùm primum virum intelligit, & illum ab Eua, & reliquis alijs distinguit. Vnde cùm in testimoniis citatis nos in Adamo mortui, & in eo peccasse absolutè dicamur, per nomen *Adam*, non Euam, sed eius solum virum interpretari debemus; siquidem hæc expositio est germana, textui sacro magis consentanea, & à Tridentino insinuata, vt numero 10. videbimus. Denique impugnatur prædicta solutio: nam Apostolus locis citatis multoties repetit nostram ruinam, & captiuitatem ex vno homine deriuari, sicut nostra libertas & redemptio ex vno homine, nempe Christo, dimanat; vnde sicut solus vnus vir, nempe Christus, fuit causa per se & totalis nostræ redemptionis; ita vnicum virum, scilicet Adamum, nostræ captiuitatis causam totalem per se extitisse, fateri debemus: alioquin comparatio inter Christum & Adamum toties inculcata, non bene cohæreret.

Lorca.

10. *Relata sententia ex Tridentino impugnatur.*

Secundò impugnatur prædicta sententia ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali, vbi agens de causa per se nostræ mortis, & captiuitatis, eam, nullà factà mentione Euæ, eius viro solùm attribuit, & hunc nobis iustitiam amisisse, nosque in eo, iuxta Paulum ad Rom. 5. peccasse, definit; quod manifestè persuadet, non Euam, sed solum eius maritum, mortem in mundum per se introduxisse. Alioquin si Eua quoque nostram ruinam ex vi pacti promeruisset, eamque per se causasset, Patres Tridentini valde diminutè in prædicto capite processissent; siquidem concurrente Eua per se ad nostram capti-

Trident.

captiuitatem, & peccati originalis transmissionem; hanc, illâ omissâ, in solum eius virum coniecissent.

11. *Alia impugnatio à priori.*

Ratio à priori nostræ conclusionis est: nam illud peccatum transfunditur in posteros, & nostram ruinam per se causauit, quod fuit perpetratum à persona diuinitùs constituta tamquam caput morale generis humani; seu quod contraueniebat præcepto impositio alicui personæ, vt continenti, & repræsentanti totam eius posteritatem; sed non Eua, sed solus eius vir, fuit caput generis humani à Deo constitutum, illique vt continenti totam naturam præceptum impositum; ergo non Eua, sed solus Adam culpam originalem per se transmisit, & nostram mortem inuexit. Consequentia est legitima. Maior ab omnibus admittitur, (& constat ex dictis suprà n. 5.) Minor continet duas propositiones, nempè nō Euã, sed solũ Adamum fuisse caput morale generis humani, seu non illi, sed huic vt posteritatem repræsentanti, fuisse præceptum impositum. Et primò quòd Adamus fuerit caput morale generis humani, seu quòd ei vt representanti totam posteritatem Deus præceptum imposuerit, nemo negare audebit; cùm id ex Paulo, & Tridentino suprà, & communi sensu fidelium omnium euincatur. Quòd verò Eua non fuerit diuinitus constituta caput morale posterorum, neque ei vt eos representanti vllum præceptum impositum, liquet tum ex dictis suprà numero 7. & 10. tum quia (vt bene S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3.) ad affirmandum Deum aliquid diuinitus effeciſſe, quod omittere bene potuit, id in Scriptura, aut Patribus expressum reperiri debet; quare cùm neque ex Scriptura, neque ex Patribus clarè colligatur, Euam fuisse diuinitus constitutam caput morale generis humani, neque ei, vt totam posteritatem repræsentanti, fuisse aliquod præceptum impositum, ideo eam fuisse causam per se nostræ ruinæ negare debemus. Neque obstat, Patres passim, & Scripturam Ecclesiastici 25. nostram ruinam Euæ attribuisse; nam (vt dicebamus suprà numero 5.) Patres, & Scriptura nostram infelicitatem causis remotis & per accidens adscribere solent. Vnde, vt loco citato aduerti, præter dictam attributionem aliquod aliud fundamentum requiritur, vt aliquam personam, vel peccatum, causam per se nostræ ruinæ fuisse dicamus.

S. Thomas.

CA-

CAPVT III.

Variæ sententiæ referuntur, & probabilior designatur.

12. QVamuis Doctores solum Adamum causam per se transmissionis culpæ originalis fuisse communiter fateantur, discrepant tamen in peccato Adami originaliter transfuso, & ideo eorum sententias referre placet.

13. *Secunda sententia proponitur.* Secunda ergo sententia asserit nullum peccatum determinatum Adami fuisse causam per se, & ex vi pacti necessariam ad transfusionem delicti originalis; sed ad hunc effectum quamlibet culpam grauem illius satis fuisse. Vnde si Adamus à ligno vetito abstinuisset, & tamen aliquod aliud peccatum mortale admisisset; in eo deliquissemus, & infelices, sicut modò, conciperemur. Ita Azor lib. 4. institutionum moralium cap. 3. q. 2. Zumel 1. 2. q. 81. art. 1. disputatio. 1. fauet Vasquez 1. 2. disputatio. 133. cap. numero 8. & disputatio 241. cap. 10. n. 78. dum pactum initum cum Adamo ad transmissionem peccati solùm requisitum fuisse ait, quia materiam, in qua Adamus puniretur, apposuit. Citatur etiam S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. vbi asserit, primum peccatum Adami fuisse originaliter transfusum.

Azor. Zumel. Vasquez. S. Thom.

14. *Tertia sententia refertur.* Tertia sententia inter Adami peccata distinguit. Alia enim comestionem Adami de ligno vetito antecesserunt, seu illam comitata sunt, qualia fuerunt superbia, infidelitas, nimia curiositas, contemptus præcepti, & alia similia motiua vitiosa quibus primus Parens attractus fructum vetitum comedit; & alia præfatam comestionem deinceps subsecuta sunt, qualis fuit excusatio Adami, & si quod aliud delictum ipse ante exilium à paradiso perpetrauit. Quo posito, aiunt Patroni huius sententiæ, comestionem Adami simul cum alijs culpis, quæ illam antecesserunt seu comitatæ sunt, fuisse causam per se nostræ ruinæ. Vnde cùm infidelitas, superbia, nimia curiositas, & alia motiua vitiosa, quibus allectus Adamus comedit, gulam tempore, vel saltem naturâ præcesserint; idcirco in illis omnibus peccatis deliquimus; & ea omnia, nostræ corruptionis causa per se totalis & adæquata fuerunt. Cæterùm reliqua peccata, quæ post consummatam comestionē Adamus admisit, in nostram ruinam non influxerunt, neque in illis peccauimus. Ita Granados tom. de Incarnationes controu. 2. tract. 1. disputatio 1. sect. 14. numero 113. & 114. fauent Patres & Scriptura, nostram infelicitatem attribuentes iam

Granados.

superbiæ, iam inobedientiæ, iam comestioni, iam alijs culpis Adami in prædictam comestionem influentibus.

15. *Quarta opinio aperitur.*

Quarta sententia supponit Adamum non corrupisse naturam totam horâ v. g tertiâ, quando comedit, sed horâ v. g. nonâ, quando se excusauit, seu impœnitens à Iudice Deo repertus, audiuit illa verba Genes. Genes. 3. *Terra es.* Quo posito, asserunt aliqui recentiores, tam comestionem Adami, & peccata quæ illam antecesserunt, seu comitata sunt, quàm excusationem, & impœnitentiam postea subsecutam, nostræ perditionis causam per se extitisse: & ideo nos in prædictis omnibus peccasse. Citant S. Thomam 2. 2. q. 163. art. 1. ad 2. vbi asserit, superbiam, & gulam Adami damnum intulisse naturæ, & in 2. dist. 23. art. 1. præfatum damnum formaliter ex superbia, & materialiter ex gulâ prouenisse innuit. quod etiam tenuit Bonauentura in 2. dist. 33. numero 2. sed melius citatur Seraphinus Capponi à Porrecta, ordinis Prædicatorum, in Veritatibus aureis super totam legem veterem, ad illud capitis 3. Genes. *Mulier, quam dedisti mihi.* vbi conclu. 13. ait: *Pœna pro peccato, tum comestionis, tum excusationis, vtrique ipsorum inflicta est.* Idem tradidit Guillelmus Pepinus eiusdem ordinis serm. in sabbat. post secundam Domin. Quadragesimam, & B. Thomas de Villanoua serm. tertiæ Dominicæ Quadragesimæ, cuius verba referemus infrà disput. 5. n. 26. Fauere videntur Patres relati infrà disput. 5. cap. 5. & disput. 6. cap. 2. innuentes, Adamum cum sua propagine fuisse punitum, quia post comestionem se excusauit, seu pœnitentiam ante prolationem diuinæ sententiæ, agere noluit.

S. Thom. Bonaven. Porrecta. Pepinus. Villanoua.

16. *Explicatur quarta sententia.*

Prædictam quartam sententiam duobus modis propugnatam fuisse à Doctoribus quibusdam Complutensibus subaudio: alij enim existimantes nos peccasse in Adamo, esse Adamum formaliter promeruisse nostram ruinam, aiunt, singula prædicta peccata ita fuisse causam partialem meritoriam nostræ ruinæ, vt meritum formale nostræ infelicitatis in Adamo non resultauerit, donec vltimum peccatum, nempe impœnitentia finalis Adami, vt personæ publicæ, appositum fuit: quæ, vt videbimus infrà disput. 7. n. 5. extitit horâ v. g. nonâ, quando Deus in primos Parentes sententiam potulit condemnatoriam. Neque mirum est, extisse peccatum aliquod, ex illoque meritum pœnæ tunc temporis non resultasse, donec aliqua alia committerentur; cùm id diuinam potentiam non excedat, vt sentit noster Ægidius de sacram. Pœnit. disp. 2. n. 18. & fauet Lugo de Pœnit. disp. 10. à n. 16.

Ægidius. Lugo.

Alij

17. *Quintus modus sentiendi refertur.*

Alij verò recentiores Complutenses (sit hoc quintum placitum) qui arbitrantur, nos peccasse in Adamo, esse nos moraliter influxisse in culpam primi Parentis; vt B. Virginem à peccato, & eius debito prorsus immunem reddant, asserunt, solam excusationem Adami, aut impœnitentiam relatam (vtramque pro eodem peccato accipiunt) fuisse causam per se nostræ ruinæ, & in prædicta impœnitentia comestionis præfatæ peccasse, ad illamque solùm nos moraliter influxisse. Vnde cùm impœnitentia comestionis, comestionem prædictam necessariò præsupponat, vt liquet, ideo ad transmissionem peccati originalis, tam comestio Adami, quàm eius impœnitentia, fuit ex vi pacti necessariò requisita; sed cum discrimine; nam comestio fuit peccatū personale Adami; at impœnitentia prædicta, fuit peccatum naturæ, & ita nos neque in illâ peccauimus, neque ad illam moraliter influximus; sed solùm in hac sola, ad quam moraliter tantùm concurrimus. Vnde comestio ad transmissionem peccati originalis, vt materia, seu vt obiectum pœnitentiæ requisitæ ad nostram felicitatem, concurrit ad nostram ruinam.

18. *Verior sententia exponitur.*

Sexta sententia longè probabilior asserit, solam malitiam gulæ Adami fuisse ex vi pacti initi cum primo Parente, causam per se totalem, & adæquatam, & meritoriam nostræ infelicitatis: vnde si Adamus nullum aliud peccatum præter gulam habuisset, culpa originalis ex vi pacti transfunderetur: addidi *meritoriam*, vt abstraham ab illa quæstione, quam infrà disputatio. 6. capite 7. numero 44. agitabimus, an præter meritum & peccatum, fuerit aliqua alia circumstantia non peccaminosa requisita ex vi pacti, ad nostram infelicitatem. Hanc sententiam tradunt Suarius 1. 2. tract. de peccatis disputatio. 9. sect. 3. numero 7. Hurtado ibidem disput. 7. difficul. 10. Salmeron in epist. ad Rom. disputatio 45. circa finem Montesi. 1. 2. q. 81. disputatio 11. Lorca ibidem q. 81. ad art. 5. & multi alij: sed cum discrimine: nam aliqui voluntatem internam, & actum externum comestionis ad corruptionem naturæ cum nostro Hurtado suprà ex vi pacti prærequirunt: alij cum Suario, & Montesinos solam voluntatem internam efficacem comedendi ad præfatam ruinam suffecisse arbitrantur: de quo aliquid infrà numero 27. dicemus. Sed priùs prædictam sextam sententiam varijs conclusionibus stabilire operę pretium est.

Suarez. Hurtado. Salmeron. Montesin. Lorca.

CAPVT IV.

Comestionem Adami fuisse peccatum naturæ, in eaque nos omnes peccasse, seu eam fuisse causam per se saltem partialem nostræ infelicitatis ostenditur.

19 *Conclusio probatur* S. Thomas.

PRæfixa conclusio non solùm est S. Thomæ 2. 2. q. 163. art. 1. ad 2. sed etiam omnium Theologorum, vt Hurtado 1. 2. tract. de peccatis disp. 10. difficul. 10. obseruauit: qui addidit esse communem sensum fidelium. Idemque S. Aug. lib. 14. de Ciui. cap. 12. & 15. S. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 18. Bernardus lib. de Præcepto & dispensat. cap. 14. & alij Patres passim supposuerunt. Probatur primò; nam illud peccatum fuit causa per se transfusionis culpæ originalis, seu mortis spiritualis posterorum, quod fuit causa per se mortis corporalis eorundem, seu per quod mors corporalis in mundũ intrauit: sed comestio Adami de ligno vetito fuit causa per se nostræ mortis corporalis, seu vt mors in mundo dominaretur; ergo comestio Adami fuit causa per se nostræ ruinæ. Consequentia est legitima. Minor patet ex Genes. 2. & 3. vbi Deus nõ solùm mortem corporalem Adamo cõminatus est, si fructum prohibitum manducaret; sed etiam eam ob prædictam comestionem immissse perspicuè perhibetur. Vnde maior, in qua posset esse difficultas, probatur; nam (vt dicemus infrà disp. 5. n. 33.) Deus sub eadem conditione mortem corporalẽ, & spiritualẽ, & reliquas miserias posterorum comminatus est; vnde peccatũ, quod aliquâ ex illis introduxit, cæteras alias in mundũ inuexisse, necesse est. Quod apertè innuit Paul. ad Rom. 5. & Trident. ses. 5. cap. de peccato originali, dum eidem peccato Adami mortem corporalem, & spiritualem posterorum adscribunt. Ad Rom. Trident.

20. *Iterum conclusio roboratur.*

Secundò probatur; nam illud delictum Adami nostram ruinam saltem partialiter per se causauit, quod fuit ab Adamo vt persona publica cõmissum; seu quod fuit contra præceptũ impositũ Adamo, vt suam totã progeniẽ continenti, & repręsentanti (vt omnes supponunt, & constat ex dictis suprà n. 6.) sed comestio ex arbore vetitâ fuit contra prædictum mandatum; ergo præfata comestio fuit causa per se saltem partialis nostræ infelicitatis. Minor probatur; nam illud præceptum, *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, ad Adamum, & eius posteros directum fuisse, omnes Patres, teste Suario 1. 2. tract. de Peccatis disputatio. 9. sect. 3. numero 7. supponunt. Vnde cùm præfatum gulæ delictum fuerit contra præceptum Adamo vt capiti generis humani, seu vt suos posteros continenti, impositum, ideo illud fuisse causam per se saltem partialem nostræ ruinæ, fateri oportet. Confirmatur; nam Patres relati infrà disputatio 5. numero 6. & numero 37. illam sententiam Genes. 3. *Quia comedisti* &c. non solùm contra Adamum, sed etiam contra eius posteros à Deo pronunciatam fuisse, testantur: ex quo clarè deducitur, gulam Adami fuisse peccatum naturæ, seu posterorum; alioquin si præfata transgressio non peccatum naturæ, sed solùm personale Adami fuisset, ob illam Deus totum genus humanum mortalitate, exilio à paradiso, & priuatione iustitiæ, non castigasset.

21. *Idem auctoritate Ecclesiæ adstruitur.*

Insuper eadem conclusio auctoritate Ecclesiæ stabilitur: illa enim in Præfatione missæ de sancta Cruce, sic canit; *Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Vbi eodem modo tradit Ecclesia nostram vitam à ligno crucis deriuari, ac nostra mors à ligno primis parentibus vetito, emanauit: sed mors Christi in ligno, fuit causa per se meritoria nostræ vitæ, & redemptionis (vt omnibus in confesso est) ergo comestio Adami ex dicto ligno, etiam fuit causa per se saltem partialis nostræ mortis & captiuitatis. Confirmatur; nam illud peccatum Adami non fuit personale, sed totius naturæ, & consequenter causa per se nostræ ruinæ, ob cuius remedium Verbum æternum primariò nostram assumpsit mortalitatem; siquidem (vt suprà disputatio. 1. capite 5. numero 105. ostendimus) Christus primariò & principaliter, non in remedium peccatorum personalium, sed peccati omnium hominum infectiui, aduenit; sed Christus fuit primariò prædestinatus in remedium comestionis Adami (vt loco proximè citato stabiliui) ergo comestio fuit peccatum naturæ, & consequenter causa per se nostræ captiuitatis.

Ecclesia.

22. *Eadem conclusio ex Tridentino suadetur.*

Præterea nostra conclusio solidè ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali, roboratur, vbi Patres tractantes de peccato Adami, in quo peccauimus, seu quod fuit causa per se damnorum, in quę Adamus, & nos incurrimus, hæc scripserunt: *Primum hominẽ Adam cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam amisisse, incurrisseque per offensam præuaricationis huiusmodi mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus.* Et can. 2. subiunxerunt: *Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, vt acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, &*

non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, anathema sit: cùm contradicat Apostolo dicenti, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit. In quo omnes peccauerunt. Vbi licèt Concilium clarè non exprimat speciem infimam peccati, in quo peccauimus (vt obseruauit Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disputatio, 1. numero 31.) nihilominus tot signa illius adhibuit, vt ex illis speciem infimam prædicti peccati facilè monstrare possimus. Prima proprietas peccati, in quo peccauimus, est, quòd per illud mors in mundum intrarit, quam tetigit etiam Apostolus ad Rom. 5. & ex illa argumentum in fauorem nostræ conclusionis formauimus supra numero 19. Secunda proprietas prædicti peccati est, quòd fuerit contra præceptum Dei, & in paradiso ab Adamo perpetratũ. Tertia est, quòd ob illud Adamus mortem, nempe corporalẽ, quam Deus ei antea comminatus fuerat, incurrerit: has enim proprietates illa verba: *Cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim incurrisse per offensam præuaricationis huiusmodi, mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus*, clarè significant. Neque argumentum inde deducendum eneruabis, respondendo, Concilium prædictas proprietates attribuisse non præuaricationi Adami, in qua peccauimus, seu quæ nobis per se nocuit (de qua solùm agit in secundo canone citato) sed præuaricationi personali Adami, quâ ipse sibi iustitiam amisit, & captiuitatem incurrit, (de qua Concilium in primo canone solùm tractauit.) Hoc, inquam, non obest; nam præuaricatio Adami, quæ illi, & nobis nocuit, & de quâ Concilium in primo & secundo canone citato agit, vna & eadem est, (vt contexus ipse persuadet) solùm est discrimen, quod Concilium in primo canone, damnat, quæ Adamo ex suâ præuaricatione euenerunt; & in secundo, damna, quæ nobis ex eadem contigerunt, declarauit. Cuius veritatis est validum argumentum, nempe Concilium probasse præuaricationem Adami illi, & nobis nocuisse, ex illo ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*; vbi Paulum de vno & eodem peccato sermonem instituisse, omnes supponunt. Confirmatur; nam Concilium can. 2. definiuit contrauenire Apostolo in loco citato, qui asseruerit, præuaricationem Adami illi solùm, & non nobis nocuisse; quo denotatur, præuaricationem, de qua egit Concilium in canone 1. & 2. seu quæ

Granados.

Paulus.

quæ obfuit Adamo, & nobis, vnam & eandem esse; alioquin si prædictæ præuaricationes realiter distinguerentur, qui negaret præuaricationem, & transgressionem præcepti Dei, quæ nocuit Adamo, nobis quoque obfuisse, neque Apostolo, neque veritati aduersaretur. Quo posito, sic arguo.

23. *Argumentũ formatur.* Illa præuaricatio Adami, in qua peccauimus, seu quæ nostram ruinam per se, saltem partialiter, causauit, non mandato naturali, sed solùm mandato Dei, seu præcepto positiuo Dei aduersabatur, vt constat ex Tridentino; sed comestio Adami de ligno vetito, contrauenit præcepto positiuo Dei, vt constat ex Genes. 2. & 3. ergo præfata comestio fuit in qua peccauimus.

24. *Euasioni occurritur.* Forsan aliquis respondebit: per mandatum Dei, in cuius transgressione peccauimus, non intelligi præceptum positiuum diuinum, sed præceptum vt sic, abstrahens à præcepto naturali & positiuo; vnde cùm fuerint multa alia præcepta obligantia Adamum, ex eo quòd eius comestio contra mandatum Dei fuerit, in illa nos peccasse non concludetur. Hoc, inquam, non obest; nam Concilium illa verba, *Cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus*, posuit, vt culpa Adami, ex quâ eius, & nostra mors emanauit, cognosceretur, & ita peccatum, in quo peccauimus, asseruit fuisse in paradiso peractum, & mandato Dei contrarium: vnde per illa verba, *Cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus*, non præceptum vt sic, sed præceptum positiuum prohibens fructum arboris scientiæ, interpretari debemus; alioquin si per mandatum Dei idem ac præceptum vt sic insinuaretur, superfluè Concilium addidisset, *Dei*; & illam vocem, *in paradiso*; siquidem per illas voces nihil noui significabatur; & illis ablatis integer sensus Concilij explicatus manebat. Confirmatur, quia non solùm Patres Tridentini tradiderunt præuaricationem Adami, in qua peccauimus, fuisse transgressionem mandati Dei in paradiso commissam; sed etiam subiunxerunt, per illam Adamum incurrisse mortem, quam Deus antea illi comminatus fuerat, nempe si ipse prædictum mandatum violaret, (vt constat ex verbis citatis) sed transgressio mandati Dei, ob quam Deus antea mortem comminatus fuerat Adamo, non fuit contra præceptum naturale, sed positiuum Dei (vt constat ex Genes. 2.) ergo Patres Tridentini per transgressionem mandati Dei, intellexerunt transgressionem præcepti diuini positiui.

25. *Aliter conclusio firmatur.* Denique probatur; nam (vt infrà cap. 5. à numero 35. dicemus) cæteræ culpæ Adami non concurrerunt per se ad transfusionem peccati originalis, neque in

in eis peccauimus ; ergo in gula illius deliquimus, eaque originaliter transfunditur ; siquidem de fide est, aliquod peccatum Adami nobis obfuisse ; & aliunde reliqua peccata illius realiter distincta ab eius comestione , in posteros non transmitti , loco proximè citato stabiliemus. Cæterùm licèt aliquæ aliæ culpæ Adami nostram ruinam per se causarint , comestionem quoque eiusdem effectùs causam per se, saltem partialem fuisse , negari non potest , cùm omnia fundamenta , quæ adstruunt cæteras culpas Adami in nostram ruinam influxisse , etiam comestionem eundem effectum causasse persuadeant, vt ea expendenti patebit.

26. *Responsum aliquorum exploditur.*

Argumentis hactenus factis, possunt respondere Doctores quintæ sententiæ relatæ suprà n. 17. comestionem Adami fuisse terminum seu materiam circa quam necessariò versaturæ erant & excusatio , & impœnitentia primi Parentis , vt per has culpas genus humanum corrumperetur ; & ideo tam Patres , Concilium Tridentinum, & communis sensus fidelium , quàm Scriptura in præfata comestione nos deliquisse insinuant. Contrà hoc est primò ; nam Augustinus (vt videbimus infra n. 37.) negat fuisse aliud præceptum impositum primis parentibus , ex cuius obseruantia , vel violatione , transfusio peccati vel iustitiæ originalis penderet ; quod non subsistet cum præfata solutione;siquidem si comestio fuit peccatum personale , & impœnitentia seu excusatio peccatum naturæ , absque dubio fuisset aliud præceptum distinctum à prohibitione comestionis,ex cuius obseruatione , vel violatione , nostra infelicitas dependerer. Secundò Patres , & communis sensus fidelium , nos in comestione Adami deliquisse,eamque, saltem partialiter , in posteros transfusam esse supponunt ; & ideo illi nos omnes in Adam non ieiunasse , in eoque, quando comedit , victos fuisse,asseuerant, quod comestionem fuisse peccatum naturæ conuincit. Idem persuadent verba Ecclesiæ supra n. 21. ponderata. Tertiò argumentum suprà n. 19. adductum ex cap. 2. & 3.Genes. prædictam solutionem repellit. Quòd vt magis appareat , inquiro, an comestio Adami meruerit de condigno , vt sanctitate priuaremur , & in captiuitatem diaboli , & alias miserias incideremus;vel an id nullatenus,nec partialiter meruerit ? Si illud responderis , fateri cogeris præfatam comestionem non fuisse peccatum solum personale ; sed naturæ , & contra præceptum impositum Adamo , vt personæ publicæ ; siquidem peccata solùm personalia Adami , sicut aliorum parentum peccata , nobis de condigno

digno nocere nequiuerunt (vt ex communi omnium Theologorum sensu suprà disputatio. 1.numero 4. suppositimus.) Si verò asseueris , comestionem nullatenùs fuisse dignam , vt puniremur , planè decipieris , cùm Deus expresè testetur se in pœnam comestionis Adami nos omnes puniuisse , vt constat ex communi Patrum expositione asserentium, illam sententiam contra Adamum , & eius posteros fuisse latam ; quòd eam fuisse dignam præfatâ pœnâ , clarè manifestat. Si enim iudices, qui in sententiâ condemnatoriâ, omisso peccato rei , ob quod morte dignus est , aliud peccatum alienum , ab quod ipse mortem nullatenus merebatur, pro causa mortis decretæ assignassent , reprehenderentur : etiam indecentia esset , quòd Deus se nos mulctasse tot malis temporalibus & spiritualibus publicè in ipsa sententia testaretur , ob peccatum quod nec nostrum erat , neque præfatâ pœnâ vllo modo dignum: Confirmatur discursus prædictus ex Tridentino sess. 5. capite de peccato originali , vbi definiuit , Adamum præuaricatione, quâ sibi iustitiam amisit , nobis eam perdidisse , & mortem , & alias pœnas transfudisse (vt videmus suprà numero 22.) Equidem si excusatio , & impœnitentia fuissent causa talis nostræ ruinæ , diuersa fuisset culpa Adami , quâ sibi & nobis iustitiam originalem perdidit ; siquidem comestio illum mortalem , & nos impœnitentia miseros reddidisset.

27. *Ad infectionem naturæ actus externus comestionis de ligno vetito fuit requisitus.*

Quæres, an ad transfusionem peccati originalis , voluntas interna efficax comedendi de ligno prohibito, sufficeret ; vel præter illam manducatio quoque externa ex vi pacti ad prædictum damnum inducendum, fuerit requisita ? & licèt vtraque pars sit probabilis , & Patronis doctis innitatur, (vt vidimus suprà n.18.) & solùm coniecturis probetur,in posteriorem tamen magis inclino ; tum quia lex lata Genes.2. prohibens comestionem,fuit pœnalis , & aliunde lex pœnalis prohibens aliquem actum externum,ad incursionem pœnæ comminatæ actum consummatum communiter prærequirit , nisi aliud aliunde probetur ; & ideo Genes. 3. quando sententia condemnatoria fuit prolata , actus externi manducationis , mentio fuit facta ; tum quia hæc pars magis diuinam bonitatem concernit ; siquidem non ob solam voluntatem internam Adami , cùm posset ; sed ob eandem executioni mandatam , nos punire decreuit : tum quia Patres communiter comestioni externæ nostram infelicitatem attribuunt; Genes.

quod præcipuè verum est in nostra sententia relata suprà disput. 1. cap 3. quà diximus nos peccasse in Adamo, non fuisse, nos moraliter ad eius culpam concurrisse ; sed Adamum meruisse, iuxta pactum, nostram mortem, cùm autem pactum ad meritum; nostræ mortis postulauerit comestionem externam , vt coniecturæ relatæ suadent ; idcirco ad transfusionem peccati originalis comestio quoque externa necessaria fuit.

CAPVT V.

Culpam totalem Adami , in quam moraliter influximus, seu quæ iuxta pactum nostræ infelicitatis causa meritoria totalis & adæquata fuit, vnicam numero & specie fuisse, ostenditur.

28. *Conclusio probatur ex Paulo.*

IN hac conclusione conueniunt Doctores citati suprà n. 18. pro sexta sententia , & probatur ex Paulo ad Rom. 5. vbi tractans de peccato Adami, quod fuit causa per se mortis corporalis, & spiritualis posterorum , vt constat ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali , & ex communi Patrum interpretatione; illud non solùm numero singulari peccatum appellat, sed etiam vnum fuisse testatur : *Non sicut delictum, ita & donum. si enim vnius delicto multi mortui sunt.* & n. 16. *Non sicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno* (nempe peccato) *in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in iustificationem.*

29. *Aliquorum solutio.*

Respondent Aduersarij , per *vnum delictum* , intelligi comestionem v. g. Adami cum reliquis culpis eam antecedentibus; vel cum eisdem & consequentibus ; qui cumulus prædictarum culparum , quia ad eundem effectum ordinabatur ; nempe corruptionem naturæ , vnum peccatum moraliter denominatur.

30. *Depulsio solutionis.*

Enimuero licèt prædicta solutio à patronis tertiæ sententiæ relatæ suprà n. 14. adhiberi possit ; sed ea patronis quartæ opinionis relatæ numero 15. fauere nequit : nam priores, cùm asserant motiua vitiosa prædictarum malitiarum , verè & realiter in comestionem influxisse , prædictas culpas esse veras circumstantias comestionis, ac proinde cum illà moraliter vnum peccatum effeciisse, affirmare poterunt. quod innuit etiam S. Thomas in 3. dist. 22. q. 1. art. 1. At cùm excusatio, & impœnitentia Adami deinceps secuta, nullarenus concurrerit ad comestionem Adami, neque illius circumstantia fuerit, sed ab illà physicè & realiter seiuncta ; cum illa vnum peccatum moraliter integrasse non dicetur. Declaratur: inter comestionem & excusationem Adami, non solùm tempus aliquot horarum; sed

S. Thom.

sed etiam pœnitentia , & aliqua retractatio imperfecta prædicti peccati interiacuit (vt ex Scriptura , & nonnullis Patribus bene probat Suarius lib. 4. de Opere sex dierum cap. 9. numero 8.) vnde sicut nemo furtum v. g. heri commissum , & imperfectè retractatum , & adulteria hodie perpetrata , inter quæ tempus & rectatatio interiacuit, vnũ peccatum absolutè appellauit ; ita excusatio & comestio Adami, inter quas culpas tempus & aliqua retractatio interceſſit, vnum peccatum absolutè nominari non debet. Neque obstat si dicas , illa omnia vnum peccatum appellari; quia ordinabantur ad eundem effectum, nempe amissionem iustitiæ originalis; nam etiã peccata omnia personalia mortalia ad eũdem effectum ordinantur , nempe ad amissionem vitæ æternæ; & tamen Paulus illa, non vnum, sed multa peccata appellauit, quando comparans meritum Christi cum demeritis Adami, asseruit : *Non sicut per vnum peccatum , ita & donum. nam iudicium quidem ex vno* (nempe peccato) *in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Ergo licèt gula, & excusatio , seu impœnitentia ordinarentur ad eundem effectum ; tamen quia illa numero , specie , & tempore differunt; ea non vnum, sed multa peccata appellarentur.

Suarez.

Paulus.

Præterea prædicta solutio vniuersaliùs , contra omnes alias sententias, impugnatur; nam Paulus illo capite 5. ad Rom. totus est, vt meritum , & obedientiam Christi , validiorem esse ostendat ad nostram libertatem , quàm fuit Adami delictum ad nostram captiuitatem (vt infrà disput. 6. cap. 5. à n. 23. latiùs dicemus) in quem finem varia argumenta adducit. Enimuero si non vnica numero , & specie culpa , aut inobedientia Adami; sed plures numero , & specie malitiæ ad nostram captiuitatem ex vi pacti requirerentur ; hoc argumentum Apostolus non omisisset ; siquidem quod non vnicum numero peccatum Adami , sed plura infecerint naturam , & vnica obedientia seu oblatio mortis Christi naturã reparauit , efficaciter concludit, obedientiã Christi multò potẽtioré fuisse ad nostrã redemptionem , quàm Adamus ad nostram captiuitatem. Vnde quòd Paulus in hac occasione excessum Adami non appellauerit peccata in numero plurali , sed semper peccatum in numero singulari , illudque *vnum* addiderit , mihi efficiaciter persuadet, non plura numero peccata Adami , sed vnicum fuisse causam per se nostræ ruinæ. Confirmatur: Apostolus in hoc loco opponit Christum Adamo in eo, quòd, sicut per vnum hominem mors, & captiuitas in mundum intrauit; ita per vnum hominem, nem-

31. *Iterum prælata responsio reiicitur.*

pe Christum, libertas & vita introiuit: ferè omnes Doctores (inter quos numerantur auctores tertiæ, & quartæ sententiæ) contra paucos intelligunt, *per vnum hominem*, non Euam, & Adamum simul, sed solum virum Adamum; & ita colligunt, non Euam, sed solum eius virum fuisse causam per se nostræ ruinæ (vt videmus suprà capite 2. numero 9.) ergo ex eo quòd Paulus opponens meritum Adami cum merito, & obedientia Christi, illud vnum peccatum appellet, etiam *per vnum peccatum*, quod sonat, nempe vnum numero & specie, interpretari debemus. Vel dicant Aduersarij, quare illas voces, *per vnũ hominem* (seu per Adamum) *mors intrauit in mundum*, restringunt ad virum, & illas voces *per vnum peccatum*, ad plures numero & specie malitias extendunt? Quia Patres (forsan respondebis) nostram ruinam multis peccatis Adami attribuũt. Infirma herclè solutio; nam etiam Scriptura & Patres, eam Euæ, imò & inuidiæ diaboli adscribunt, (vt vidimus suprà numero 5.) & tamen illa verba Pauli, *per vnum hominem*, restringis ad virum, & negas Euæ, & diaboli peccata fuisse causam per se nostræ infelicitatis; ergo etiam si Patres eam varijs peccatis Adami adscribant; illa verba, *per vnum peccatũ*, ad plures numero & specie culpas extendi non debent.

32. *Aliud argumentum ex Tridentino formatur.*

Secundò probatur ex verbis Tridentini relatis suprà numero 22. vbi Patres tractantes de præuaricatione Adami, in qua peccauimus; eam non in numero plurali, sed in numero singulari semper præuaricationem, vel transgressionem, vel peccatum, aut inobedientiam appellant. Jnsuper eam non transgressionem plurium mandatorum, sed mandati Dei fuisse, definiunt: quod culpam Adami, in qua peccauimus, non plures, sed vnicam fuisse, arguit: alioquin Patres eam plures malitias, & pluribus præceptis contrarias fuisse, insinuassent. Confirmatur: nam Concilium Tridentinum can. 3. docet Adæ peccatum originale fuisse origine vnum, & propagatione multiplex: hoc enim absque dubio significant illa verba: *Siquis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione inest vnicuique proprium.* Sanè si culpa Adami, quæ originaliter transmittitur, plures, & diuersas malitias specificas, & numericas inuoluisset; eam Concilium vnam origine fuisse absolutè non statuisset.

33. *Aduersarij respondent.*

Iterum Aduersarij repetunt eãdem cantilenam, & asserunt, per præuaricationẽ & transgressionẽ mandati Dei, intelligi comestionem Adami, vt coniunctam cum alijs circumstantibus malitijs, quas omnes Concilium non solùm transgressionem mandati Dei

Dei in numero singulari, nominauit; sed etiam vnum peccatum origine esse dixit; non quia omnes sint vnica culpa numerica & specifica, sed quia omnes simul sumptæ integrarunt vnicam causam totalem nostræ ruinæ.

34. *Reiicitur relata solutio.*

Hæc solutio licèt Scripturæ posset aptari, quia hæc multoties obscurè loquitur; attamen Patribus Tridentinis adhiberi nequit: quippe illi delictum originale, & culpam Adami, ex quâ nostra infelicitas per se emanauit, non rudi Mineruâ, sed exactè & propriè explicare voluerunt. Vnde cùm sit improprietas, & aliquis vocabulorum abusus, in locum præuaricationum in numero plurali, præuaricationem in numero singulari; & in locum transgressionis præceptorum, transgressionem præcepti subrogare, & vt explicaretur peccatum Adæ varijs & distinctis specie malitijs integrari, subiunxêre, illud fuisse origine vnum; idcirco præfatam Concilij explicationem non esse legitimam asseueramus. Confirmatur: si Concilium illis verbis, *quod origine est vnum*, non insinuauit culpam Adami, in qua peccauimus, fuisse propriè & metaphysicè vnicam numero & specie malitiam, sequeretur prædicta verba superflua esse, & solùm ad mentem Concilij obscurandam deseruire. Vnde melius fuisset, si Patres Tridentini ea omisissent. Quòd autem prædicta verba, superflua fuissent, patet; nam cùm per illa non explicetur, an præuaricatio Adami, in qua peccauimus, fuerit vnica numero malitia, vel multiplex; nihil, quod antea can. 1. & 2. non fuisset iam expressum ab eodem Concilio, declararetur; & ita Concilium in can. 3. superfluè prædictam digressionem fecisset. Insuper quòd præfata verba solùm ad mentem Concilij obscurandam conducerent, liquet; nam præbent ansam ad hoc, vt intelligamus, quòd Patres Tridentini denotare noluerunt, nempe culpam Adami, in qua peccauimus, vnicam numero & specie fuisse. Quod argumentum solidius apparebit, si aduertas, prædictis vocibus expunctis, sensum, quem Aduersarij esse mentem Concilij reputant, integrum, & clariorem perseuerare, nempe nostram ruinam ex præuaricatione Adami deriuari.

35. *Aliter dicta solutio explodituꝛ.*

Cæterùm si verba Concilij, & culpas omnes Adami diligentiùs examinauerimus, compe-riemus solam malitiam gulæ Adami fuisse, in qua peccauimus; & consequenter Concilium definiens peccatum Adæ fuisse vnum, significasse malitiam primi parentis, in quâ deliquimus, vnicam numero & specie fuisse. Sanè culpæ præcipuæ Adami sunt, superbia, hære-

sis, inobedientia formalis, nimia curiositas, gula, excusatio, & impœnitentia (vt vidimus suprà numero 2.) Quas omnes culpas, si excipias comestionem, non præcepto alicui positiuo diuino; sed solùm præceptis naturaliter consurgentibus ex ipsa naturâ rationali, vel ex ipsis virtutibus supernaturalibus, contrauenire certum est, cùm ablato quocumque præcepto positiuo, hæresis, superbia, excusatio imprudens, impœnitentia, & reliqui actus similes mali, & peccata sint. Ex quo deduco, nos, non in præfatis culpis, sed in vnica malitia specifica & numerica gulæ Adami, deliquisse: quippè iuxta Concilium, culpa Adami, in qua peccauimus, fuit transgressio præcepti positini Dei, in paradiso perpetrata; (vt suprà numero 24. ostendimus) sed neque superbia, neque excusatio, neque impœnitentia, neque aliæ culpæ Adami, distinctæ à gula, fuerunt transgressiones præcepti positiui diuini (vt nuper dicebamus) ergo in prædictis culpis non deliquimus; & ita sola malitia comestionis fuit causa totalis meritoria nostræ infelicitatis: ac proinde quando Concilium culpam originalem fuisse vnam origine definiuit, eam fuisse vnicam numero & specie significare voluit.

36. *Discursus factus confirmatur.*

Præterea reliquas culpas Adami præter comestionem, non fuisse causam per se nostræ ruinæ, roboratur; nam peccatum Adami, in quo peccauimus, seu quod fuit causa meritoria nostræ infelicitatis, debuit esse commissum ab Adamo, vt persona publica, & nomine posterorum; & consequenter contra præceptum impositum, non soli Adamo, sed etiam posteris omnibus in eo contentis; (vt docuimus suprà n. 5.) sed solùm præceptum de abstinentia, fuit Adamo, & eius posteris in eo contentis impositum: ergo non aliæ culpæ, sed sola gula fuit ab Adamo, vt persona publica, seu nomine posterorum perpetrata; igitur non aliæ culpæ, & circumstantiæ viciosæ; sed sola malitia gulæ, fuit in quâ peccauimus, seu quæ fuit causa meritoria adæquata nostræ ruinæ. Minor benè probatur à Suario, ex eo quòd non est fundamentum vllum in Scriptura, Patribus, aut Concilijs, ad affirmandum, Adamo, vt personæ publicæ, & vt suos posteros repræsentanti, fuisse impositum aliud præceptum præter illud de abstinentia ab arbore scientiæ boni & mali; & aliunde quod ex sola Dei voluntate dependet, sine Scriptura, aut Patribus temerè asseueratur, vt bene S. Thomas 3.p.q.1.art.3. Neque obstat si dicas, aliqua alia præcepta fuisse imposita Adamo, vt personæ publicæ, colligi ex Scriptura, & Patribus nostram ruinam attribuentibus iam superbiæ, iam inobedien-

S.Thom.

dientiæ formali, iam excusationi, iam alijs peccatis Adami. Hoc, inquam, non obest; nam etiam Scriptura, & Patres nostram infelicitatem adscribunt, iam superbiæ diaboli, iam Euæ; & tamen inde non infertur diabolum, aut Euam, vt personas publicas peccasse, aut eorum peccata transfundi, vt arguebamus suprà cap. 1. numero 5. vbi præfatæ obiectioni respondimus. Confirmatur; nam Genes. 3. vbi Deus causam meritoriam expressit, ob quam Adamum, & eius posteros pœnâ mortis, & exilij à paradiso, mulctabat; solum peccati, comestionis meminit: *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra, &c.* Sanè si superbia, infidelitas, excusatio, impœnitentia, & aliæ culpæ fuissent ab Adamo vt personæ publicæ commissæ; seu meruissent iuxta pactum, prædictam pœnam posterorum; earum Deus mentionem fecisset, vt eius sententia magis iustificaretur; siquidem prædicta peccata multò grauiora fuerunt, quàm simplex de fructu comestio. Neque contra hunc discursum militat simile de sententia ferenda contra reprobos in die iudicij: nam ibi vnius solius speciei pecccaminosæ contra misericordiam, exempli gratiâ mentio fit: tum quia cùm peccata mortalia, ob quæ diuersi reprobi condemnabuntur, innumera sint, non poterant commodè re-

Genes.

censeri: & ideo Christus vnicam speciem comme morauit: tum quia non est periculum, vt quis iudiert, solùm peccata contra misericordiam esse causam per se reprobationis, & id clarè & euidenter ipsi Scripturæ aduersetur. Quod in nostro casu non euenit, vt liquet. Vnde præfatum Dei silentium de peccatis grauioribus, & commemoratio peccati leuioris in dicta sententia condemnatoria, clarè arguit, non illas culpas; sed hanc vnicam & solam, nostræ ruinæ causam fuisse meritoriam.

37. *Conclusio ex Augustino suadetur.*

Tertiò probatur nostra conclusio ex Augustino lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 12. vbi iustissimam causam, quam Deus habuit puniendi Adamum cum eius posteritate, ob comestionem de fructu vetito, colligit ex eo quòd ad nostram felicitatem obseruatio non plurium præceptorum, sed vnius tantùm mandati de abstinentia, ex vi pacti requireretur: *Hoc itaque* (Augustinum legis) *de vno cibi genere non edendo, vbi aliorum tanta copia subiacebat, tam leue præceptum ad obseruandum, tam breue ad memoriâ retinendum.* & cap. 15. idem argumentum prosequens, ait: *Quid* (id est Deus) *præceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus onerauerat* (nempe Adamum) *sed vno breuissimo, atque leuissimo ad obedientiæ salubritatem adminiculatus fuerat, iusta damnatio subsecuta est.* Vnde iuxta Augustinum

ſtinum ad transfuſionem iuſtitiæ originalis in poſteros, Adamus vnicum tantùm numero & ſpecie præceptum de abſtinentia ex vi pacti obſeruare debuit; alioquin ſi ad prædictam tranſmiſſionem iuſtitiæ originalis, alia præcepta naturalia & ſupernaturalia orta ex virtutibus ſupernaturalibus & naturalibus, obſeruare debuiſſet; malè Aug. intuliſſet, Deum iuſtiſſimè ob comeſtionem, Adamum & poſteros caſtigaſſe, ex eo quòd ad præfatum noſtram felicitatem obſeruatio vnius præcepti facilis & breuis de abſtinentiâ tantùm, requireretur; ſiquidem obuium cuique fuiſſet Auguſtino reſpondere, ad tranſmiſſionem felicitatis prædictæ, non ſolùm obſeruationem prædicti precepti, ſed etiam aliorũ multorum difficilium, fuiſſe requiſitam. Ex quo infero, ſolam malitiam gulæ, ſeu ſolam violationem præcepti de abſtinentiâ, impoſiti à Deo, fuiſſe peccatũ Adami, in quo peccauimus, ſeu quod fuit cauſa meritoria totalis, & adæquata noſtrę ruinæ; nam illa violatio præcepti meruit totaliter noſtram infelicitatem, quæ opponebatur obſeruationi præcepti, ob quam iuſtitia originalis ex vi pacti, erat certiſſimè transfundenda (vt liquet, & colligitur ex dicendis infrà diſput. 5. capite 2. numero 9.) ſed obedientia totalis, & adæquata requiſita in Adamo ex vi pacti ad tranſmiſſionem iuſtitiæ originalis, fuit, non plurium, ſed obſeruatio vnius tantùm præcepti de abſtinentia, vt expreſsè tradidit Auguſtinus; ergo peccatum Adami, in quo peccauimus, ſeu quod fuit cauſa meritoria totalis, & adæquata noſtræ ruinæ, fuit tantùm malitia gulæ, ſeu tranſgreſſio prædicti mandati.

28. *Idem ex S. Thoma probatur.*

Quartò noſtra ſententia probatur ex S. Thoma 1.2.q. 81. art. 1. qui non ſolùm eam tradit; ſed etiam eam de fide eſſe innuit: agens enim Angelicus Doctor de peccato Adami, in quo peccauimus, ſeu quod fuit cauſa meritoria, nempe totalis, & adæquata noſtræ infelicitatis; ſic reſpondet: *Secundum fidem Catholicam eſt tenendum, quòd primum peccatum primi parentis originaliter tranſit in poſteros.* & art. 2. quærens, an alia peccata Adami præter primum, in poſteros traducantur, reſpondet negatiuè ſequentibus verbis: *Alia peccata actualia vel primi Parentis, vel aliorum, non corrumpunt naturam, quantùm ad id quod naturæ eſt.* & idem repetit in ſolutione ad 3. Vnde iuxta S. Thomam, non plures culpæ Adami, ſed vnica malitia illius, in poſteros transfunditur.

39. *Reſponſio refertur.*

Aduerſarij ſentiunt S. Thomam per primum peccatum, comeſtionem cum reliquis malitijs, & circumſtantijs aliarum culparum Adami, intellexiſſe; quod probant primò: nam idem An-

Angelicus Doctor 2. 2. q. 168. art. 1. ait, primum peccatũ Adami fuiſſe ſuperbiam; vnde ſi verba relata, vt ſonant, acciperentur, ſequeretur, non comeſtionem, ſed ſolùm ſuperbiæ peccatum; fuiſſe cauſam mortis noſtræ, quod abſurdum eſt de tanto S. Thom. Doctore ſentire. Secundò S. Thomas articulo citato ad 2. noſtram infelicitatem attribuit ſuperbiæ, & gulæ, & in 2. diſt. 23. art. 1. ait, ſuperbiam formaliter, & gulam materialiter, nobis damnum intuliſſe; ergo, ne dicamus Sanctum Thomam ſibi contradicere, eum per *primum peccatum*, comeſtionem cum ſuis circumſtantibus malitijs, intellexiſſe fateri oportet.

40. *Reſponſio relata reiicitur.*

Enimuero hoc effugium facilè præcluditur; nam Sanctus Thomas quærit ſcholaſticè & rigoroſè quodnam peccatum Adami in poſteros transfundatur, & reſpondet primum: & poſtea art. 2. alia peccata Adami præter primum transfundi negat; ergo per primum peccatum non intellexit Sanctus Thomas comeſtionem cum alijs malitijs; ſed vnicam numero, & ſpecie malitiam primò factam; alioquin ſi per *primum peccatum*, cumulum culparum ſignificaſſet (præterquam quòd valde obſcurè, & non ſcholaſticè locutus fuiſſet) non negaſſet alia peccata Adami præter primum transfundi; ſiquidem alia peccata præter primum, non fuiſſent; cùm illæ voces, *præter primum*, omnia, quæ fecit, comprehendiſſent. Neque fundamenta contrariæ expoſitionis robur habent: nam S. Thomas, quando aſſeruit, S Thom. non cætera peccata Adami, ſed tantùm primum peccatum originaliter in poſteros tranſire, locutus fuit de primo peccato Adami, vt perſonæ publicæ, ſeu facto nomine poſterorum, cùm autem nõ ſuperbia, ſed ſola gula fuerit ab Adamo, vt perſona publica primò admiſſa, ideo Adamus per primum peccatum, nempe factũ nomine poſterorum, naturam infecit. Ad ſecundum fundamentũ reſpondeo, motiuum ſuperbiæ fuiſſe cauſam per ſe, & formalem gulæ, vt bene probat S. Thomas 2.2. loco citato; vnde in comeſtione Adami peccatum formale fuit ſuperbia, & materiale fuit gula; & ideo vtrique peccato noſtra ruina attribuitur. Ex quo non ſequitur, ſuperbiam Adami, quæ fuit peccatum formale ipſius primi parentis, originaliter tranſiiſſe in poſteros; ſed ſolam gulam, quæ fuit peccatum materiale Adami: nam huic ſoli fuit impoſita pœna mortis corporalis (vt conſtat ex Geneſ. 2. & 3. ca- Geneſ. pite) & ita malitia gulæ, quæ in comeſtione ſe habuit materialiter, fuit cauſa per ſe meritoria noſtræ infelicitatis. Sicut accideret percutienti clericum, vt furaretur; in quo caſu ma-

malitia sacrilegij, materialiter; & malitia auaritiæ, formaliter se haberet in prædicta percussione; tamen quia excommunicatio lata contra percussores clericorum, solùm est imposita ob percussionem sacrilegam; nõ malitia auaritiæ, sed malitia materialis sacrilegij fuisset causa per se excomunicationis incurrendæ.

CAPVT VI.

Corollarium contra secundam, & quintam opinionem suprà relatam, deducitur.

41. *Falsum est quamlibet culpam grauem Adami ad infectionem totius generis humani ex vi pacti suffeciisse.*

EX dictis infero primò, falsam esse secundam opinionem relatam numero 13. asserentem, quodlibet peccatum graue Adami, ad transfusionem mortis spiritualis & temporalis, suffeciisse; vnde si Adamus non comedisset de ligno prohibito, etiam si alia innumera peccata admisisset, iustitia originalis ex vi pacti, transfunderetur. Ita Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. n. 104. & Doctores relati suprà cap. 3. pro 3. 4. 5. & 6. sententiâ. Et probatur: nam comestio Adami de ligno prohibito, fuit peccatum, in quo de facto deliquimus, seu quod de facto meruit nostrã infelicitatem, (vt satis superque demonstraui suprà cap. 4. & Doctores, contra quos desputamus, admittunt) ergo si prædicta comestio abfuisset, nostra infelicitas ex vi præsentis decreti, seu pacti, non sequeretur, etiam si Adamus alia peccata perpetrasset. Sequela probatur: nam quoties scimus aliquam entitatem esse causam meritoriam alicuius effectûs, ob quam Deus de facto permotus, illum producere statuit; non est asseuerandum, illum effectum futurum, etiamsi prædicta causa, aut meritum auferatur; nisi id reuelatione tradita in Scriptura, & Patribus, aut firmâ ratione constet, vt sæpè adnotauimus: & patet ex eo quòd aliter, quid Deus in illo casu effeciisset, notum esse nequit; sed neque ex Scriptura, neque ex Patribus, neque ex formâ ratione conuinci potest, nos carituros fuisse iustitia originali, si Adamus præcepto de abstinentia obediuisset, etiam si alia delicta patrasset, vt liquet; ergo, &c. Neque satisfacies respondendo id colligi ex eo quòd alia peccata grauiora essent digna prædicto suplicio: nam quòd peccatum Adami meruit nostram infelicitatem, non solùm ex grauitate illius, sed ex ipso, & pacto, seu ordinatione Dei desumitur (vt ostendi suprà cap. 1. n. 4. & infrà disp. 7. n. 48. latiùs ostendemus.) Vnde licèt in casu dictæ hypothesis, fuissent peccata grauissima; attamen quia non constat Deum illa supplicio mortis posterorum punire decreuisse, idcirco illa ad transfusionem culpæ originalis ex vi præsentis decreti, non

Granados.

non suffeciisse, propugnamus. Confirmatur, quia comestio Adami de ligno prohibito, fuit causa per se saltem partialis, nostræ ruinæ (vt ostendimus suprà cap. 4.) ergo præfata comestione ablata, cæteræ aliæ culpæ ad transmissionem peccati originalis ex vi pacti, non suffeciissent; siquidem causâ per se alicuius effectus sublatâ, illum quoque auferri, certum est (vt suprà numero 3. dicebamus.)

42. *Idem adstruitur.*

Secundò probatur: nam si ad transfusionem peccati originalis, & corruptionem naturæ, quodlibet peccatum mortale Adami suffeciisset; sequeretur priùs tempore, quàm Adamus efficaciter comedere voluit, totam naturam fuisse iam subiectam corruptioni: vnde comestio de facto in nostram ruinam non influxisset; siquidem quando illa primò extitit, genus humanum iam fuerat in deterius commutatum. Consequens est falsissimum, & à nullo Theologo admissum, (vt suprà cap. 4. ostendi) ergo & antecedens. Sequela probatur: nam antequam Adamus efficaciter voluisset fructum vetitum degustare, fuit formaliter superbus, & alia peccata commisit (vt suprà n. 2. ex Scriptura, & Patribus, & communi Theologorum consensu demonstraui.) vnde cùm ex vi pacti, iuxta prædictos Doctores, quos impugnamus, ad toralem infectionem naturæ, quodlibet peccatum graue Adami suffeciisset; & aliunde comestionis culpam superbia, & nonnulla alia peccata præcesserint; ea illam de facto corrupissent; & sic non comestio, sed illa peccata originaliter in posteros transirent; quod (vt dixi) absurdum est.

Argumentis, quæ contra hoc corollarium adducuntur, facilè quilibet ex dictis suprà cap. 4. & ex dicendis disput. 7. n. 52. respondere poterit; & ideo ea prætermitto. Legatur Granados suprà, qui eis etiam idoneè satisfecit.

Granados.

44. *Corollariũ contra quintam sententiam.*

Secundò infero non solùm falsam, sed etiam improbabilem videri quintam sententiam, relatam suprà n. 17. aliquorum recentiorum Complutensium, asserentinm, solam excusationem Adami, seu eiusdem impœnitentiam de comestione, fuisse peccatum naturæ, in quo peccauimus; & comestionem fuisse solùm culpam personalem, vt obiectum, vel terminum prædictæ excusationis, aut impœnitentiæ, ad nostram ruinam ex vi pacti requisitam. Hoc, inquam, placitum primò omni fundamento, & auctoritate destitutum est: vnde cùm aliunde omnes Doctores, & fideles senserint, gulam Adami fuisse peccatum naturæ, & in ea nos omnes peccasse, vt dicebamus suprà n. 19. præfatum placitum videtur, vt minimum, improbabile. Quòd autem nullus

hactenus ex Patribus aut Theologis, qui sua scripta prælo mãdauerit, prædictã sententiã publicauerit, liquet: nam licet aliqui Patres, & Theologi nostram infelicitatem excusationi, aut impœnitentiæ Adami attribuerint; tamen nullus nec leuiter innuit, eam fuisse causam totalem meritoriam nostræ ruinæ, in eaque solùm nos peccasse; aut comestionem non fuisse peccatum naturæ, sed personale Adami; quod opus erat ad hoc vt hi Patres & Theologi, præfatæ opinioni fauisse censerentur. Deinde præfatum placitum falsum esse persuadent omnia, quæ diximus suprà toto cap. 4. & cap. 5. à numero 35. vsque ad finem capitis. Præterea impugnatur prædicta opinio ex eo quod fundamentis valde dubijs innitur: supponit enim primò peccatum excusationis, & impœnitentiæ Adami, fuisse factum ab illo, vt persona publica, seu nomine posterorum; quod non facilè probabitur, vt constat ex dictis, & adhuc magis ex solutione argumentorum eluceſcet. Secundò supponit Adamo fuisse notum pactum de transfusione iustitiæ, & peccati originalis; quod licèt aliqui Doctores admittant, multi alij negant (vt vidimus suprà disput. 1. cap. 1. numero 6.) Deinde supponit prædicta opinio terminum viæ Adamo, vt personæ publicæ concessum ad transmissionem iustitiæ aut peccati originalis, fuisse ipsi quoque manifestum; siquidem nemo de peccato commisso, ex natura rei statim pœnitere tenetur, nisi instet terminus viæ. Equidem Adamum habuisse de facto notitiam de termino viæ, eidem vt personæ publicæ ad prædictum effectum diuinitùs designatæ, valdè incertum est; cùm id neque Scriptura, neque Patres, etiam insinuent. Vnde his recentioribus dicere possumus, quod Lactantius lib. de Ira Dei cap. 5. contra nonnullos alios, ex principijs incertis placita communia obscurantes, scripsit: *Absurdum est*, ait, *ex incerto certum velle subuertere; cùm sit promptius, de certis incerta firmare.* Lactantius.

45. *Aliter quinta sententia impugnatur.*

Præterea non solùm est contra Dei mitissimum ingenium, punire aliquos priuatione sanctitatis & gloriæ, ob impœnitentiam peccati, quod prædictam priuationem non merebatur; sed etiam contra rationem, & eius pietatem infinitam esse videtur; siquidem obligatio pœnitendi ex grauitate offensæ Deo illatæ, cui satisfacere debemus, ortum ducit. Vnde si Deum non offendimus, aut offensa fuit leuis, & indigna supplicio æterno, sub obligatione graui de illâ pœnitere non tenebimur. Ob hanc causam, neque impœnitentia de proprijs peccatis venialibus, neque impœnitentia de peccatis mortalibus

bus aliorum, grauis culpa, aut digna inferno est; nempe quia neque aliena peccata mortalia, neque peccata venialia tua, quorum est impœnitentia, tibi gehennam ex se promerentur. Cæterùm cùm peccatum comestionis Adami, secundùm præfatos recentiores, fuerit personale, & neque totaliter, neque partialiter meruerit nostram ruinam, planè sequitur eius impœnitentiam dignam non fuisse, vt priuatione sanctitatis & gloriæ mulctaremur; vel si præfata impœnitentia prædictam pœnam meruit, dicendum est, gulam quoque Adami prædictum supplicium saltem partialiter promeruisse, vt Patroni quartæ sententiæ volunt.

46. *Euasio præcluditur.*

Forsan respondebis, non solam impœnitentiam Adami, sed ipsam, vt coniunctam cum excusatione superbâ illius, fuisse peccatum naturæ, & ideo præfati recentiores vtramque culpam pro eadem accipiunt: cùm autem excusatio præfata fuerit graue peccatum (vt Patres citati disput. 5. à numero 24. affirmant) idcirco impœnitentia, vt cum excusatione coniuncta, dignissima fuit vt puniremur. Contra hoc est primò; nam quòd excusatio fuerit grauis, non arguit malitiam formalem impœnitentiæ de comestione respectu posterorum, grauem quoque fuisse, vt liquet. Secundò prædicta solutio, & pariter relata quinta sententia impugnatur: nam cùm excusatio, & impœnitentia prædicta duabus virtutibus diuersissimis opponantur, nempe humilitati, & charitati; eas diuersas numero & specie malitias, esse necesse est: inquiro ergo, an vna-que simul sumpta fuerit causa per se nostræ infelicitatis, vel solùm alterutra? Hoc posterius negant recentiores, cum quibus disputamus, & iure merito; cùm iuxta eorum doctrinam non sit maior ratio, cur nostra ruina vni, quàm alteri per se adscribatur. Prius est falsum, siquidem (vt ostendi suprà cap. 5.) culpa Adami, in qua peccauimus, vnica numero, & specie fuit.

47. *Eadẽ quinta sententia ex Paulo impugnatur.*

Insuper prædicti recentiores sibi contradicunt; & vt præfatam sententiam tueantur, è manibus eripi patiuntur testimonium illustre S. Pauli, cui immunitatem B. Virginis à peccato inniti, meritò arbitrantur: Apostolus enim ad Rom. 5. loquens de peccato Adami, quod fuit peccatum naturæ, & originaliter transfusum (vt infrà disputatio. 7. capite 2. ostendemus) sic ait: *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset:* id est, peccatum Adami antequam nobis imputaretur, seu naturam inficeret, verè per aliquod spatium considerabile temporis fuit in mundo, & Paulus.

tamen tunc nobis non imputatur, neque naturam totam maculabat, nempe quia lex instans pro posteris non vrgebat; attamen postea, scilicet hora nona, vrgente iam prædicta lege pro posteris, incepit nobis imputari. Ex quo intuimus loco proximè citato, peccatum Adami, antea nobis non imputatum, postea non ob nouam malitiam aduenientem; sed solùm ob legem instantem, seu constituentem terminũ viæ, incepisse nobis imputari. Quę expositio prorsus euerteretur, si impœnitentia Adami de comestione simul cum excusatione, fuisset peccatum totale naturæ, imò si ea fuisset peccatum partiale, & simul cum comestione causam totalem meritoriam nostræ ruinæ integraret, vt vult quarta sententia suprà n. 16. relata. quippe si sola excusatio, & impœnitentia fuit peccatum naturæ inter illas malitias, & infectionem generis humani, spatium præcipuè considerabile temporis non interiacuisset; siquidem cùm illa peccata in fine termini viæ Adamo ad nostram felicitatem, vel infelicitatem concessæ, fuerint primò admissa, statim ac extiterunt in mundo, fuissent nobis imputata; si verò cum patronis quartæ sententiæ relatæ suprà n. 16. dicas, impœnitentiam cum comestione fuisse peccatum totale generis humani, non præcisè ob aduentum legis, sed ob nouã malitiam, quod Paulus non innuit; vt ergo præfatum locum Apostoli illæsum pro Deiparæ conceptione conseruemus, dicendum est, peccatum totale Adami, quod fuit causa per se, & adæquatè meritoria nostræ ruinæ, fuisse ante excusationem, & impœnitentiam commissum.

48 *Iterum ex Paulo codẽ opinio reiicitur.*

His accedit alius locus S. Pauli contra Patronos quartæ & quintæ sententiæ relatæ suprà numero 16. & 17. persuadens excusationem, & impœnitenriam Adami, vt peccaminosam, non fuisse causam per se partialem, aut totalem nostræ ruinæ. Paulus enim ad Rom. 5. comparans inobedientiam Adami, & damna inde in posteros deriuata, cum obedientia Christi, & fructibus gratiæ inde toti generi humano communicatis; hæc ad salutem, quàm illa ad perditionem longè superiora esse, asserit; nempe quia obedientia Christi, causa efficax fuit, vt Adamo iam præuaricatori auxilium sufficiens conferretur ad pœnitendum, quo, si voluisset bene vti, potuisset non obstante suo peccato, ad pristinum iustitiæ originalis statum redire, & suos omnes posteros beare, (vt infrà disput. 6. cap. 5. latè ostendam.) Sanè si excusatio, & impœnitentia sola fuisset peccatum naturæ, iam gratia omnibus, & singulis posteris Adami, siue adultis, siue paruulis per Christum impertita, validior non

Paulus.

non esset ad libertatem, quàm fuit peccatum ad captiuitatem (vt arguemus disp. 16. cap. 5. n. 38.) siquidem post impœnitentiam finalem auxilia per Christum, quibus, si vellet, in antiquum statum cum sua prole redire potuisset; ei non fuerunt collata. Neque satisfacies respondendo, obedientiam Christi, & fructus inde deriuatos esse validiores, quàm fuit comestio Adami ad nostram ruinam: nam Paulus non comparauit merita Christi, & gratiam inde emanantem, cum causa partiali nostræ infelicitatis, sed cum causa totali meritoria illius; alioquin comparatio frigeret, & tanto Apostolo indigna esset, vt liquet. Vnde si comestio non fuit integra, & totalis causa meritoria malorum naturæ humanæ, sed solùm partialis, cum illa sola meritum Christi non fuit comparatum.

49. *Argumentũ satis efficax contra quintam sententiam formatur.*

Ad hæc, licèt argumenta hactenùs scripta prædictam opinionem falsam esse adstruant, sunt alia, quæ tam ipsam, quàm quartam sententiam suprà n. 16. commemoratam, à vero deuiare conuincunt. Nam possibile fuit, vt Adamus, non obstante pacto secum inito, statim post comestionem de ligno prohibito dormiuisset vsque ad exilium à paradiso, imò ad multos annos in amentiam incidisset, cùm in hoc nulla appareat implicatio. In quo casu inquiro, an posteri Adami nascerentur maculati & mortales, vel immaculati, & immortales? Hoc nemo sanæ mentis effutiet, cùm Scripturæ, Concilio Tridentino, & Patribus contradicat, vt constat ex dictis suprà cap. 4. & 5. Si verò illud respondeas, euidenter sequitur, excusationem, seu impœnitentiam vt peccaminosam, non fuisse causam per se, vel ex vi pacti partialiter, vel totaliter necessariam ad transfusionem delicti originalis; siquidem, illis malitijs omnino ablatis, nihilominus peccatum originale, & mortalitas ex vi præsentis decreti, transfunderetur.

50. *Responsio refertur.*

Respondent aliqui, supposito pacto inito cum Adamo, fuisse impossibile, vt primus parens statim post præuaricationem incideret in amentiam diuturnam, aut vsque ad exilium à paradiso dormiret: nam pactum fuit de transfusione peccati originalis, si Adamus post præuaricationem horâ v. g. nonâ se excusaret, & pœnitentiam peccaminosè omitteret; cùm autem excusatio, & impœnitentia peccaminosa, vsum rationis, & vigiliam in Adamo se excusante, & in impœnitente necessariò præsupponat; idcirco Deus eo ipso, quòd præfatam conditionem apposuit, se obligauit ad conseruandum Adamum vigilem, & compotem rationis.

Hæc solutio gratis supponit pa-

51. *Predicta solutio reiicitur.*

pactum fuisse de transmissione culpæ originalis, si Adamus liberè se excusaret, & pœnitentiam peccati commissi peccaminosè omitteret: nam licèt ex Patribus neuosè deducatur, præter comestionem de fructu interdicto, impœnitentiam quoque necessariam fuisse ad infectionem totius naturæ; tamen ijdem hanc necessariò futuram fuisse peccaminosam, nullatenus insinuant (vt infrà numero 76. ostendemus) & ita non peccaminosa sufficiet. Vnde sicut Deus comminans mortem æternam peccatoribus, si pœnitere noluerint, non tenetur eos vigiles aut compotes rationis post eorum peccata commissa conseruare; nempe quia impœnitentia finalis requisita ad eorum reprobationem, non debet esse ad prædictum effectum necessariò peccaminosa; ita quia ad nostram infelicitatem impœnitentia Adami vt sic de culpâ comestionis, requirebatur, ideo ex vi pacti, aut præfatæ conditionis appositæ, neque Proloplastum post transgressionem præcepti vigilasse, neque eum libertatem, seu vsum rationis retinuisse, opus ad prædictam nostram ruinam introducendam.

52. *Alia solutio recensetur.*

Quare alij recentiores aliter argumento prefato respondent: aiunt enim, Adamum immediatè post comestionem non potuisse dormire, neque incidere in amentiam vsque ad exilium à paradiso durantem; nam esset viator, & pariter non esset viator; quod apertam inuoluit repugnantiam. Primò esset viator ad transmissionem iustitiæ originalis, & peccati (vt infrà disput. 5. à cap. 5. ostendam) insuper non esset viator, nam ad statum viæ potentiâ ad merendum, vel demerendum, est opus; cùm autem neque amens, neque dormiens mereri, aut demereri possit; idcirco si Protoplastus post gulam incidisset in amentiam, aut dormiuisset vsque ad exilium à paradiso, ille tunc temporis viator ad transfusionem iustitiæ, aut peccati non fuisset.

53 *Relata solutio explodituir.*

Profectò hæc responsio, non effugium, sed præcipitium est. Ex ea enim euidenter sequitur, paruulos ante vsum rationis defunctos (præcipuè eos, quibus Deus auxilia sufficientia ad salutem, iuxta multorum placitum, denegauit,) nunquam fuisse in statu viæ; siquidem præfati paruuli neque mereri, neque demereri vlla ratione potuerunt. Consequens autem est inauditum, cùm Theologi nullum hominé, imò neque Angelum, ad terminum viæ sine transitu per viam peruenisse, sed omnes ex statu viatoris ad statum damnationis, vel comprehensoris translatos esse supponant. Secundò sequitur adultos non solùm per mortem, sed etiam per amentiam, somnum, vel inaduertentiam durantem vsque ad egressum ex hoc mundo, viatores esse desinere, & in termino constitui; siquidem præfati, vt dictis obstaculis impediti, neque mereri, neque demereri vllo modo valent. Equidem vtrumque consequens falsissimū est: nam hi omnes, etiam carentiâ perpetuâ vsus rationis suppositâ, in illa voluntate vniuersali, quâ iuxta Paulum 1. ad Timot. 2. *Deus vult omnes hominus saluos fieri*, continentur; & ita, vt constat ex doctrina Patris Suarez tom. 2. de Reli. lib. 1. de ora. cap. 15. n. 11. Deus ex se paratus est eis auxilia saltem sufficientia ad salutem conferre; & ideo pro eis illa petere à Deo licet. Insuper præfati peccatores incidentes in amentiam perpetuam, ex se capaces sunt Sacramentorum aliquorū: quæ omnia conuincunt præfatos omnes esse viatores; alioquin si in termino essent, neque Deus illos saluos fieri vellet, neq; pro eis vllo modo orare liceret, neque illi Sacramentorum capaces essent, sicut damnati, neque horum, neque orationum fideliū capaces sunt, neque in illa voluntate generali, quâ Deus vult omnes homines saluos fieri, ampliùs includuntur. Et ratio est, nam cōstitutio extra viam meriti, vel est voluntas efficax absoluta Dei, quâ absolutè, & independenter ab vlla conditione superponenda negare vult Deus alicui præmiū; vel cum ea necessariò coniuncta (vt infrà dis. 5. n. 49. repetemus.) Quare cùm Deus ante præuisam mortem hominum, (qui solus est terminus viæ illorum) non habeat absolutum decretum excludendi eos à regno cælesti; idcirco omnes homines nullo prorsus excepto, dum miseram nostram vitā trahunt, viatores sunt. Quòd verò præfati mereri non possint, non oritur ex eo, quòd extra terminū sint, neque ex eo quòd potentiam ad merendum, & demerendum non habeant; sed ex eo quod hæc potentia ad meritum, vel demeritum, per accidens, nempe per amentiam, aut somnū est impedita. Vnde sicut paruulus ex se discursiuus & rationalis est, licèt per accidēs ratione obstaculi discurrere nequeat; ita præfati paruuli, & amentes potentiam habēt ad meritum, vel demeritum, licèt impeditam per amentiam, vel rudem adhuc ætatulam. Ex quo euidenter sequitur, Adamum etiā si immediatè post comestionem, vsque ad finem horæ nonæ dormiuisset, vel in amentiam incidisset, futurum fuisse viatorem ad transfusionem iustitiæ originalis, vel peccati; tùm quia habuisset potentiam ad meritum, vel demeritum, licèt impeditam, sicut cæteri dormientes, & amentes ad meritum suæ vitæ æternæ habent: tum quia eo ipso quòd Deus ad transfusionem ineuitabilem peccati, finem horæ,

Paulus.

Suarez.

v.g. nonæ designauit, non habuit voluntatem efficacem negandi iustitiam originalem posteris, donec præfatus finis horæ nonæ præuideretur. Vnde sicut reprobi omnes siue dormiant, siue incidant in amentiam, dum viuunt, viatores sunt, nempe quia Deus, donec eorum mortem præcognoscat, excludere eos à regno efficaciter non vult; ita quia Deus efficaciter non statuit ante præuisam horam nonam mulctare posteros Adami; primus parens siue post comestionem dormiuisset, siue vsque ad exilium in amentiam incidisset, eum fuisse tunc viatorem, necesse est.

54. *Aliud efficax argumentum cõtra quintam opinionem relatã conficitur.*

Præterea, præfata opinio quinta impugnatur: Ad hoc vt impœnitentia Adami peccaminosa fuisset, auxilium saltem sufficiens essentialiter requirebatur, quo Adamus iam præuaricator, si vellet, pœnitere valeret; siquidem homo omni auxilio etiam sufficienti destitutus, neque pœnitere, neque omittendo pœnitentiam peccare potest; cùm potentiam proximam, & expeditam ad pœnitendum, vel non pœnitendum, pro voluntate non habeat. Sed Deus ex vi pacti initi cum Adamo, non se obligauit ad ei conferendum vllum auxilium ad pœnitendum de comestione, casu quo præfatum præceptum transiliret; ergo ex vi pacti impœnitentia Adami, vt peccaminosa, ad transmissionem peccati originalis non requirebatur. Consequentia est legitima, & Maior est de fide: vnde minor, in qua est solum difficultas, probatur: nam omnis gratia, præcipuè supernaturalis (qualis ad veram pœnitentiam Adami requirebatur) collata Adamo, & eius posteris post præuisum Christum mortalem, ex eius meritis descendit, vt omnes Catholici supponunt. Quare, cùm Christi mors in signo comestionem Adami subsecuto, fuerit iam absolutè præuisa (vt suprà disput. 1. cap. 5. n. 105. tradidimus) planè sequitur auxilia impertita Adamo iam inobedienti ad pœnitendum, ex meritis Christi mortalis dimanasse. Quo posito, inquiro, vel Deus in illo signo, quo pactum iniuit cum Adamo, se obligauit ad elargiendum ei auxilia aliqua ad pœnitendum de comestione, casu quo præuaricaretur, vel non se obligauit? Si posterius respondeas, euidenter sequitur Deum, non obstante peccato, potuisse omne auxilium sufficiens ad pœnitendum, imò ad se liberè non excusandum, denegare; siquidem huius pœnæ executionem, pactum non impediret. Vnde comestio Adami, etiam si excusatio, & impœnitentia peccaminosa abfuisset, transfunderetur, quod intendimus. Si verò priùs asseras, sequitur Christi mortem ante delictum Adami fuisse absolutè præuisam; siquidem ea mouit diuinam voluntatem, vt decerneret conferre Adamo auxilia ad pœnitendum, & humiliter confitendum peccatum, casu quo illud patrasset; & aliunde causa meritoria diuinam voluntatem non moueat ad aliquid efficiendum, nisi priùs ipsa merita absolutè futura præuideantur. Quare etiamsi Adamus non peccasset, Christus ex vi præsentis decreti mortalis aduenisset. Consequens autem præfati recentiores absurdum reputant, & meritò cùm sit contra doctrinam S. Thomæ, & ferè omnium Theologorum (vt suprà disputatio. 1. cap. 5. numero 96. diximus.)

55. *Affertur solutio aliquorum ad præfatum argumentum.*

Respondent citati Complutenses, Deum ex vi pacti non se obligasse ad conferendum Adamo iam præuaricatori aliquod auxilium determinatè, sed indeterminatè hoc vel illud. Vnde aiunt, Deum visâ morte Christi post esum Adami, ex innumeris auxilijs, quorum aliquod veluti vagè tenebatur primo parenti donare ad pœnitendum, elegisse per mortem Christi vnum determinatum, quod, si Christus non venisset, non fuisset impertitum Adamo, sed aliud diuersum. Ex quo inferunt, bene subsistere Deum ex vi pacti se obligasse ad elargiendum Adamo iam inobedienti auxilium aliquod indeterminatum, & insuper auxilium datum Adamo ad pœnitentiam, & humilem delicti confessionẽ, ortum duxisse ex morte Christi post comestionem præuisam; siquidem Deus ex vi pacti solùm tenebatur elargiri primo parenti iam præuaricatori hoc vel illud auxilium indeterminatè; & postea viso Christo, hoc numero auxilium determinatum designauit. Declaratur, Deus quando legem illam, v.g. tulit: *Qui seruauerit mandata saluus erit*, se obligauit ad conferendum saltem auxilia sufficientia ad eorum obseruationem; tamen quia non se obligauit ad conferendum hoc auxilium determinatum, sed indeterminatum, hoc vel illud, locus est diuinæ prouidentiæ, vt postea per preces Sanctorum, vel ob alias causas auxilia particularia, & determinata distribuat, & tibi hoc numero auxilium, & illi illud determinatum largiatur. Ita quia Deus in signo, quo legem Adamo imposuit, non se obligauit ad impertiendum eidem, si comederet, hoc numero auxilium determinatum ad resurgendum; sed hoc vel illud, potuit postea viso peccato Adami, & Christo, auxilium determinatum eligere, & ob eius mortem primo Parenti conferre; & ita erit verissimum, quod Patres asserunt, nempe Adamum per præuaricationem omnia auxilia supernaturalia perdidisse, & omnia auxilia eidem, & reliquis collata post comestionem, ex eius

morte & passione ortum duxisse.

56. *Relata responsio scatet difficultatibus.*

Hæc solutio scatet difficultatibus, & veræ Theologiæ refragatur. Primò falsum est Adamum per transgressionem non perdidisse ius ad omnia auxilia supernaturalia, etiam indeterminata; sed post illam adhuc ius ad hoc vel illud auxilium indeterminatum retinuisse. Nam, vt asserunt Cælestinus primus Epist. 1. cap. 4. Prosper ad capita Gallorum, responsi 8. Fulgentius lib. de Incar. cap. 12. & 13. & Bernardus lib. 1. de lib. arbit. circa medium: per quodlibet peccatū mortale omnia auxilia supernaturalia ad resurgendum perduntur, illisque peccator prorsus indignus redditur, eisque carere meretur. Vnde cùm Adamus comedendo de ligno prohibito grauiter peccauerit, eum perdidisse ius ad omnia auxilia supernaturalia, necesse est. Neque obstat si dicas, Adamum perdidisse auxilia omnia determinata, & hoc solùm Patres suprà citatos significasse. Hoc, inquam, non obest: nam Patres non solùm absolutè aiunt, Adamum per suam præuaricationem omnia auxilia & gratiam perdidisse; sed etiam inde inferunt, eum, & nos ad resurgendum indiguisse Christo redemptore; quo clarè denotatur ei post præuaricationē nullum auxilium supernaturale ad resurgendum, etiam indeterminatum, fuisse debitum; alioquin neque omnia auxilia amisisse, neque indiguisse redemptore absolutè diceretur. Declaratur, finge Regem (vt accidere potest) tibi centum millia ducatorum, v. g. absolutè, & indepenter à quacumque conditione promisisse, non determinando, an illos ex auro, vel argento, vel alio metallo esset collaturus; sanè in hoc casu licèt haberes ius ad prædictam summam, non tamen ad hos numero ducatos, neque ad hoc, vt illi ex auro, vel argento determinatè conferantur; sed solùm ad centum millia ducatorum, vt sic, seu indeterminatè. Cæterùm si euidenter nosceretur Regem ex se, & non expectata vlla intercessione, hodie v. g. staturum promissis, & certò præfata centum millia largiturum, nemo ex eo quòd hi numero ducati non debeantur, seu ex eo quod Rex ex vi promissionis ex auro, vel argento determinatè eos soluere non sit obligatus; nemo inquam, te pauperem, nemo te eam summam perdidisse, nemo te ad illam habendam intercessore indiguisse, diceret; etiam si amicus fuerit causa vnica cur hi numero ducati ex auro v. g. tradantur; ita si Deus absolutè & independenter à quacumque conditione, se obligauit, quando pactum iniuit, ad conferendum Adamo iā præuaricatori auxilia sufficientia vt sic, seu indeterminatè ad resurgēdum, & consequenter ex illa promissione ius in Adamo iam transgressore ad præfata auxilia indeterminata resultauit, ille ob comestionem auxilia omnia amisisse, & ad illa recuperanda indiguisse Christo redemptore nullatenus censeretur; siquidē neq; perdidisset auxilia vt sic, sed hoc numero auxilium, neq; Christus, vt auxilia vt sic, sed vt hoc numero auxilium conferretur, effecit; quod non sufficit ad hoc vt quis summam, aut auxilia perdidisse, vel ad illa recuperanda intercessore indiguisse, absolutè dicatur.

Cælestinus. Prosper. Fulgentius. S. Bern.

57. *Iterum adducta solutio reiicitur.*

Secundò impugnatur prædicta solutio: nam de fide est, Adamum statim, ac præceptum Dei transgressus fuit, maculam, iram Dei, mortem, & captiuitatem diaboli incurrisse, vt perspicuis verbis Patres Triden. sess 5. cap. de peccato originali, can. 1. decreuerūt. Equidem captiuitas propriè dicta, non solū à seruitute, quā quis suas operas alicui ad tempus locare solet, distinguitur, vt liquet; sed etiam necessariò inuoluit negationem omnium mediorum, quibus captiuus pro sua voluntate à seruitute domini, etiā inuiti, exire valet. Quis enim propriè te captiuū alicuius appellabit, si ita illi seruias, vt quandocumque volueris, etiam inuito Domino, tui iuris esse possis. Sicut enim pecunia, quam pro tua sola voluntate expendere vales, non aliena, sed tua est; ita quoties quis pro sua voluntate dominū, etiam inuitum, relinquere potest; non alienatus, aut captiuus, sed sui iuris esse censetur. Ex quo deduco, neque Deum ex vi pacti initi cum Adamo, se obligasse ad impertiendum ei auxilia sufficientia ad pœnitendum, etiam indeterminata, neque Adamum post comestionem vllum ius sine Christo ad illa habuisse. Sequela probatur: nam si Adamus iam peccator habuisset ius ad aliquod auxilium sufficiens, habuisset medium, quo, si vellet, etiam sine Christo redemptore potuisset pœnitere; & consequenter à seruitute diaboli exire, vt patet; ergo primus parens statim post comestionem, non incidit in captiuitatem diaboli; sed ad summum in seruitutem; siquidem necessariò habuit auxilia sufficientia, quibus, si voluisset, à diaboli potestate liberaretur. Confirmatur, ex eo solùm quòd Christus impetrauit de facto omnibus saltem adultis auxilia sufficientia ad salutē, eum S. Leo, & alij summi Pontifices relati infrà disp. 6. n. 30. nos liberasse à captiuitate, seu eum nobis donum libertatis dedisse, aiunt; ergo cùm Deus ex vi pacti debuerit Adamo præuaricatori conferre de facto aliquod auxilium sufficiens ad resurgendum, ille per comestionem non captiuus diaboli; sed potiùs liber à captiuitate, seu habens donum libertatis censeretur.

Trident.

Tertiò impugnatur præfatū re-

58 *Tertio impugnatur solutio adhibita.*

sponsum: nam si Deus ex vi pacti teneretur Adamo conferre hoc, vel illud auxilium ad pœnitendum de peccato commisso, & ad illud humiliter confitendum, & consequenter ad sanctitatem, & iustificationem obtinendam, aliquot absurda sequerentur. Primò iam, postquam prædestinatus est Christus mortalis, fuisset aliquod nomen, seu titulus sub cælo, ob quem Adamus iam peccator (& consequenter nos omnes in illo) iustificaretur; quod apertè contradicit illis verbis Petri Actor. 4. *Et non est in aliquo alio salus* (scilicet nisi in Christo Iesu) *nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri:* siquidem Adamus iam peccator, & post prædestinationem Christi alium titulum, & nomen independeter à Christo exigendi sibi, & posteris salutem, seu auxilium sufficiens, quo eam, si vellet, consequeretur, habuisset, nempe pactū secum initum, ratione cuius Deus aliquod auxilium indeterminatum ei largire tenebatur. Secundò sequeretur Christū iam præuisum, non fuisse vnicam causam necessariam ad iustificationem Adami peccatoris; siquidem illo non veniente, vel pro primis parentibus sua merita nullatenus applicante, Protoplastus ex vi pacti auxilium, quo posset resurgere, si vellet, habuisset. Consequens Tridentino sess. 6. cap. 7. Christum esse vnicam causam iustificationis desinienti, aduersatur. Denique prædicta solutio à Cælestino primo dissentit: ille enim Epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 1. numero 4. sic fatur: *Adamus cadens in præuaricationis profunda demersus est; & nihil quemadmodum exinde resurgere posset inuenit*, nempe sine Christo!, vt mox subiunxit Pontifex. Idem supponunt Patres suprà n. 56. dum aiunt: Christi prædestinationem, vt Adamus, & nos sanctificationem, & regnum cæleste acquirere possemus, fuisse necessariam. Enimverò si Adamo ex vi pacti, & independenter à Christo fuisset debitum aliquod auxilium sufficiens, licèt indeterminatum, quo si vellet, potuisset ante finem præfatæ horæ perfectè pœnitere, & sibi, & nobis iustitiam comparare; neque Christi prædestinatio ad nostram salutem fuisset necessaria, vt Patres volunt; neque Adamus caruisset medio ad iustificationem consequendam, vt asseruit Cælestinus; siquidem independenter à Christo ei datum fuisset auxilium aliquod sufficiens, quo, si vellet, præfatam felicitatem adipisceretur.

Acta Apostolorum.

Cælestinus.

Trident

59. *Paritas allata non bene currit.*

Neque nostram doctrinam labefactat, neque contrariam confirmat paritas allata numero 55. de auxilijs indeterminatè promissis à Deo, quando ipse legem de obseruatione mandatorum, aut

aut de alijs rebus tulit: nam illud suppositū falsum est: & insuper, illo admisso, adhuc nostra doctrina stabilis perseuerat. Primò do antecedens: ex illone sequetur Deum, quando legem de transfusione iustitiæ, aut peccati originalis tulit, se obligasse ad conferendum indeterminatè auxilia Adamo iam præuaricatori ad pœnitendum; Sicut quando legem tulit de seruandis mandatis, efficaciter voluit hoc vel illud auxilium hominibus impertire? nequaquam, nam, vt constat ex dictis suprà numero 58. post præuisum Christum, non est aliud nomen, neque titulus nisi Christus, ob quem à peccatis exire, & salutem consequi possimus; cùm autem, si Deus, quando pactum iniuit, se obligasset ad impertiendum indeterminatè Adamo iam peccatori auxilia, fuisset aliud nomen, & titulus præter Christum ad salutem consequendam, vt suprà numero 58. arguebamus; idcirco Deus in initione pacti præfatam voluntatem efficacem non habuisse, pro comperto habeo. quod in impositione præcepti de confessione v.g. non euenit; siquidem hæc lex cùm post Christum iam præuisum fuerit lata, potuit Deus, quando illam, & alias similes statuit decernere indeterminatè auxilia, & postea visis occasionibus ea determinare. Præterea violatio peccaminosa alicuius ex præceptis naturalibus, diuinis, aut positiuis, est simpliciter necessaria, vt reprobi in infernum detrudantur, & pœnâ sensus torqueantur; vnde etiam si Deus, quando alias leges statuit, statueret aliqua auxilia sufficientia indeterminatè hominibus impertiri; non mirum cùm hæc ad violationem peccaminosam necsariò exposcantur; attamen cùm ad condemnationem reproborum impœnitentiâ finalis peccaminosâ non sit opus, vt patet (cùm impœnitentia finalis vt sic, peccatū mortale in impœnitente præsupponat,) idcirco licèt in signo, quo Deus alias leges statuit, se obligaret ad conferendum indeterminatè saltem auxilia sufficientia ad earum obseruationem, non tamen sequeretur Deum in signo, quo tulit legem de pœnitentiâ finali, decreuisse quoque efficaciter, se auxilia vt sic ad illam hominibus præbiturum. Quapropter cùm hic agamus de lege Dei statuente pro conditione necessariâ ad transfusionem peccati originalis, impœnitentiam Adami; & hæc iuxta communem Dei œconomiam, non debeat esse peccaminosa, vt homines ob peccatum graue, ob quod pœnam merentur, puniantur (vt nuper asseruimus) eapropter Deus in signo, quo illam conditionem imposuit, non determinauit, an esset futura peccaminosa, vel non pec-

ca-

caminosa, an esset daturus auxiliũ aliquod ad illam euitandam, vel non esset daturus ; hoc enim postea viso Christo statuit.

60. *Deus in signo quo legem tulit, non decernit auxilia conferre ad eius obseruationem.*

Insuper falsum est, Deum in signo, quo legem aliquam statuit, se obligasse ad conferendum auxilia necessaria ad eius obseruationem ; hoc enim posterius decretum postea, visis occasionibus particularibus , Deus respectu aliquorum hominum , habet ; & respectu aliorum, non habet: siquidem hoc, non ad legem ipsam diuinam ferendam ; sed solùm ad hoc vt homines meritoriè , vel demeritoriè illam violent , vel obseruent ; seu ad hoc vt illam liberè violare, seu obseruare possint, deseruit. Pro quâ re animaduertendum est, obligationem obediendi Deo , resultantem in hominibus ex eius mandatis, esse duplicem ; proximam, inquam, & remotam , seu in actu primo, & in actu secundo. Obligatio proxima, seu in actu secundo, est quando præcepti transgressio imputatur ad peccatum; cùm autem ad hoc libertas, & potentia expedita ad obediendum in operante requiratur , & hæc per auxilia saltem sufficientia integretur ; ideo eo ipso quòd Deus illam obligationem imponit, tenetur hominibus vsum rationis, & aliqua auxilia ad obseruationem eius legis proximè , seu in actu secundo obligantis, conferre. Et obligatio remota seu in actu primo , non sufficit ad hoc, vt præcepti transgressio sit peccaminosa , sed insuper opus est vsus rationis , notitia prædictæ legis in operante, & auxilium quo ipsa liberè, quod mandatur exequi possit ; cùm autem Deus non teneatur ex eo quod legem fert seu obligationem remotam , seu in actu primo hominibus imponit , eis obligationem etiam proximam superaddere , cùm hæ obligationes sint omnino diuersæ , & saltem non mutuo separabiles ; idcirco ex latione legis diuinæ Deum decreuisse, vsum rationis, & auxilia aliqua sufficientia indeterminata hominibus aliquibus impertiri , non concluditur.

61. *Doctrina prædicta amplius declaratur.*

Declaratur, lex vniuersalis diuina de obseruatione præceptorum ex se omnes homines comprehendit ; siquidem quòd paruuli , vel amentes eam violando non peccent , per accidens est; nempe ob defectum vsus rationis ; & ita si præfatum obstaculum tolleretur , illi , sicut & reliqui , Deo obedire tenerentur, sicut ergo Deus, quando prædictam legem vniuersalem, & comprehendentem omnes homines tulit , & eis præfatam obligationem remotam imposuit ; non se obligauit ad donandum vsum rationis huic homini determinato, vel ad illum eo vsu rationis priuandum; sed indifferens mansit ad decernendum in alijs posterioribus signis , id quod sibi magis placeret : ita in signo , quo legem præfatam statuit , potuit respectu aliorum , & consequenter omnium, indifferens esse, non decernendo pro illo signo, an essent habituri, vel non habituri vsũ rationis, & aduertentiã sufficientem ad illius violationem, vel obseruationem meritoriam, aut demeritoriam. Ex quo iam apparet, Deum in signo, quo pactum iniuit cum Adamo de transfusione iustitiæ, vel peccati originalis, nõ decreuisse ei conferre vllum auxilium , etiam indeterminatum ad pœnitendum, casu quo præceptum impositum transgrederetur ; sed mansisse pro illo signo indifferentem ad eius collationem, vel negationem. Vnde quãdo Deus viso peccato , auxilium largiri statuit, fuit maxima misericordia ex meritis Christi orta, vt Patres , præcipuè Chrysostomus infrà disp. 6. n. 7. relatus, apertè significarunt.

CAPVT VII.

Aliud corollarium deducitur cõtra tertiam & quartam sententiam suprà relatam.

62. *Consectariũ contra tertiam opinionem.*

EX dictis cap. 5. etiã sequitur, falsam quoque esse tertiam sententiam relatam suprà n. 14. asserentem, comestionem , vt infectam superbiã, infidelitate , nimiã curiositate , & alijs malitijs ortis ex alijs motiuis , quibus Adamus permotus comedit , fuisse peccata , ad quæ moraliter influximus, seu quæ nostram infelicitatem iuxta pactum promeruerunt. Ita Doctores relati suprà n. 18. pro sexta sententia ; & patet, quia peccatum Adami , quod totaliter meruit nostram ruinam, seu ad quod moraliter influximus, vnicum numero , & specie fuit , & contra vnicum præceptum Dei de abstinentia impositum, vt suprà cap. 5. ex Scriptura , Concilio Tridentino , Augustino, S. Thoma , & ratione ostendi ; ergo non in comestione, vt infectã prædictis malitijs , & opposita alijs præceptis ; sed in eadem, vt gula fuit, deliquimus. Trident. Auguſt. S. Thom.

63. *Aliter tertia sententia refutatur.*

Præterea probatur: nam si prædictæ omnes culpæ Adami simul sumptæ fuerunt causa per se totalis , & adæquata nostræ ruinæ, concluditur quodlibet peccatum Adami ad infectionẽ naturæ ex vi pacti suffecisse ; & ita , si Adamus nõ comedisset, & alia peccata admisisset , ex vi præsentis decreti peccatum originale transfunderetur, vt Doctores secundæ sententiæ, relatæ suprà n. 13. asserebant. Consequens reprobatur à Doctoribus , cum quibus disputamus; & est falsum (vt vidimus suprà à n. 41.) ergo antecedens quoque reiiciendum est. Sequela probatur : nam cùm ad hoc vt delictum Adami nobis nocere potuisset, illud ab illo vt personà publicà oriri debuisset (vt admittunt prædicti Doctores) si peccata superbiæ , nimiæ curiosi-

tatis, & similium vitiorum, nostram infelicitatem partialiter promeruerunt, ea ab Adamo, vt persona publica descendisse, necesse est. Ex quo vlteriùs deduco, Adamum per solam superbiam ante comestionem infecisse naturam; siquidem illa fuit primum peccatum factum ab Adamo, vt persona publica, vt volunt prædicti Doctores, & teste S. Thoma relato suprà numero 38. de fide est, Adamum per primum peccatum, nempe factum ab illo vt persona publica, corrupisse naturam. Declaratur, & pariter discursus confirmatur: nam secundùm prædictos auctores, nos peccasse in Adamo est, nos moraliter concurrisse in culpam Adami factam nomine nostro; vnde si peccauimus in cumulo prædictarum malitiarum, in præfatas omnes, & singulas culpas moraliter influximus. Demus ergo per possibile, vel impossibile, Adamum post superbiæ peccatum commissum, præcepto de abstinentia obediuisse, in casu prædictæ hypothesis, cùm moraliter influxissemus in superbiam Adami admissam ab illo, vt persona publica, in illa superbia peccauissemus. Insuper cùm peccatum originale iuxta prædictos auctores sit concursus noster moralis in culpam Adami, non retractatus; & aliunde quando in illa hypothesi conciperemur, non præcessisset retractatio nostra; sequeretur, nos in illa hypothesi concipiendos fuisse maculatos & captiuos diaboli; vnde (vt intulimus) etiam si Adamus non comedisset, peccatum originale transfunderetur.

S. Thom.

64. *Argumento adducto duæ solutiones adhibentur.*

Huic argumento duæ adhibentur solutiones. Primò aliqui existimantes, nos peccasse in Adamo, esse nos concurrisse moraliter ad culpam illius; respondent, concursum prædictum esse, quia per æquiualentiam eodem modo nos habemus, quando concipimur, ac si re ipsa, & physicè in prædictam culpam influxissemus. Vnde cùm ad hoc vt ex vi pacti maculati concipiamur, seu eodem modo habeamur, ac si physicè peccauissemus, requiratur, vt cumulus omnium culparum Adami ex vi pacti ad transfusionem delicti originalis requisitus, extiterit; idcirco neque tempore, quo Adamus superbiuit v.g. neque tempore quo aliud crimen commisit; sed tempore quo totus cumulus prædictarum culparum extitit, in vllam culpam illius moraliter influxisse censemur. Sicut enim contractus v. g. factus à tutore nomine pupillorum, vt his adscribatur, vltimam solemnitatem requisitam à iure apponi requiritur; ita vt nos in superbiam Adami influxisse dicamur, reliquas culpas Adami fuisse appositas, opus est. Secundò aliqui Doctores, qui nobiscum sentiunt nos pec-

casse in Adamo, esse Adamum promeruisse de condigno nostram ruinam, respondent prædicto argumento, meritum damnorum naturæ consurrexisse ex peccato Adami iuxta pactum cum eo initum (vt dicemus infrà disput. 7. n. 52.) vnde cùm pactum quatuor v.g. malitias, seu culpas Adami ad nostram infelicitatem prærequisierit; idcirco donec omnes illæ appositæ fuerunt, præfatum meritum ex vno vel alio peccato primi parentis, non pullulauit.

65. *Prior solutio depellitur.*

Equidem præfatæ solutiones vim argumenti non imminuunt: prior enim falsam doctrinam præsupponit (vt latè ostendimus suprà dis. 1. cap. 2. à n. 24.) Deinde inintelligibile est, nos nō concurrisse moraliter ad superbiam Adami, quando ille superbiuit, & postea quando comedit v.g. seu vltimum peccatum ad transfusionem culpæ originalis requisitum, admisit, tunc in superbiam influxisse; siquidem tunc neque erat culpa actualis superbiæ, neque Adamus circa illam operabatur, & aliunde nos medio influxu actuali Adami in culpam circa eam solùm operari potuimus (vt loco proximè citato §. 5. dicebamus.) Confirmatur exemplo pupilli allato ab Aduersarijs: licèt enim contractus, cui posterior v.g. solemnitas deest, factus à tutore, vt tali, neque validus sit, neque pupillum obliget; tamen sicut tutor illum inualidè, ita pupillus eundem inualidè effecisse censetur: nempe quia tutor nomine pupilli incœpit contractū, licèt illum non perfecerit; ita quia Adamus in casu dictæ hypothesis, nomine omnium posterorum superbus, v.g. fuisset, nos ad superbiam illius concurrisse dicemur, licèt pactum perfectè non fuerit violatum. Ex quo sequitur, nos in Adamo tunc peccasse. Neque quoad hoc paritas allata de tutore vrget: nam valor contractus ab eo initi, dependet ex voluntate Principis; vnde cùm Princeps conditiones, quæ sibi placuerint, ad eius validitatem apponere valeat; ideo contractus celebratus à tutore, cui posterior v.g. conditio deest, irritus erit; attamen Deus non potest facere, vt concursus voluntarius ad culpam, seu violatio præcepti, licita sit: quare cùm posteri moraliter influxerimus in priorem culpam Adami, præfatus influxus, etiam si desit alius in posteriorem culpam illius, peccatum erit.

66. *Posterior solutio infirmatur.*

Insuper secunda solutio adhibita nostro argumento principali, mihi quoque displicet: nam iuxta eam quælibet culpa Adami ex relatis, fuisset causa partialis meritoria nostræ ruinæ; & ex omnibus simul sumptis resultaret causa totalis, & adæquata meritoria nostræ infelicitatis; quod falsum esse videtur: nam licèt in bonis operibus

meritū de congruo, seu inæquale præmio admittatur: attamen in peccatis demeritum de congruo, seu inæquale pœnæ præcipuè consistenti in indiuisibili, qualis est priuatio sanctitatis; non agnoscitur, & ideo innumera peccata venialia simul sumpta, mereri de condigno priuationem sanctitatis constanter negatur; nempe quia nulla culpa venialis seorsim sumpta, vt sanctitate spoliemur, vel inimici Deo reddamur, de cōdigno promeretur. Vnde cùm priuatio sanctitatis intentata posteris Adami, consistat in indiuisibili; si eam condignè non meruit quælibet culpa Adami ex præfatis, neque omnes simul sumptas eam meruisse, fateri oportet. Neque effugies argumentum, respondēdo, licèt antequam omnes præfatæ culpæ ponerentur, nulla seorsim sumpta fuerit causa meritoria nostræ ruinæ, at illis positis quamlibet culpam Adami fuisse meritoriam de condigno præfatæ pœnæ; nempe quia fuit adimpleta conditio, sub qua meritū condignum ex qualibet iuxta ordinationem diuinam, resultare debebat. Hoc, inquam, non obstat; nam quamuis ad hoc, vt ex peccato pullulet meritum formale pœnarum extrinsecarum operanti, requiratur aliqua ordinatio diuina (vt dicemus infrà disp. 7. n. 48.) nihilominus ad hoc, vt dicamus hanc defuisse (præcipuè quando peccatum est graue, & ob illud pœnam inflictam esse scimus,) solido fundamento opus est. Vnde cùm præfatum solidum fundamentum absit (vt constabit ex solutione argumentorum) idcirco vel negandum est omnes culpas Adami fuisse meritorias nostræ infelicitatis; vel dicendum, quamlibet ex illis sine consortio aliarum, sufficisse ad nostram ruinam, vt volebant Doctores secundæ sententiæ, quod etiam esse falsum ostendimus à n. 41.

67. *Alia impugnatio.*

Adhæc, si sola comestio Adami non fuit causa totalis & adæquatè meritoria nostræ ruinæ; inquiro, an omnes malitiæ resultantes ex motiuis, quibus allectus Adamus comedit; fuerint causæ per se saltem partiales nostræ infelicitatis, vel solùm aliquæ? hoc posteriùs non dices, cùm præfata responsio solido careat fundamento; siquidem omnes fuerunt culpæ graues, & omnes influxerunt in comestionem; vnde vel omnes, vel nullæ transfusionem pœnarum promeruerunt. Si verò prius respōdeas, etiam est falsum; nā ex hac respōsione sequeretur, si Adamus peccato v. g, nimiæ curiositatis, non deliquisset, etiamsi superbus, hæreticus, formaliter inobediens, & intemperans fuisset, nos immortales, & iustitia originali ornatos futuros fuisse; quod absque dubio absurdum est, cùm nemo nostram infelicitatem ex culpa nimiæ

nimiæ curiositatis Adami necessariò dependisse asseruerit. Sequela probatur: nam donec conditio totalis, sub qua aliquid intentatum est, apponatur; pœna intentata infligi non debet; quare cùm conditio adæquata, sub qua Deus nostram ruinam comminatus fuit, fuerint omnes culpæ præfatæ simul sumptæ (vt volunt Aduersarij) quālibet ablatā, conditio totalis non purificabitur, & consequenter pœna intentata non infligetur.

68. *Corollariū cōtra quartam sententiam.*

Denique infero, falsam quoque esse quartam sententiam relatam suprà n. 15. asserentium, omnes culpas Adami comestionem illius antecedentes, & consequentes, fuisse causam per se nostræ infelicitatis: eam enim à veritate longè deuiare conuincunt, tùm omnia, quæ in hoc capite contra tertiam opinionem adducta sunt, tùm quæ retulimus capite 6. vbi vnicum numero, & specie peccatum fuisse causam totalem meritoriam nostræ ruinæ, ostendimus; tùm ea, quæ à numero 44. scripsimus contra quintam sententiam, quibus neque excusationem Adami, neque eius impœnitentiam vt peccaminosam, in nostram infelicitatem per se influxisse, demonstrauimus.

CAPVT VIII.

Argumentis, quibus contrariæ opiniones nituntur, satisfit.

69. *Præmonitio.*

ANtequam vlteriùs ad solutionem argumentorū procedam, moneo nos in hac disputatione solùm de causa meritoria nostræ ruinæ sermonē instituisse, & asseruisse hanc tantùm fuisse malitiam gulæ Adami; an verò præter causam meritoriam, & peccatum, fuerit aliqua alia conditio, non vt peccaminosa requisita ex vi pacti, ad transfusionem culpæ originalis; nihil hactenus definiuimus: hoc enim ex professo discutiam infrà disput. 5. & 6. vbi latè probabo, præter peccatum comestionis, ad transmissionem delicti originalis, impœnitentiam Adami, vt sic, seu vt solùm dicit negationem perfectæ pœnitentiæ, fuisse prærequisitam. Quo posito ad fundamenta contrariarum opinionum veniamus, & ea adeo infirma comperiemus; vt inde nostra sententia magis stabiliatur.

70. *Obiectio ex Patribus & Scriptura. Paulus. Trident. Salianus.*

Obijcies primò Paul. ad Rom. 5. & Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, & Patres, qui teste Saliano in Annalibus anno 1. die. 13. numero 163. nostram ruinam iam inobedientiæ, iam superbiæ, iam gulæ, iam excusationi, iam impœnitentiæ, iam violationi plurium præceptorum attri-

S. Leo. attribuunt : *Adamus* (ait S. Leo serm. 4. de Natiuit.) *quia consilijs superbiæ acquieuit, ille, & vniuersa posteritas audiuit, terra es.* (& serm. 5.) *Adam præcepta Dei negligens, peccati induxit damnationem* Idem in alijs Patribus passim inuenies ; ergo omnes præfatæ culpæ Adami, nostram infelicitatem effecerunt, alioquin hæc illis non attribueretur.

71. *Patres & Scriptura explicantur.* Respondeo omnes culpas Adami ante exilium à paradiso commissas, concurrisse ad nostram infelicitatem ; siquidem aliquæ, vt motiuum superbiæ, illum ad comedendum, se excusandum, & non pœnitendum, permouerunt; & omnes eundem vel sanctitate exarmarunt, vel debiliorem ad virtutem reddiderunt, vel impediuerunt, ne conditio ad transfusionem iustitiæ originalis obseruaretur ; & ideo cùm iuxta modum communem loquendi, effectus non solùm causis per se, & proximè ad illum concurrentibus, sed etiam causis remotis, & per accidens, attribui soleat; immeritò prædicti Doctores, eò quòd Patres nostram ruinam varijs culpis Adami adscribant, eas omnes fuisse causas in quarto modo dicendi per se nostræ infelicitatis, concludunt (vt ostendi suprà n. 5.

72. *Instantia proponitur.* Instabis, licèt Scriptura, & Patres multoties effectus causis remotis, & per accidens attribuant; negari non potest, quin ijdem suos etiam effectus causis per se adscribere consueuerint. Vnde ergo scimus Patres, & Scripturam attribuentes nostram ruinam superbiæ, excusationi, & aliis culpis Adami, de causis per se non locutos fuisse?

73. *Instantiæ fit satis.* Idem, quod quærunt Aduersarij, nos ab eis exigere possumus, nempe, vnde sciunt Patres in prædictis locis sermonem instituisse de causis per se transfusionis peccati; cùm eorum verba ad causas per se, vel per accidens flecti possint ? & quia illis responsio solida non facilè suppetet; respondeo, ideo nos asseuerare Patres communiter attribuentes nostram infelicitatem variis culpis Adami, non locutos de causis per se, sed per accidens; tum quia culpa Adami, in qua peccauimus, fuit vnica numero, & specie, nempe gula, (vt ostendi suprà cap. 4. & 5.) tum quia præceptum impositum Adamo, vt personæ publicæ, fuit vnicum, nempe de comestione (vt ostendimus ex Augustino, & ratione suprà à numero 36.) tum ob alia incouenientia adducta cap. 6. & 7. contra relatas opiniones.

74. *Alia obiectio ex Patribus.* S. Chrys. Villanoua, Augustin. Tertiò obiicies Chrysostomum, Augustinum, B. Thomam à Villanoua, & nonnullos Patres, quorum verba dabimus infrà disput. 6. cap. 2. expresè asserentes, Adamum corrupisse naturâ, quia ante exilium à Paradiso, seu ante prolationem diuinæ sententiæ

tiæ in primos parentes, pœnitere noluit; & ita innuunt, si Adamus tunc pœnituisset, ipsum cum posteritate, in pristinam felicitatem rediturum fuisse. Ex quo sequitur, peccatum prædictæ impœnitentiæ fuisse causam per se nostræ ruinæ ; siquidem iuxta prædictos Patres, si illud non fuisset, felices, & ornati iustitiâ concideremur. Confirmatur ex Augustino, Prospero, Gregorio, Ruperto, & aliis relatis infrà disput. 5. cap. 5. expresè negantibus, nos infelices futuros, si Adamus non se excusasset, sed humiliter suam culpam fuisset confessus. Vnde præfati Patres clarè denotant, excusationem fuisse causam per se nostræ ruinæ ; siquidem, si illa fuisset causa per accidens, etiam ea ablatâ, peccatum ex vi pacti transfunderetur.

Prosper. S. Greg. Rupert.

75. *Impœnitentia duobus modis accipitur.* Vt argumento, & confirmationi adductæ respondeam, moneo, impœnitentiam, quoad præsens attinet institutum, duobus modis accipi posse : primò accipitur vt peccaminosa, seu prout est violatio præcepti, cuius notitiam habemus, & cuius obseruationem omittimus, seu omittere liberè volumus ; sic multoties aliqui reprobi delinquunt, quando in articulo mortis moniti de periculo, sua peccata confiteri, seu de ijs conteri nolunt. Secundo modo accipitur impœnitentia prout dicit negationem solùm pœnitentiæ requisitæ ad gratiam amissam recuperandam; hoc multoties accidit, etiam aliquibus reprobis, qui post peccata grauia commissa, incidunt in amentiam, aut mortem sibi imminere ignorantes, expirant; & in vtroque casu impœnitentia est, & dicitur causa reprobationis illorum ; siquidem tam impœnitentia peccaminosa, quàm non peccaminosa est, causa remouens & prohibens pœnitentiam, quæ si adfuisset, prædicti saluarentur. Quo posito,

76. *Obiection i proposita respondetur.* Respondeo, impœnitentiam prædictam Adami, non vt peccaminosam, sed saltem vt solùm impeditiuam veræ & perfectæ pœnitentiæ, fuisse causam per se nostræ infelicitatis ; siquidem si Adamus opportuno tempore pœnituisset, iustitia originali ornati nasceremur, vt bene probat argumentum, & nos latè ostendemus infrà disput. 6. cap. 1. & sequentibus; tamen ex hoc non infertur impœnitentiam præfatam vt peccaminosam, fuisse necessariam ex vi pacti ad transfusionem peccati originalis ; siquidem Patres de hoc nullum verbum protulerunt; sed de prædicta impœnitentia, sicut de impœnitentia finali reproborum loqui solemus, locuti fuerunt. Vnde sicut Patres, & Scriptura, imò & Theologi, qui magis scholasticè, & metaphysicè agunt, quando asserunt, reprobos condemnari, quia pœnitentiam agere

agere noluerunt, seu quia illam omiserunt; non sentiunt impœnitentiam illorum, vt peccaminosam, fuisse prorsus necessariam ad eorum condemnationem; sed solùm significant impœnitentiam finalem, vt sic, seu vt remouet veram pœnitentiam, esse conditionem, & causam sine qua præfati non condemnarentur. Ita Patres prædicti affirmantes, Adamum non infecturum naturam, si pœnituisset, aut illum eam corrupisse, quia pœnitere noluit; solùm voluerunt denotare impœnitentiam prædictam, non vt peccaminosam, sed vt sic, seu vt impeditiuam perfectæ pœnitentiæ, fuisse conditionem, vel causam necessariam ad transfusionem peccati originalis. Quòd autem prædicta expositio sit menti Patrum consentanea, patet ex dictis cap. 6. & 7. vbi probaui, neque impœnitentiam, neque excusationem, neque aliam malitiam distinctam à comestione, fuisse causam per se & necessariam ex vi pacti, ad nostram ruinam.

77. *Confirmationi allatæ satisfit.*

Ad confirmationem idem respondeo, nempe excusationem dici causam nostræ infelicitatis, non quia illa originaliter transfundatur in posteros, seu quia illa fuerit peccatum naturæ, aut causa per se & meritoria nostræ ruinæ; sed quia fuit causa, ne Adamus pœniteret. Vnde sicut, quia diabolus, & Eua fuerunt causa, vt Adamus præceptum sibi vt personæ publicæ impositum transgrederetur, nostræ corruptionis causæ, nempe per accidens, dicuntur, & sunt; ita quia excusatio Adami fuit causa, ne ipse veniam humiliter peteret, & pœniteret, quo nostra infelicitas vitaretur; ideo præfatæ excusationi nostra miseria, vt causæ nempe per accidens, attribuitur.

78. *Alia instantia.*

Instabis, Patres suprà relatos non solùm asseruisse excusationem fuisse causam nostræ ruinæ; sed addidisse, si ea abfuisset, nos peccatum originale non contracturos, quod denotat ipsos sensisse excusationem fuisse causam per se & necessariam nostræ ruinæ; siquidem causa quacumque per accidens alicuius effectûs ablatâ, ille sequi solet.

79. *Instantiæ respondetur.*

Respondeo, Patres locutos de excusatione inuoluente impœnitentiam, vt sic; vnde cùm hæc ita fuerit necessaria ex vi pacti ad corruptionem naturæ, vt si illa abfuisset, peccatum originale non sequeretur (vt loco proximè citato probabo) idcirco meritò Patres ablatâ excusatione, nempe inuoluente dictam impœnitentiam, genus humanum maculandum fuisse, negarunt; quod non arguit excusationem, seu impœnitentiam peccaminosam fuisse delictum naturæ, & nos ad illam moraliter concurisse, seu illam fuisse causam meritoriam

riam nostræ ruinæ, vt liquet.

80. *D. Bernardus explicatur. S. Bern.*

Instabis rursum, Bernardus relatus disput. 5. numero 26. tradidit, inobedientiam Adami redditam grauissimam, & dimissu difficilem ob excusationem; quod subsistere nequit, nisi dicamus, illam fuisse causam per se nostræ ruinæ. Plumbeum sanè argumentum: finge homicidam, & furem esse in periculo proximo mortis, qui tunc cum muliercula aliqua confabulatur, & sic impœnitens decedit: enimuerò præfata confabulatio grauior homicidio, & furto est, & vtrumque reddit veniâ prorsus indignum; non quia confabulatio ex se grauior culpa sit, quàm furtum, aut homicidium; sed quia vel est causa peccati finalis impœnitentiæ, quæ damnabilior est, quàm homicidium; vel quia illud irremissibile constituit: ita quia tempore, quo superbè se excusabat Adamus, instabat finis viæ Adamo, vt personæ publicæ, ad transfusionem iustitiæ, aut peccati originalis designatus, in quo, vt nos felices essemus, ipse pœnitens esse debuit (vt dicemus disput. 6. à cap. 1.) & insuper illa excusatio huic impedimentum appositum; idcirco excusatio illa damnabilior fuit, quàm gula, eamque quoad transmissionem mortis, irremissibilem reddidit.

81. *Alia obiectio.*

Deinde obijcies, peccatum originale in nobis contractum, licèt moraliter vnum habeatur; verè tamen & propriè sunt plures numero & specie malitiæ, nempe superbiæ, & infelicitatis, gulæ &c. & ideo teste Dauide in peccatis, & iniquitatibus concepti esse dicimur; ergo peccatum Adami, quod transfunditur originaliter, seu quod fuit causa totalis meritoria nostræ ruinæ, multiplex quoque fuit. Confirmatur ex Augustino in Enchiridio, cap. 45. vbi hæc habet: *Illo peccato vno, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertransijt, possunt intelligi plura peccata, si vnum ipsum in sua quasi diuidatur membra singula; nam & superbia est, & sacrilegium, & furtum* &c. Eadem verba habet Sancto Leo in epist. 84. ad Nicetam Episcopum Aquileiensem, vbi Augustinum, & Leonem de peccato Adami, quod fuit causa per se nostræ ruinæ, vel de peccato originali nobis intrinsecè inhærenti, locutos fuisse, certum est, vt verba ipsa præseferunt. Si igitur sermo fuit institutus de peccato Adami, manifestè conuincitur, illud iuxta præfatos Patres, plures, & diuersas malitias inuoluisse. Si verò locuti fuerunt de peccato originali in nobis contracto, etiam sequitur peccatum Adami, in quo deliquimus, multiplex fuisse; siquidem nostrum peccatum originale est, iuxta plures Doctores, cõcursus moralis noster in culpâ Adami.

August. S. Leo.

mi : Vnde si nobis insunt plures concursus morales, seu plura peccata originalia ; culpas Adami, in quibus peccauimus, fuisse plures, necesse est.

82. *Malitia peccati originalis in vnoquoque vnica est.*

Hoc argumentum supponit, quod Suarius 1. 2. tract. de peccatis disput. 9. sect. 3. numero 10. cum Anselmo, & communi sententia negat ; nempe peccatum originale in vnoquoque contractum, esse plures malitias, cùm sit vnica numero & specie. Neque obstat, quòd ipsum plura peccata dicatur ; nam est causa, & radix omnium peccatorum; & ideo illud, non formaliter, sed solùm virtualiter plura; imò omnia peccata censetur, & est, vt bene Suarez suprà.

83. *Mens Augustini & Leonis aperitur.*

Ad confirmationem ex S. Augustino, & S. Leone desumptam respondeo, præfatos Patres non locutos fuisse de culpis specialibus ; sed generalibus inclusis in peccato Adami, & constituentibus vnicam numero & specie malitiam ; & ideo non simpliciter asseruerunt, peccatum Adami esse plura, sed posse intelligi plura, si illud in sua quasi membra diuidatur : quo denotarunt, se non locutos fuisse de circumstantiis specialibus peccati Adami constituentibus distinctas numero & specie culpas ; sed de circumstantiis generalibus, quæ varias species peccatorum non producunt. Confirmatur : nam præfati Patres inter membra, in quæ peccatũ Adami diuidi asseruerant, numerant furtũ, fornicationẽ spirituale, auaritiã, sacrilegium, homicidium; quæ sanè circumstantiæ generales sunt, & gulam, quam comitabantur, ad speciem aliquam infimam culpæ, & distinctam, non extraxerunt Vnde sicut ingratitudo, inobedientia generalis, & aliæ similes rationes involutæ in simplici fornicatione, vnicã numero & specie malitiã intemperantiæ efficiunt ; nempe quia sunt circumstantiæ generales ; ita quia membra, in quæ Patres peccatum Adami diuiserunt, generalia sunt; idcirco ea rigorosè, & metaphysicè loquendo, vnicam numero & specie malitiam gulæ componunt.

84. *Fragmentũ cuiusdam Doctoris.*

Tandem non-nemo, qui hoc opus perlegit, & propugnationibus Complutensibus suprà n. 16. citatis interfuit; nos illorum opinionem malè retulisse accusat : vt satisfaciam huic obiectioni, fragmentum scripti cuiusdam magistri, ad verbum transcribere placuit ; præcipuè cùm id dictis recentioribus gratum fore perno scam. Præfatus enim Doctor postquam asseruerat, damnum naturæ factum fuisse ob peccatum gulæ, & impœnitentiæ, sic ait: *Noto 1. non constare quibus verbis facta sit lex, ob quam Adamus potuit vitiare naturam; quia, vt ait Granados tom. 1. in 3. p. controu 2. de gest. mirabil. Christi disp. 1. n.* 31. *ex Scriptura, & Concilio id non potest colligi ; quia verba illorum suiuis peccato aptari possunt. Vnde Patres diuisi sunt, vt ait Salianus in Annalibus, anno 1. die. 13 n. 163 vbi ait:* Non mirum si ab Scriptura, & Patribus modò superbia, modò inobedientia, modò gula, modò excusatio peccati, modò aliud crimen accusetur; cùm tam multa peccata in vno facinore fuerunt. *Vbi videtur sentire, prædicta peccata partialiter concurrisse ad damnum naturæ: vt sic dicta Patrum verificẽtur. Fauet P. Suarez lib. 4. de Opere sex dierum cap. 4 vbi relatis dictis & alijs peccatis Adæ, ait* : Communiter per antonomasiam, damnum naturæ, gulæ tribui ; *ex quo sequitur omnia præfata peccata concurrisse, sicut qui relatis Apostolis, ait : Paulus per antonomasiam Apostolus nominatur ; fatetur præfatos veros Apostolos esse. Dicitur autem gula per antonomasiam, damnum fecisse ; non quia fuerit principalior causa damni ; sed quia fuit fundamentum, aut radix totius damni: vnde P. Granados suprà n. 42. ait.* Potissima malitia non fuit externa manducatio, nec violatio præcepti abstinentiæ ; sed infidelitas, & superbia. *Et S. Thom. 2 2. q. 163 art. 1 ad 2. docet superbiam, & gulam fecisse damnum, & in 2. dist. 23. art. 1 ait, superbiam formaliter, & gulam materialiter, fecisse damnum, & S. Bonauent. in 2. dist. 33 n. 2. ait gulam materialiter, & reliqua peccata formaliter. Aliter docuit Scotus, & alij : addo Granados suprà n. 111. ait :* Soli peccato comedendi, & circumstantiis illius tribuitur noster interitus: *vnde quando S. Thom. 1. 2. q. 81. art. 1. ait, secundùm fidem, primum peccatum Adæ damnasse naturam, intelligi debet cum circumstantijs, quæ pro vno peccato reputantur, vt docent Doctores. vide Hurtado de peccatis disp. 7. difficult 10.*

85. *Noto secundò legem fuisse eam Genes. 2* In quocumque die comederis morte morieris, *quam rigidiorẽ Doctores esse affirmant. Sed addo in ea conditionem contineri, nisi in tempore habili pœnitueris; quod tempus claritatis gratiã horam nonam posuimus. Probatur ex Patribus suprà relatis, qui docuerunt nos fuisse à paradiso pulsos, quia Adam non pœnituit, alij quia Adam se excusauit, alij post sententiam; quod falsum esset, nisi conditio subintelligeretur. Confirmatur ex cap. incommunicabilis 22. q. 4. vbi Concilium Toletanum definit, in comminationibus Scripturæ subintelligi, nisi pœnitueris.*

86. *Hoc posito affero, ad minus ex vi legis duo peccata necessaria ad damnum fuisse ; primum gulam, de qua non video posse esse quæstionem, & in lege exprimitur: secundum est impœnitentia, seu excusatio peccati, quæ pro eodem vsurpo: ita S. Bernardus de præcepto, & dispensatione c. p. de obedientia, & constat ex Patribus citatis dicentibus damnum factum, quia Adam*

dam non pœnituit, & quia Adam se excusauit, vbi peccatum distinctum agnoscunt à peccato gulæ. Confirmatur, quia Adam excusando se grauissimè peccauit, vt docent Patres, nempe quia ex vi legis tenebatur pœnitere, vt damnum naturæ vitaret, quia ex vi legis natura illi commissa fuit, & poterat vitare damnum, quia adhuc intra viam erat, hoc est ante finitam horam nonam, & auxilium Dei habebat; imò vt docent Patres ad illud Genes. 3. Adam vbi es? ad pœnitentiam inuitabat; ergo speciale peccatum non pœnitendo commisit.

87. Ex quo assero in sententia docente peccatum originale in priuatione gratiæ debitæ consistere, dicta sententia facilè defenditur, quia quando duæ causæ successiuè ad effectum, qui totus simul fit, concurrunt, effectus non fit, nisi quando secunda accidit; sic per peccatum comedendi, natura in periculo fuit tantùm; at quando impœnitentia peccatum accessit, tunc natura fuit priuata gratiâ. Si verò dicas, posteros in Adam moraliter peccasse; adde ad dicta, peccasse posteros quando se excusauit Adam. Peccatum enim gulæ materialiter se habuit, vt dixit S. Thom. suprà, & forsan possumus eum iuxta nostram sententiam explicare; quando dixit superbiam formaliter fecisse damnum, intelligendo per superbiam, quod nos excusationem vocamus; quia Suarez suprà ait, excusationem non fuisse distinctum peccatum à superbia. Itaque in hac sententia peccatum gulæ, vt primò factum, personale fuit; potuit tamen dici communeab effectu; quia vt non remissum, causa fuit damni simul cum peccato impœnitentiæ.

88 Obijcies peccatum impœnitentiæ necessarium non fuisse ad damnum; quia si Adam statim post gulam dormisset vsque ad finem horæ nonæ, damnum naturæ fieret sine peccato impœnitentiæ; sicut qui post peccatum homicidij incidit in amentiam, & in fine horæ sequentis mortuus est; iste damnatur sine nouo peccato impœnitentiæ; ergo damnum naturæ fieret sine peccato impœnitentiæ Adæ.

Respondeo negando potuisse Adam eo modo dormire; & concedo homicidam posse: quia ideo homicida potuit dormire, quia tempus viæ finitum fuit, quando somnus incæpit; at ex vi præsentis decreti, tempus viæ Adæ non fuit finitum, quando Adam incepit dormire; sed finiendum erat in fine horæ nonæ. Vnde si Adam dormiuisset totâ horâ nonâ, sequeretur contradictio, scilicet Adam habuisse pro tempore viæ horam nonam, & eam non habuisse. Quòd sequatur, patet: quia Deus dedit post peccatum Adæ horam nonam pro tempore viæ, vt posset, pœnitendo naturam à periculo liberare, vt probatum est. Deinde si totâ horâ nonâ dormiuisset, hora nona status viæ non esset; quia omnes fatentur tempus viæ esse tempus, in quo quis potest mereri: si ergo Deus decreuisset, vt tota hora dormiret Adam,

Adam, in ea mereri non poterat; ergo non esset status viæ.

89. Instabis, si ex vi legis deberet pœnitere Adam, deberet Deus prouidere gratiam, quâ posset pœnitere, aliàs Deus præciperet impossibile; at non prouidit gratiam, quando legem tulit; quia gratia, quam habuit Adam, meruit Christus, qui tempore legi. visus non erat; ergo vel Deus debuit prædestinare Christum, si Adam non peccaret; vel gratia data Adæ non fuit ex meritis Christi.

91. Respondeo destinguendo minorem, scilicet non prouidisse gratiam determinatam concedo, non prouidisse indeterminatam, nempe hanc vel illam, nego; & pariter nego consequentiam. Quod sic explico: quando Deus legem tulit, qui seruauerit mandata mea, saluus erit, cum omnibus locutus est: & tunc se obligauit donare omnibus gratiam, quâ possent omnes mandata seruare; non tamen tunc decreuit determinatam gratiam; at postea, quando elegit prædestinatos, his dedit auxilia efficacia, & illis reprobis inefficacia: sic quâdo Deus commisit Adæ naturâ præcepit, vt si peccaret pœniteret, vt damnum vitaret: obligauit se ad donandam gratiam hanc vel illam, ac post visum peccatum ex multis gratijs, quas vidit, & quibus poterat implere suam obligationem, elegit donare gratiam per Christum: quod si noluisset prædestinare Christum, aliam gratiam donasset, quâ Adam potuisset pœnitere.

Hactenus prædictus Doctor, quem licèt ob suam virtutem, & doctrinam suspiciamus, & veneremur; tamen ei omnia, quæ tradidimus suprà cap. 6. assentiri vetant & dissentire cogunt. Circa præfatum fragmentum nihil addo: nam mentem Concilij Tridentini, S. Thomæ, & aliorum Doctorum suprà aperui; & quid ex Patribus nostram infelicitatem attribuentibus iam superbiæ, iam gulæ, iam excusationi, iam alijs culpis primi Parentis, colligi possit, monstraui; & insuper argumenta, quibus præfatus Theologus nititur, satis abundè dissolui. Solùm monere superest, Doctorem suprà n. 84. citatum, immeritò nos accusasse, quasi nos suam opinionem, vt ea meliùs impugnaretur, confinxerimus; siquidem ex relato fragmento constat, nos doctrinam à præfatis Complutensibus propugnatam, fideliter recensuisse, & validè, opinor, refutasse.

DISPVTATIO QVINTA.

De tempore vitæ Adamo concessæ ad transfundendum ineuitabiliter in posteros iustitiam, aut peccatum originale.

1. *Adamus in paradiso duplicem personam gessit.* Suarez.

PRotoplastus in paradiso duplicem personam gessit, publicam, & priuatam, vt bene Suarius lib. 3. de Opere sex dierum cap. 2. numero 18. ex communi omnium sensu supponit. Adamus, vt persona priuata, sibi soli nocere, aut prodesse, potuit; at vt persona publica, non solùm sibi, sed etiam suæ propagini statum felicem iustitiæ originalis aequirere, aut perdere valuit. Siquidem ipse ea lege caput physicum & morale totius generis humani fuit constitutus, vt, si conditionem appositam seruaret, eius omnes filij iustitiâ originali ornati; si verò illam violaret, ijdem maculati, conciperemur.

2. *Adamus, vt persona particularis dum vixit fuit viator.*

Secundò certum est, tempus viæ Adamo, vt personæ particulari concessum ad sanctitatem & gloriam sibi soli promerendum; in duratione, vitæ animali ipsius Adami, æquale fuisse. Sicut enim nos, dum vitam animalem trahimus, viatores sumus; ita Adami via eidem, vt personæ priuatæ, designata, fine vitæ animalis terminabatur.

3. *Sensus quæstionis aperitur.*

Quare solùm est difficultas de tempore viæ, Adamo vt capiti generis humani, statutæ, quantum, & quale fuerit. De quâ controuersiâ, licèt nihil, aut parum in Doctoribus reperiatur, longam texam disputationem, tum quia ea digna scitu est, tum quia ad finem huius tractatûs valde deseruiet. Et tanquam certissimum suppono, Deum Adamo, vt personæ publicæ, ad transfusionem iustitiæ originalis, aut peccati in suam stirpem aliquod spatium temporis largitum fuisse. Quippè cùm Deus Adamo & eius posteris statum felicem innocentiæ, si præceptum impositum seruaret, & eisdem infelicem, si illud violaret, promiserit (vt suprà disput. 1. cap. 1. tradidimus) & aliunde tempus aliquod ad violationem, vel obseruationem

nem præcepti requiratur; idcirco primum parentem, vt personam publicam, ad prædictum finem aliquod tempus habuisse à Deo statutum, oportet.

CAPVT I.

Prima sententia exponitur, & refutatur.

4. *Prima sententia.*

PRima sententia esse potest, quæ asserat tempus præfatæ viæ ad transmissionem ineuitabilem iustitiæ, aut culpæ originalis in filios Adami ordinatum, fuisse totam vitam animalem Adami. Vnde sicut nos, dum carne mortali vestimur, sanctitatem nobis mereri, & eam amissam iterum, mediâ pœnitentiâ, recuperare valemus, ita Adamus toto tempore, quo in mundo hoc visibili versabatur, potuit, vt persona publica, suis posteris, si præceptū impositum violasset, nocere, & eisdem iustitiam, etiam amissam, si pœnituisset, restituere.

5. *Prædicta sententia nonnullos errores iduoluit.*

Hoc placitum sustineri nequit, cùm aliquos errores manifestè inuoluat, & ideo ei, non vllus Catholicus, sed solùm Hæretici, fauere videntur: nempe qui originale peccatum esse negant; seu qui Adamum ad inferos condemnatum esse volunt. Cæterùm cuiuscumque sit præfatum placitum, impugnatur: Nam postquam Deus capite 2. Genes. mortem Adamo, si ex fructu arboris vetitæ comedisset, comminatus est; visa iam præuaricatione primorum Parentum, in paradisum descendit, & causâ bene examinatâ contra primos parentes sententiam tulit diffinitiuam, illis verbis capitis tertij: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quibus verbis Deus Adamum & eius posteritatem mortalitate, priuatione iustitiæ originalis, exilio è paradiso ineuitabiliter condemnauit: & ideo illos statim à paradiso eiici imperauit. Ergo Adamus post prolationem dictæ sententiæ, & iam exul, viator publicus non fuit. Consequentia probatur: nam cùm tempus viæ sit, in quo homo iustitiam perdere, & eam amissam recuperare valet, terminus vltimus præfatæ viæ erit, in quo iam homo neque iustitiam amittere, neque eam perditam iterum acquirere potest; & ideo qui in inferno torquentur, quia pœnas illas vitare, & sanctitatem consequi nullatenùs queunt, illos extra viam merendi, aut sibi demerendi, omnes Catholici sentimus: sed suppositâ iam sententiâ diuinâ, & decreto efficaci, quod Deus habuit mulctandi Adamum, & eius posteros mortalitate, priuatione iustitiæ originalis, & exilio è paradiso, fuit impossibilis restitutio Adami & po-

posterorum in pristinum statum iustitiæ originalis, non minùs, ac est impossibile, quòd iam in æternum damnati saluentur : ergo sicut damnati post mortem extra viam merendi sunt ; ita primus parens cum suâ posteritate, post prædictam sententiam in ordine ad acquirendum statum felicem amissum , extra viam fuisse censetur.

6. *Euasioni occurritur.* Forsan aliquis respondebit, illam sententiam vel non fuisse absolutam, sed in ea imbibitam fuisse conditionem, nempe si ante mortem non pœnituisset Adamus: vel si fuit absoluta, eam non posteros, sed solùm primos parentes comprehendisse. Contra hoc est : Nam primò illa sententia fuit omnino absoluta ; siquidem id verba præseferunt ; & aliunde non est fundamentum, quo moti eam aliter interpretari valeamus ; & ideo fuit statim ita executioni mandata , vt neque primi parentes, postquam à paradiso fuerunt eiecti, neque eorum filij, illuc intrare permitterentur. Præterea Patres non solum innuunt prædictam sententiam fuisse absolutam , & difinitiuam, sed in ea Adamum , & eius stirpem incluſos esse volunt. Sanctus enim Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 15. sic ait: *Constat inter Christianos veraciter Catholicam fidem tenentes, etiam ipsam corporis mortem, non lege naturæ, sed merito inflictam peccati. Quoniam peccatum vindicans Deus, dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es* Eiusdem mentis fuit Bernardus serm. de S. Martino : *Cogitur totus Adam* (Bernardum legis) *iudicium portare , quod meruit , vniuersus Adam fert sententiam . quam excepit, terra es.* & S. Leo serm. 4. de natiuit. ait: *Adamus, quia consiliis superbiæ acquieuit , ille & vniuersa posteritas audiuit , terra es.* Idem alij multi Patres tradiderunt.

Augustin. Bern.

7. *Alia impugnatio.* Deinde impugnatur prædicta sententia : nam ex ea apertè sequeretur, Adamum neque à suo delicto vnquam fuisse liberatum, neque vitam æternam consecutum ; consequens verò aut est hæreticum, aut manifestus error, vt bene Suarius de Opere sex dierum lib. 4. cap. 9. cùm Adamus in cap. 10. libri Sapientiæ, eductus à delicto dicatur , & eum fuisse saluatum, communis consensus Patrum , quos suprà citat Suarius, ferat. Sequela probatur: nam si Adamus vt persona publica, adhuc post exilium , vsque ad mortem in ordine ad transmissionem iustitiæ originalis, viator perseuerauit ; per pœnitentiam , quam fecit, statum felicem nobis restituisset. Sicut enim primus parens , quia quando peccauit , persona publica erat , naturam humanam infecit: ita si, quando post exilium pœnitentiam egit , persona publica erat , nos omnes à peccato originali liberasset , & in posteros iustitiam

Suarez.

stitiam transmisisset. Vnde Adamum post exilium à paradiso, vel pœnitentiã non egisse , vel eum, vt personam publicam ad prædictum finem viatorem non fuisse, fateri oportet.

Vasquez. Suarez. Salmeron. Locra. Hurtado.

CAPVT II.

Secunda sententia , circa viam Adamo vt personæ publicæ, concessam, refertur, & explodituir.

8. *Secunda opinio.* SEcunda sententia, inter pœnã, Adamo vt personæ publicæ, comminatam, & præmiũ eidem promissum , distinguit ; & asserit , tempus viæ Adamo vt capiti attributum , ad transfusionem iustitiæ originalis, duraturum fuisse multis annis, imò toto tempore , quo Adamus vitam viueret animalem; at viam eidem ad perdendum statum felicem assignatam , fuisse tempus , quod inter eius creationem , & primum peccatum ab eo vt capite generis humani commissum, v. g. comestionem ex fructu prohibito, interlaberetur. Vnde si Adamus die , quo fructum vetitum manducauit , illum non edisset , sed vltimâ horâ , antequam in aliam vitam transferretur , præceptum impositum violasset , naturam totam humanam macularet. Ita aliqui recentiores , quibus fauent Vasquez 1. 2. disputat. 133. cap. 3. numero 11. Suarius 1. 2. tract. de peccatis disp. 9. sect. 4. Salmerón in epist. ad Rom. disp. 46. Lorca 1. 2. in commentario artic. 3. quæstionis 81. Gaspar Hurtado 1. 2. disput. 6. difficult. 7. & multi alij , qui supponentes Adamum immediatè post præuaricationem , ineuitabiliter infecisse naturam humanam ; admittunt eum ante corruptionem generis humani , filios etiam adultos habere potuisse ; & ita inquirunt , an præfati filij, ante transgressionem generati, fuissent in iustitia originali concepti : & an Adamo postea peccante , ipsi culpam originalem contraherent?

9. *Idem terminus meriti & demeriti est.* Hæc sententia mihi nunquam placere potuit; quia diuersum terminum ad meritũ, quàm ad demeritum assignat. Sanè in Angelis ad meritum , & demeritum eadem viæ meta fuit: & insuper in nobis tempus ad merendum tempori ad demerendum propriam sanctitatem, omninò æquale est : ergo etiam terminum viæ Adamo vt capiti constitutæ ad nobis acquirendam felicitatem vel infelicitatem , eundem fuisse oportet : siquidem sine fundamento aliter de præfata via Adami , vt personæ publicæ, philosopharemur. Quare si terminus viæ præfatæ ad perdendum genus humanum,

fuit prima victoria, quam diabolus de Adamo reportauit ; ita prima victoria Adami contra diabolum, terminus præfatæ viæ ad transfusionem infallibilem iustitiæ originalis , esse debuit. Hunc discursum solidiorem esse deprehendes , si eum , non nostrum, sed D. Anselmi fuisse animaduertis. Ille enim lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. ad medium , sic effatur : *Si vicissent* (nempe primi parentes) *& non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni propagine sua , quòd vltra peccare non possent : quemadmodum quia victi peccauerunt , sic infirmati sunt , vt, quantùm in ipsis est , sine peccato esse non possint. Quis enim audeat dicere , plùs valere iustitiam ad alligandum in seruitutem hominem in prima persuasione sibi consentientem , quàm valeret iustitia ad confirmandum eum in libertate sibi in eadem prima tentatione adhærentem ?* Vbi apertè Diuus Anselmus supponit terminum viæ Adamo ad beandum genus humanum designatæ, esse eundem, ac fuit eidem constitutus ad transfusionem peccati originalis. Confirmatur ratione ipsius Anselmi, quam efficacem esse ad prædictum intentum fatetur Suarius lib. 5. de Opere sex dierum , cap. 9. numero 8. nam pactum initum inter Deum & Adamum, iustum , & vtrique parti æquale fuit : *Quis enim* (ait Anselmus) *audeat dicere plùs valere iustitiam ad alligandum hominem in seruitutem , quàm valeret eadem iustitia ad confirmandum eum in libertate?* ac si dicat : Quis effutire audebit , iustitiam diuinam, quæ omninò æquissima est, pùls in infelicitatem generis humani , quàm in eius felicitatem, quando pactum initum est , propendisse, & ita multo longiorem viam Adamo vt capiti ad transmissionem infallibilem iustitiæ originalis , quàm ad transfusionem peccati designasse ? Idem sentit S. Fulgentius lib. de Incarn. dum ait : *Iusta est vtrinque inter Deum & Adamum statuta conditio.* Enimuerò si via Adami ad perdendum genus humanum primâ comestione v. g. ex fructu vetito , & ad illud beandum obedientia totius vitæ animalis esset ; absque dubio pactum fuisset inæquale , & iustitia diuina plùs in infelicitatem generis humani , quàm in eius felicitatem, inclinasset, quod æquitati, & prædictis Patribus contradicit.

Anſel.

Suarez.

Fulgentius.

10. *In relata opinione duæ propositiones inuoluuntur.*

Præterea in prædicta opinione duas propositiones inuolutas cerno , aliam , via Adami ad transfundendum in posteros iustitiam originalem toto tempore vitæ animalis Adami duratura erat : vnde si primus parens sexcentesimo anno v. g. à sua creatione peccasset, iustitiam originalem in suos posteros non transfudisset: aliam, via Adami ad infectionem ineuitabilem naturæ humanæ , primâ violatione præcepti impositi terminabatur. Vnde Adamum immediatè post præuaricationem , officio viatoris publici omninò defunctum fuisse oportet. Cæterùm vtraque propositio mihi falsa videtur , & vtramque conuellere operæ pretium duxi : priorem capite sequenti , & posteriorem capite quinto & sequentibus.

CAPVT III.

Tempus viæ Adamo statutum ad transfusionem iustitiæ originalis non fuisse duraturum totâ eius vitâ animali ; sed finiendum antequam filios habuisset, ostenditur.

11. *Conclusio probatur ab absurdo.*

SI tempus viæ Adamo ad transmissionem infallibilem iustitiæ originalis , totâ vitâ animali eius durasset ; & antequam filios procrearet, non fuisset finitum ; pluribus difficultatibus irretiremur ; nempe an præfati filij, ante præuaricationem geniti, fuissent cum iustitia originali concepti ? Præterea semel concesso , quòd iustitia originali ornati conciperentur ; an peccante postea primo Parente , fuissent præfata iustitia originali spoliandi ? Insuper , an præfati filij ante transgressionem generati , imò adulti; præuaricante postea Protoplasto, contraxissent peccatum originale? Quibus difficultatibus licet Suarius t. 2. tract. de peccatis. disput. 9. sect. 4. Vasquez 1. 2. disput. 133. cap. 3. Moncæus tomo 2. parte 4. disputationis 7. cap. 2. Lorca 1. 2. in Commentario articuli 3. quæstionis 81. Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacram. parte 6. cap. 24. Salmeron in epist. ad Rom. cap. 5. disput. 46. Catherinus Opusculo de peccato originali cap. vltimo. Granados tomo. de Incarnat. controuers. 2. tract. 1. disput. 1. sect. 16. Herrera in 2. sen. Scotus, disput. 24. quæst 4. Gaspar Hurtado 1. 2. disput. 6. difficult. 7. satisfacere procurent , omnes tamen diuinant ; & ideo pactum initum cum Adamo , non prout fuit celebratum , sed prout suæ opinioni melius aptatur , vnusquisque explicare contendit. Vnde licèt præfati Doctores , Adamum ante præuaricationem filios habere de facto potuisse supponant ; in responsione ad prædictas difficultates , sibi mutuo opponuntur. Quapropter facilius est negare prædictam hypothesim , & asserere iuxta decretum, quod habuit Deus , quando fœdus iniuit cum Adamo , tempus viæ eisdem concessum ad transfusionem iustitiæ aut culpæ originalis , antequam filium vllum primi parentes procrearēt, finiendū fuisse; & ideo illos antequam natura tota esset iueuitabiliter vitiata, aut viuificata, nullum filium habere valuisse.

Suarez. Vasquez. Moncæus. Lorca. Hugo. Salmeron. Catherin. Granados. Herrera. Hurtado.

12. *Idem ab alio absurdo roboratur.*

Secundò probatur ab inconuenienti. Si tempus præfatæ viæ ad transfusionem iustitiæ originalis non fuisset terminatum; ante quàm Adamus filios genuisset, sed totâ vitâ animali illius durasset; sequeretur, etiam stante pacto, Adamum, vt caput generis humani, post aliquos, imò post omnes filios, quos esset habiturus, genitos, præuaricari potuisse. Quis obsistet? Nam si primus parens, dum vitam animalem haberet, viator vt persona publica esset, ille, vt persona publica, quolibet anno signato præceptum impositum transgredi valuit. Vnde si illud anno trecentesimo suæ ætatis violasset, Cainus, Abel, & Seth iam existerent. Si verò horâ vltimâ, in quâ ex hac vita ad cælestem erat transferendus, fructum vetitum primâ vice edisset, omnes filios, quos erat habiturus, natos seu conceptos ante peccatum relinqueret. Cæterùm licèt controuertant Doctores, an præfati filij concipiendi fuissent cum iustitia originali: & ita alij negent, & alij affirment. At omnes fatentur, eos sine peccato originali fuisse nascituros, & meritò: nam cùm iustitia originalis non fuisset illis promissa, nisi sub conditione, quòd Adamus toto tempore suæ vitæ animalis obediens perseueraret; & aliunde, vi-

uente adhuc Adamo vitam animalem, conditio non fuisset purificata; idcirco præfati posteri, etiamsi carerent sanctitate; peccatum originale non contraxissent; siquidem illa carentia, non gratiæ debitæ & promissæ, sed prorsus indebitæ esset. Confirmatur, nam iuxta prædictam hypothesim, eorum conceptionem & natiuitatem nullum peccatum Adami præcessit; ergo tunc in Adamo non peccarunt; & consequenter nati ante præuaricationem Protoplasti, sine peccato originali concipi debuerunt. Demus ergo Adamum anno trecentesimo suæ æratis, genitis iam Caino, Abele, & Seth, deliquisse; profectò præfati filij cum tota sua progenie, ab incursione peccati originalis liberarentur; cùm ab Adamo incorrupto prodiissent; & insuper cæteri filij cum tota eorum stirpe, quos Adamus post suam præuaricationem generasset, maculati nascerentur. Vnde iuxta Dei ordinariam prouidentiam, contingere potuit, vt natura in duas classes diuideretur; aliam immaculatorum, & maculatorum aliam; quod est absurdum. Quippe Deus ita res disposuit, quando pactum iniuit, vt omnes homines eadem prorsus massa esset, vel tota in suo ortu maculata, vel tota immaculata. Cæterùm si Ada-

Adamus peccasset (vt iuxta prædictam hypothesim contingere potuit) postquam omnes filios, quos erat habiturus, genuisset; sequeretur eum neque suam culpam, neque mortem in posteros transmissurum fuisse; cùm non esset via, per quam culpa Adami in eius stirpem traduceretur. Consequens autem difficile concederetur; cùm tunc fuisset verum peccatum Adami vt capitis, cuius proprium est, teste Paulo ad Rom. 5. portam morti, vt intret in mundum, & ibi dominetur, aperire.

Paulus.

13. *Responsio refertur.*

Huic argumento respondent communiter citati Doctores, filios natos ante præuaricationem Adami, carituros peccato originali; non verò eorum stirpem post delictum Adami propagatam. Ex quo sequitur, neque in primo casu naturam in duas classes hominum maculatorum, & immaculatorum diuidendam; neque in secundo genus humanum futurum sine peccato originali.

14. *Relata solutio nititur fundamento infirmo.*

Hæc solutio supponit, Deum, quando pactum iniuit cum Adamo, de facto comminatum fuisse priuationem iustitiæ originalis, casu quo peccaret, non solùm filijs & posteris, qui in lumbis eius aequaliter continerentur tempore, quo delinqueret, sed etiam alijs, qui tunc extra lumbos essent; præcipuè si nati non fuissent; quod nullo solido nititur fundamento; siquidem præfatum Dei decretum de facto extitisse neque ex Scriptura, neque ex Patribus, neque ex firma ratione deduci valet. Vnde Doctores illud affirmantes diuinant, vt bene Moncæus suprà.

15.

Adhæc præfatum suppositum rationi aduersari videtur: nam si leges humanæ pœnam infamiæ imponentes eis, qui aliquod magnum crimen perpetrarint; neque filios ante delictum paternum iam natos, neque horum stirpem futuram vllâ notâ infamiæ inurere volunt; (vt bene probant Sanchez in sum. lib. 2. capite 27. & alij apud ipsum) quis sibi persuadebit, misericordissimum Deum ita pactum iniuisse cum Adamo, vt pœna peccati & infamiæ filios Adami ante præuaricationem iam natos, vel horum prolem futuram, castigare voluisset.

Sanchez.

16 *Iterum relata solutio excluditur.*

Insuper Patres nobis apertè fauent: illi enim communiter supponunt, ad contrahendum peccatum originale, saltem ex vi pacti initi, requiri, vt essemus in lumbis Adami tempore, quo ille præceptum transiliuit. Hæc absque dubio fuit mens Augustini sæpè in suis scriptis repetita. Epistola enim 23. tractans illam celebrem quæstionem, quomodo originale peccatum in omnes deriuetur, sic scribit: *Ideo ex Adam traxit* (nempe peccatū)

S. Aug.

quia nondum erat anima separata viuens (& paulò infrà) *cùm homo in se ipso est, ab eo, qui genuit, alter effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius.* (& postea) *traxit ergo reatum; quia vnus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit, admissum est.* Enimuerò neque Cain & Abel in casu dictæ hypothesis, neque horum progenies futura fuisset vna cum Adamo, neque in eo quando peccasset, sed omnino ab illo separati, & alteri ab eo effecti: ergo secundùm Augustinum, neque præfati filij, neque horum progenies futura macularetur. Idem repetiuit Augustinus in Psalm. 84. ad illa verba, *Nunquid in æternum irascéris nobis?* vbi loquens de peccato originali, sic ait: *Non ea peccata parentum pertinent ad filios, quæ faciunt parentes, iam natis filijs.* Idem suadent methaphoræ, quibus Patres explicare solent traductionem peccati originalis. Sanctus Maximus serm. de Assump. exemplo fructùs corrupti, orti à radice infectâ, sic explicat: *Operante diuina prouidentia ex radice vitiata sine vitio prodijt virga, quæ est Virgo Maria.* Eâdem metaphorâ vtitur Augustinus in Hypognost. ad art. 2. quem alij sequuntur. Vnde sicut neque fructus ortus & decerptus, antequam radix arboris, à quâ processit, corrumpatur; neque illius fructus stirps ex corruptione primæuæ arboris vllum detrimentum patiuntur; ita ex eo, quòd post Cainum & Abelem natos, radix arboris humana per præuaricationem corrumperetur; neque ipsi, neque eorum progenies venenum sentirent. Idem innuit S. Thomas 1.2.q.81. art. 4. vbi explicat transmissionem peccati ab Adamo in posteros, motu generationis, exemplo malæ voluntatis deriuantis suam malitiam in membra externa medio motu. Quare sicut voluntas ad hoc vt opus externum reddat peccaminosum; ipsa, quando opus externum fit, aut conseruatur, peccaminosa semper præcedit; ita ad hoc vt peccatum Adami, posteros ex vi pacti inficeret, opus fuit, vt præfati filij quando ipse deliquit, extra illum non essent; sed in lumbis eius continerentur.

Auguſt. S. Maxim. Aug. S. Thom.

17. *Euasioni occurritur.*

Neque satisfacies respondendo, Patres locutos fuisse, non de modo, quo peccatum originale in casu dictæ hypothesis transfunderetur; sed de modo, quo de facto transfunditur. Nam licèt Patres non agant de transmissione peccati in casu dictæ hypothesis, agunt tamen de illo, prout peccante Adamo debuit iuxta pactum in posteros deriuari; vt colligitur tum ex prædictis locis, tum ex Augustino lib. 3. de libero arbitrio, cap. 20. Vnde cùm ad eius incursionem prærequirant, quòd essemus in lumbis Adami, quando ipse deliquit, planè sequitur, ipsos sensisse culpam Adami, iuxta pactum de facto initum cum primo parente; in posteros, qui tunc, quando ipse deliquit, extra lumbos illius erant, deriuatum non iri. Declaratur, si iuxta pactum de facto celebratum, culpa Adami in posteros, qui tunc in lumbis eius non continebantur, transire posset; sanè Patres, agentes contra hæreticos, aut volentes modum, quo peccatum originale transmittitur, exactè declarare, non inculcarent, quòd, eramus in lumbis Adami tempore quo ille peccauit; cùm hoc esset valde accidentale ad transfusionem peccati, iuxta pactum de facto initum. Vnde Pelagiani Augustino facilè respondissent: Cur tantoperè, Augustine, inculcas, nos in lumbis Adami, quando peccauit, extitisse? Siquidem, te admittente, etiam si tunc in lumbis eius non fuissemus, macularemur.

28. *Aliter relata secunda sententia reuocatur.*

Denique probatur: Adamum quamdiu potuit iustitiam originalem in posteros transmittere, filios habere nequiuisse. Nam primi parentes de facto, quandiu vt personæ publicæ viatores fuerunt, generationi non vacarunt; & ideo omnes Patres, teste Suario lib. 5. de Opere sex dierum cap. 2. numero 14. eos, dum paradisum incoluerunt, virgines permansisse testantur. Quod ex cap. 4. Genes. clarè colligitur, vbi Adamus iam eiectus ex paradiso (nempe quando officio personæ publicæ defunctus fuerat) Euam primò cognouisse dicitur; quod non leuiter persuadet, primos parentes toto tempore, quo vt personæ publicæ viatores erant, se mutuo numquā commiscuisse. Si enim iuxta solidiorem Theologiam, decretorum diuinorum ordinem ex effectibus ad finem proportionatis, indagamus (vt bene Vasquez 1.q. disput. 82. n. 27.) sanè cùm præfata virginitas, ad hoc vt natura in duas classes non partiretur, sed omnes posteri Adami vna massa essemus, valde conducat (vt vidimus suprà numero 12.) idcirco eam primos parentes, dum munus viatoris publici retinebant, conseruaturos fuisse, affirmamus. Cæterùm si non obstante pacto inito, Adamus tempore, quo viator publicus erat, generationi vacare potuit; cur, quæso, ante præuaricationem & exilium à paradiso, Euam non cognouit? præcipuè si primi parentes per aliquot dies, vt vult Suarius lib. 4. de Opere sex dierum cap. 8. in paradiso commorati sunt. Respondebis, quia Eua paulò ante præuaricationem producta fuit. Admitto solutionem, vtpote D. Augustini lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 4. sed iterum inquiro, cur, si Adamus per aliquot dies paradisum incoluit, citiùs Eua producta non fuerit?

Suarez. Genes. Vasquez. Suarez. Auguſt.

fuerit ? Sanè nullum aliud reſponſum adhiberi poteſt, quàm dicere Euam non fuiſſe citiùs productam, quia Adamus, quandiu viator publicus erat, ex decreto, ſeu pacto Dei inito cum Adamo, generationi vacare non poterat. quod quidem reſponſum dubio propoſito tandem adhibet Auguſtinus ſuprà, & in eo quieſcit: *Cur ergo* (ipſius verba refero) *non coirent, niſi cùm exiſſent è paradiſo ? Cùi reſponderi poteſt, quia mox creata mulier eſt, priuſquam coirent, facta eſt illa tranſgreſsio. Poteſt etiam dici, quia nondum Deus iuſſerat, vt coirent. Ideo autem hoc non iuſſerat Deus quia* (attendas, quæſo, rationem) *ſecundùm ſuam præſcientiam diſponebat omnia, in quâ eorum caſum proculdubio præſciebat, vnde iam mortale genus propagandum eſſet humanum.* ac ſi diceret: Ideo Deus Adamo ante præuaricationem non iuſſerat, vt coiret; quia cùm præſciret caſum futurum, iam expediebat, vt genus humanum ex Adamo iam peccatore, & conſequenter extra viam perſonæ publicæ exiſtente, propagaretur. Et ratio à priori (ſecundùm aliquorum Doctorum doctrinam, de quâ diſput. 2. capite 3. agitur) eſt: Nam Deus, dum Adamus perſona publica erat, non decreuerat, qui homines in particulari eſſent futuri; hoc enim decretum diſtulit ad ſignum poſterius, in quo natura corrupta, vel incorrupta cerneretur. Siquidem (vt ſuprà diſput. 2. cap. 2. à numero 13. oſtendimus) diuerſi homines in natura corrupta, ac in natura integra naſcerentur. Vnde Adamus præfato tempore viæ, generare non valuit; ſiquidem ſine Dei decreto nihil produci poteſt.

Obijcies, ſtatim ac Eua producta eſt, Deus eam cum Adamo in matrimonio copulauit; eiſque vſum coniugij conceſſit: vt colligitur ex cap. 2. Geneſ. Ergo primi parentes ante peccatum coire potuerunt. Sanè hoc argumentum nihil concludit; nam illo toto conceſſo, non ſequitur, Adamum ante præuaricationem filios habere potuiſſe; ſiquidem Adamum cum vxore coire, quin filios tunc generaret, benè conſiſtit. Nihilominùs reſpondeo, matrimonium ante præuaricationem inter primos parentes fuiſſe celebratum, eoſque ad vſum matrimonij facultatem habuiſſe, non pro illo tempore, ſed pro tempore, quod Deus poſtea deſignaret, vt ſuprà tradidit Auguſtinus. Idem docuit S. Chryſoſtomus homil. 18. in Geneſ. ad illud capitis quarti Geneſ. *Adam verò cognouit vxorem*, vbi ait: *Deus poſt peccatum conceſſit vſum coniugij.*

19 *Obiectioni ſatisfit.*

Geneſ.

Auguſt. Chryſ.

CA-

CAPVT IV.

Sententia Scoti circa tempus viæ, Adamo vt perſonæ publicæ ſtatutum, explicatur.

20. *Sententia Scoti.*

TErtia ſententia aſſerit tempus viæ Adamo, vt capiti generis humani, ad tranſmiſſionem tam peccati, quàm iuſtitiæ originalis, conceſſum, vnum & omnino æquale fuiſſe, nempe tempus, quod inter creationem Adami, & eius primam tentationem laberetur. Vnde, ſi Protoplaſtus illam viciſſet, eius poſteri iuſtitiâ originali ornati, conciperentur. Verùm quia in ea victus fuit, omnes maculati naſcimur. Ita Scotus in 2. diſtinct. 20. q. 1. Scotus. Suarez. Suarius lib. 5. de Opere ſex dierum diſputatio. 32. & nonnulli alij. Sed eſt diſcrimen; nam Scotus vult, ſi Adamus primam tentationem viciſſet, in gratia confirmatum iri, & quòd idé poſteris contigiſſet; alij verò neque Adamum, neque eius poſteros futuros impeccabiles, etiam ſuperata prima tentatione ab vnoquoque, aſſeuerant. Verùm omnes in eo conueniunt, quòd ſi Adamus primam tentationem viciſſet, omnes ſanctitate ornati naſceremur; ſicut quia de facto illi ſuccubuit, in peccato ineuitabiliter cõcipimur.

Hæc ſententia (præterquam quod Patribus videtur contradicere (vt cap. 5. & ſequentibus oſtendam) duo ſupponit difficilia. Aliud, Adamum ad primum verbum Euæ manus dediſſe, & præceptum impoſitum violaſſe, quod noſtro P. Gaſpari Sanchez Sanchez. in illud capitis 10. Sapientiæ: Sapientia. *Hæc illum, qui primus formatus eſt*, nullatenus arridet. Quis enim ſibi perſuadebit prudentiſſimum hominum, iuſtitiâ originali præmunitum, & pariter conſcium, vt multi volunt, ingentium malorum, quæ eius præuaricatio ſibi, & filijs eſſet paritura; ad ſimplex verbum Euæ cecidiſſe. Sanè veriſimilius videtur, Euam in diuerſis occaſionibus rogaſſe, & aliquoties repulſam; imò ab Adamo reprehenſam pertinaciter inſtitiſſe: & tandem adiutam à diabolo, ſuâ importunitate viciſſe. quod peritè, in cap. 3. Geneſ. Mariana Mariana. noſter adnotauit. Præterea hæc opinio videtur ſupponere in poteſtate diaboli ſitum eſſe præfatam viam longiorem, aut breuiorem facere: nam cùm terminus illius, prima tentatio eſſet; & aliunde hæc à diabolo oriri deberet (ſiquidem Adamus, vtpote habens iuſtitiam originalem, & appetitum rationi prorſus ſubiectum, nec ab intrinſeco, neque ab alijs cauſis irrationalibus tentari poterat, poſſet diabolus, ſi vellet, eam vſque ad centeſimum, ad mil-

21. *Sententia Scoti duo ſatis incerta ſupponit.*

Y leſi-

lesimum annum; imò vsque ad vltimam horam vitæ animalis Adami differre. Vnde genitis aliquibus, vel omnibus filijs, quos Adamus habiturus erat præfata via terminaretur: quod suprà cap. 3. numero 12. absurdum reputauimus.

22. *Secunda & tertia sententia in aliquo conueniunt.*

Sed quidquid sit de hoc: hæc sententia cum opinione relata suprà cap 2. in eo conuenit, quòd violatio præcepti impositi, fuerit terminus vltimus viæ Adami vt personæ publicæ: vnde illa inobedientiâ positâ, munus personæ publicæ in Adamo desiuit; & nostra causa statim fuit omnino deplorata. Siquidem Adamus, vt persona publica, post præuaricationem extra viam fuit: vnde sicut damnati ad infernum; quia extra viam merendi, aut demerendi sunt, sanctitatem acquirere nequeunt; ita quia Adamus, vt persona publica, immediatè post præuaricationem viator non fuit, transfusionem peccati originalis in posteros nullatenus vitare aut impedire valuit. Et licèt hæc pars communiter à recentioribus approbetur; tamen contra illam sunt validissima argumenta, tum ex Scriptura, tum ex ratione, tum ex Patribus desumpta, quæ quia Marianæ immunitatis à peccato, & eius debito, fundamentum præcipuum sunt, capitibus sequentibus latè proponam.

CAPVT V.

Adamum adhuc post præuaricationem, potuisse euitare transfusionem peccati originalis in posteros, ex Patribus probatur.

23. ADeò clara sunt pro hac partè Patrum testimonia, vt mirer doctissimos recentiores, qui omnia perite examinare, & discutere solent; eis assensum non præbuisse. Prodeant primò Augustinus & alij Patres, qui apertè asserere videntur: si Adamus non se excusasset, & culpam suam in Deum non coniecisset; eum pœnam sibi, & posteris intentatam, euitaturum fuisse. Ex quo clarè sequitur, Adamum adhuc post delictum, vt personam publicam, viatorem fuisse; siquidem, qui extra viam est, pœnam declinare nequit.

24. *Conclusio probatur ex Augustino.*

S. Augustinus serm. 19. de Sanctis ita scribit: *Si humiliter se accusasset*, nempe Adamus, *& in auctorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset.* Quibus verbis perspicuè Augustinus tradidit, Adamum, etiam post delictum, pœnam exilij à paradiso, à se, & consequenter à posteris, auertere potuisse. Vnde cùm pœnæ omnes sub eadem conditione, nempe comestione de fructu vetito, fuerint intentatæ, si Adamus adhuc in via fuit

fuit ad declinandam prædictam pœnam (vt voluit Augustinus) eum quoque tunc in via præfata fuisse, & consequenter alias pœnas vitare valuisse, necesse est. Neque satisfacies respondendo cum Suario suprà, Augustinum concionatoriè locutum fuisse: nam licèt concionatores rem aliquam exactè, & rigorosè non tractent; & ideo, vt se vulgo accommodent, stylo rigoroso, & scholastico non vtantur; at propositiones falsas, vti hæc esset, proferre non debent; & ita Scholastici suas sententias ex propositionibus Patrum desumptis ex eorum concionibus, stabilire solent. Et sanè quid erit ratum in Doctrinâ Chrysostomi, aut Nazianzeni, si doctrinæ homiliarum aut concionum fidem eleuare audeas? Scio aliquos auctoritatem huius sermonis eleuasse, ex eo quod in his vltimis impressionibus operum D. Augustini, ad appendicem reiectus, sit. Verùm hactenùs præfatus sermo Augustinianus est habitus; & idcirco Suarius lib. 4. de Opere sex dierum, cap. 9. n. 6. Cornelius à Lapide in Genes. ad illud capitis 3. *Dedit viro suo & comedit*, & multi alij eruditi viri, præfatum sermonem, vtpotè verè Augustini, citant; & meritò cùm stylus Augustini sit, & inter opera vera Augustini sit numeratus; vnde sine fundamento ad incertam appendicē est relegatus.

Suarez.

Cornelius.

Sed quidquid sit de præfato testimonio; accipe aliud indubitatum ex lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 14. desumptum: *Peior* (inquit Augustinus) *damnabiliorque superbia, quâ etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur; sicut illi primi parentes, quorum illa dixit, Serpens seduxit me, & manducaui, & ille dixit, mulier, quam dedisti mihi.* Quibus verbis Augustinus superbiam, quâ se primi parentes excusarunt, peiorem & damnabiliorem, quàm ipsa transgressio fuit, apertè significauit. Enimuero, si Adamus, vt persona publica, ante excusationem, extra viam fuisset; & consequenter causa posterorum fuisset omnino deplorata; superbia, quâ primi parentes se excusarunt, ipsa præuaricatione commissa, neque peior, neque damnabilior esset; siquidem illa totam naturam corrupit, & hæc nostram causam in peiori & damnabiliori statu non constituisset. Neque obstat, si dicas, Augustinum solùm voluisse denotare superbiam excusationis esse peccatum secundùm suam speciem grauius & damnabilius præuaricatione, cùm excellentiori virtuti opponatur. Nam transgressio præcepti Adamo impositi, ex superbia quoque originem traxit, vt ipse Augustinus præcedenti capite 13. eiusdem libri tradiderat. Vnde quoad specificam malitiam superbię ex-

25. *Idem iterũ ex eodem Augustino comprobatur.*

cusatio, & gula Adami æquales fucrunt. Sequitur ergo aliquid aliud in excusatione fuisse, ratione cuius excusatio præfata, præuaricatione peior & damnabilior esse dicatur; quod nihil aliud esse potest, nisi quòd Adamus ante excusationem viator publicus erat, & consequenter pœnam promeritam declinare poterat: & hoc post excusationem efficere non valuit. Sicut enim licèt hæresis, desperatio formalis, & odium expressum Dei, quoad malitiæ grauitatem longè superent, & excedant impœnitentiam finalem alicuius viatores, præcipuè ortam ex negligentia, aut quadam socordia; nihilominùs hanc impœnitenti peiorem & damnabiliorem esse affirmamus; nempe quia illum extra viam merendi ponit, & ad vitandam pœnam æternam omnino impotentem reddit: ita quia, non præuaricatio, sed præfata excusatio, Adamum, vt personam publicam, extra viam acquirendi posteris immortalitatem, constituit; idcirco excusatio peior & damnabilior, quàm præuaricatio, meritò censetur. Quem discursum innuit Augustinus in Psalmum primum ad illud, *Beatus vir, qui non abijt*, vbi ait: *Abijt*, nempe Adam, *cùm recessit à Deo, stetit cùm delectatus est, sedit cum in sua superbia redire non potuit,* Augustin.

seu vt legit Glossa in prædicti Psalmi versiculum: *Sedit, cùm se excusauit.*

Prædictum discursum & mentem, absque dubio Bernardus hausit ex Augustino: lib. enim de Præcepto & dispensatione, cap. 14. agens quomodo delictum primorum parentum, in materia tam leui, qualis erat esus vnius pomi, ipsum Adamum cum sua posteritate maculare potuerit, ita scribit: *Arbitror tamen, & ipsam primam grauissimam præuaricationem, aut non aliunde, aut inde mox iudicatam grauissimam, hoc est, ex rebellione defensionis, quæ secuta est.* (& paulò post subiungit) *Antqua illa tam nota, & tam noxia præuaricatio, facilè* (*vt creditur*) *indulgentiam consequeretur, dummodo confessio, & non defensio sequeretur. Neque enim* (audi rationem Bernardo dignam) *tantùm, vt dictum est, nocuit simplicis actionis transgressio, quantùm adiuncta excusationis cum præmeditatione obstinatio.* Nempe quia Adamus, vt persona publica, ante excusationem adhuc viator erat, & per illam viator esse desiuit: alioquin, si Adami, vt personæ publicæ, via ad acquirendum sibi & nobis iustitiam originalem, transgressione præcepti fuisset omnino terminata, neque illa inobedientia ob excusationem, grauissima redderetur; neque illa transgressio multò facilius, quàm excusatio, dimitteretur, neque eadem minùs, sed multò magis, quàm excusatio, Adamo, & nobis nocuisset. Siquidem non defensio præuaricationis, sed sola præuaricatio, Adamum vt personam publicam, extra viam posuisset: & ita genus humanum læsisset, vt in posterum primus Parens, neque veniam illius quoad omnes pœnas intentatas, neque mortalitatem iam incursam, neque rebellionem appetitus, nullatenus à se, & à nobis auertere potuisset. Vnde meritò ipse Bernardus sermone 1. Omnium Sanctorum, primos parentes non tantùm ob præuaricationem, sed ob excusationem, miseros, & à facie Dei eiectos esse voluit: *Miseri proinde Adam, & Eua, qui conuersi in malitia ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis munditiam fugiunt, immundo remanent corde, & à facie Domini eiiciuntur.* Scilicet quia post præuaricationem adhuc via ad vitanda prædicta mala durabat; at post excusationem, dictum tempus viæ finitum fuit; & ideo non immediatè post transgressionem, sed post excusationem primi parentes omnino miseri fuerunt, vtpote iam ad redeundum in pristinam felicitatem impotentes. Præfatam interpretationem fuisse sensum Bernardi, non solùm asseruit, sed etiam secutus fuit B. Thomas de Villanoua in sermone tertiæ Dominicæ quadragesimæ: *O si humiliati*, inquit, *fuissent* (nempe primi parentes) *& confessi peccatum, proculdubio, vt ait Bernardus in lib. de Præcep. & dispens. minori & leniori pœnâ mulctati fuissent, sed propter impœnitentiam morte cum sua posteritate damnantur. Ecce quantùm officit mundo nolle confiteri peccata.*

Doctrinam traditam ab Augustino in serm. 19. citato suprà numero 24. secutus est Sanctus Prosper lib. de Promission. & prædiction. capite 2. vbi explicans illud Genes. 2. *In quocumque die comederis*, sic fatur. *Præceptum autem fallente diabolo contemnentes, vetitum tetigerunt, quod peccatum, dum vir excusat per mulierem, mulier per serpentem, mortem prædictam, non tantùm sibi, quàm suis etiam posteris propinarunt; hanc enim expendit omne genus humanum.* Quid clarius pro nostra sententia dici potest? Siquidem S Prosper apertè docet, primos parentes, non quando comederunt, sed quando se excusarunt, sibi & nobis mortem, nempe ineuitabilem, propinasse (nam mortem, seu mortalitatem euitabilem iam immediatè post comestionem incurrerant, vt loquens de Adamo definiuit Triden inū sessione 5. cap. Tridens.

26. *Idem ex Bernardo adstruitur.*

B. Villanoua.

27. *Idem ex Prospero firmatur.*

de peccato originali can. 1.) Sensit ergo D. Prosper, Adamum vt personam publicam, adhuc post transgressionem, viatorem ad immortalitatem acquirendam, fuisse; alioquin ipse non per excusationem, sed per transgressionem, mortem sibi & nobis propinasset.

28. *Idem sensit D. Gregorius.*

Idem prorsus iudicium circa præsentem controuersiam habuit S. Gregorius in Psalmum secundum pœnitentialium, dum scribit: *Imputare sibi Adam peccatum noluit quando culpam in creatorem refudit, dicens: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi. Vnde quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis sententiam in posteros misit.* Adamus ergo, vt persona publica, quando se excusauit, secundùm Gregorium viator erat; alioquin non tunc; sed quando comedit, mortiferæ damnationis sententiam in posteros misisset.

29. *Conclusioni fauent Incognitus. & Petrus Damianus.*

Nostram quoque sententiam Incognitus in Psalmum primum ad illud: *Beatus vir qui non abijt*, planè secutus est; illa enim verba sic interpretatur: *Ideo primus homo infelix fuit, quia abijt, Stetit & sedit*; & exponens quid sit *sedere*, supperaddit: *Sedit, peccatum suum excusando.* Enimuero si non excusatio, sed præuaricatio terminus vltimus viæ Adami, vt capitis, fuisset, primus parens, non quando culpam defendit; sed quando eam commisit, *sedisse* diceretur; siquidem ab illa, quoad omnes pœnas, in hac vita se liberare nequiuisset. Consonat P. Damianus serm. 17. vbi postquam explicans illud Psalm. 68. *Non absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum*, innuit minus malum esse corruere in profundum, quàm postquam quis in profundum cecidit, claudere super se os putei; subiunxit: *Primus homo tunc quasi in profundum corruit, cùm vetitum pomum per inobedientiam comedit; tunc super eũ puteus os suũ clausit, cùm culpam suam defendere audacter præsumpsit; ait enim: Mulier, quam dedisti mihi, &c.*

30. *Eiusdem mentis fuerunt B Ybon & S. Antoninus.*

Prædictorum Patrum stipulatores sunt. B. Ybon Episcopus Carnotensis, & S. Antoninus: ille enim in serm. Quare Deus natus & passus fuerit, hæc habet: *Adam, si humiliter se accusasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset*: quæ sunt ipsissima verba, (quæ ex serm. 19. de sanctis S. Augustini suprà numero 24. retulimus.) Hic tom. 1. Historiæ cap. 1. §. 2. exponens illud Geneseos 3. *Adam vbi es?* sic loquitur: *Ideo requirebatur, vt pœniteret, & confiteretur; sed quia hoc non egerunt sed se excusauerunt, retorquentes causam culpæ in alterum, in Deum, vel serpentem; eiecti sunt à paradiso.*

31. *Rupertus, & nonnulli alij pro relata conclusione citantur.*

Titelmannus quoque, & Abulensis nobis assentiuntur: ille enim explanans versum quartum Psalmi

mi 140. ait: *Excusauerunt se* (scilicet primi parentes) *propter quod non meruerunt audiri; sed in eos sententia vltionis prolata est.* Abulensis ad illud capitis 3. Genes. *Mulier, quam dedisti mihi*, sic exclamat: *O prauum cor! excusando se accusat; quod si non se excusasset, omnes nos ab accusatione & iudicio liberasset.* Idem satis apertè tradidit Rupertus in lib. 3. Genes. cap. 16. Vnde Seraphinus Capponi à Porrecta, Dominicanus, in lib. cuius titulus est: Veritates aureæ super totam legem veterem, in capite 3. Genes. ad illud: *Mulier, quam dedisti mihi*, conclu. 10. 11. 12. 14. & 23. & Guillelmus Pepinus etiam ordinis Prædicatorum, in serm. sabbati post Dominicam 2. quadragesimæ, expressè affirmant, si Adamus non se excusasset, sed tunc pœnituisset; non fuisse à nobis amittendam iustitiam originalem.

Porrecta.

Peinus.

32. *Adamus vt persona publica post comestionẽ mansit viator.*

Ex hactenùs allatis testimonijs deduco, Adamum, vt personam publicam, adhuc post delictum inobedientiæ, viatorem mansisse; alioquin Patres nostram mortalitatem, exilium à paradiso, & mortiferæ damnationis sententiam, non excusationi, sed illi soli attribuissent. Equidem Vasquez 3. p. disput. 10. cap. 4. Lugo de Incarn. disput. 7. sect. 1. & alij grauissimi Theologi, ex eo quòd Patres scribunt, Christum non venturum fuisse, saltem mortalem, si Adamus non peccasset; solidè inferunt, culpam Adami fuisse necessariam ex vi præsentis decreti, ad hoc vt Christus pateretur. Sanè Patres quoque asserunt neque nos exules à paradiso, neque mortales futuros, si Adamus non se defendisset, sed suam culpam confessus fuisset, vt vidimus: ergo sicut prædictorum Theologorum consequentia idonea est, nostra quoque legitima esse debet; siquidem vtraque innititur eidem principio.

Vasquez. Lugo.

33. *Euasio præcluditur.*

Forsan aliquis respondebit, Patres, non alias pœnas, sed vel exilium à paradiso, vel mortalitatem, excusationi attribuisse: vnde ad summum, præfata testimonia conuincent Adamum, vt personam publicam, post delictum mansisse viatorem ad has pœnas auertendas à posteritate; non verò alias. Contra hoc est, nam, vt bene Pereira in Genes. lib. 6. disput *An verè Adam fuerit deceptus.* §. *Non inuoluam silentio*, obseruauit, pœna ineuitabilis exilij à paradiso, & præcipuè mortalitatis sub eadem conditione, ac priuatio iustitiæ originalis, ac aliæ pœnæ, vibrata est, vt constat ex illis verbis pacti, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; vbi pœnas præfatas inuolutas fuisse, Doctores communiter aiunt. Quapropter, si Adamus ad pœnam exilij à paradiso, & pœnam mortalitatis vitandas, viator etiam post delictum

Pereira.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ctum fuit; eum, ad vitandam pœnam priuationis iustitiæ originalis, viatorem quoque fuisse oportet. De quo iterùm infrà cap. 7. n. 44. sermo redibit.

CAPVT VI.

Ex alijs Patrum testimonijs, Adamum, vt personam publicam, post præuaricationem adhuc viatorem mansisse, stabilitur.

34. *Adamum vt personâ publicam adhuc mansisse viatorem ex Patribus suadetur.*

NOn solùm Patres Adamum per humilem delicti confessionem, pœnam exilij à paradiso, & aliarum miseriarum, quas patimur; euitare potuisse, affirmarunt (vt capite præcedenti vidimus) sed etiam clarè asseuerant eum pœnam mortalitatis, & priuationis iustitiæ originalis, sibi & posteris intentatam, non ante, sed post sententiam diuinam ineuitabiliter incurrisse. Ex quo apertè deducitur Adamum, vt personam publicam, adhuc post transgressionem, viatorem fuisse: nam ille solùm extra viam merendi, vel aliquid demerendi est, qui pœnam ab ipso ineuitabilem per prouidentiam Dei ordinariam, incurrit: vt in damnatis contingere videmus. Vnde qui pœnam euitare valent, respectu illius viatores sunt. Sed iuxta Patres in hoc capite citatos, Adamus per prolationem sententiæ diuinæ, de qua cap. 3. Genes. fit mentio, pœnam mortis ineuitabiliter incurrit: ergo ante prædictam sententiam Adamus, vt persona publica viator fuit; vnde via ei, vt personæ publicæ, concessa ad transmissionem peccati originalis, vltra præuaricationem Adami se extendit.

Primus nostræ assertionis patronus sit Chrysostomus, qui homil. 17. in Genes. explicans illa verba cap. 2. Genes. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, sic loquitur: *A quo tempore audierunt, terra es, & in terram abibis, & sententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt; & ex illo tempore fuerunt perinde, ac si quis dicat, illos mortuos fuisse.* Et postquam id exemplo rei ad mortem per sententiam vltimam damnati, & iterum in carcerem recluſi, declarauit, subiunxit: *Eodem modo & illi eo die, à quo mortalitatis sententiam acceperunt, tametsi longo tempore duraverint, nihilominus sententiâ mortui sunt.* Chrysostomi verba adeo clara sunt, vt Commentatore non indigeant. Nihilominus inquiro, de qua pœna mortis locutus fuit Chrysostomus, de pœnâne per prouidentiam Dei ordinariam, ineuitabili? vel de pœna mortis, quam Adamus iuxta prouidentiam Dei ordinariam, per aliquod opus à se eliciendum, declinare potuit? Posterius non dices, nisi Chrysostomo errorē manifestum appingere velis: nam teste

36. *Chrysostomus conclusioni patrocinatur.*

Trident. teste Concilio Tridentino sess. 5. capite de peccato originali, can. 1. Adamus non post prolationem prædictæ sententiæ sed statim post præuaricationem, pœnam saltem euitabilem mortis incurrit. Vnde si Chrysostomus pœnam hanc mortis euitabilem ab Adamo, non ante sententiam, sed post illam, incursam fuisse asseruisset, eum ab errore manifesto liberare nequiremus. Ad hæc Chrysostomus, Adamum ante sententiam, & post sententiam, cum reo, qui commisit crimen morte dignum, comparere videtur; vnde sicut pœna mortis, quâ prædictus reus ob sua delicta dignus est, non ante, sed post latam in eum sententiam, ineuitabilis esse solet, ita pœna mortis, quam Adamus suâ inobedientiâ promeruit, solùm post sententiam declinari non potuit. Locutus ergo fuit Chrysostomus de pœna mortis ineuitabili, quando asseruit Adamum illam, nō ante sententiam, sed post illam incurrisse. Ex quo clarè sequitur, Adamum, vt personam publicam, ante prolationem dictæ sententiæ, viatorē ad illam auertendā fuisse: siquidē viator est, qui pœnā intentatam actu non incurrit, sed eam adhuc declinare potest. Vnde cùm iuxta Chrysostomum, Adamus ante sententiam suppliciū mortis prædictum ineuitabiliter nō incurrerit, sed illud vitare potuerit; idcirco adhuc post delictū, viam Adamo vt capiti ad transmissionē infallibilem peccati originalis statutam, perdurasse, necesse est.

Nostrum assertum firmauit etiam S. Augustinus serm. 19. de Sanctis, dum ait: *Diuinâ itaque sententiâ morti adiudicatus est,* (nempe Adamus) *& cum tota posteritate eiectus est de paradiso.* Idē habetur lib. 2. Hypognosticon, ad articulum 2. & lib. de Prædestinat. cap. 2. & lib. 1. de mirabilibus. Verùm quia præfata opera dubiæ auctoritatis sunt, misso pseudo-Augustino, redeat iterum verus Augustinus, & nostram sententiam, suam esse asserat: ille enim lib. 13. de Ciuitate Dei, capite 3. hæc scripsit: *Pro magnitudine culpæ illius, naturam damnatio mutauit in peius: in primo igitur homine per fœminam in progeniem transiturum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinam sententiam suæ damnationis accepit; & quo homo factus est, non cùm crearetur, sed cùm peccaret & puniretur, hoc genuit, quantùm quidem attinet ad peccati & mortis originem.* Ecce Augustinum mutationē naturæ in peius damnationi seu diuinæ sententiæ attribuentem: ex quo patet iuxta Augustinum, naturam humanam ante damnationem, seu sententiæ prolationem, in peius, saltem ineuitabiliter, non fuisse mutatam. Quod adhuc apertiùs docuit ipse Augustinus lib. 2. de Auguſt. Genes.

36. *Idem suadetur ex Augustino.*

Genesi ad lit. contra Manichæos cap. 16. *Cùm deambularet D.us* (verba Augustini refero) *in paradiso ad vesperam, id est, cùm ad eos iam indicandos veniret, adhuc ante pœnam ambulabat in paradiso.* De quâ, quæso, incursione pœnæ hîc fit mentio ? de euitabili, vel de ineuitabili ? prius non dices, si Augustinum ab errore liberare velis, vt arguebam suprà numero 35. expendens verba Chrysostomi. Si posterius dixeris, conueniemus ; siquidem si Adamus, quando Deus deambulabat in paradiso, pœnam ineuitabilem, per ipsum adhuc non incurrerat; viam ei, vt personæ publicæ concessam, tunc duralle, necesse est, vt numero citato deducebamus.

37. *Alij Patres conclusioni fauent.* Athanas.

Dein Sanctus Athanasius, imò & alij Patres communiter pœnam ineuitabilem mortalitatis, post sententiam incursam esse volunt: *Prima per Adam via* (Athanasium lib. contra Arianos legis) *& ianua perierat; & de paradiso ad mortem deuergerabamur, dictumque nobis est*: *Terra es*, & post aliquot columnas subiungit : *Lata enim sententia à Deo fuerat, terra es, & in terram abibis; sic ergo mortales erant facti.* S. Cyrillus. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Isaiam, idem sentit, dum ait: *Dictum est Adæ: Terra es ; ac quidem maledicta propter transgressionem hominis ; vnde corruptioni subiecta natura ;* & aduersùs Antromorphitas cap. 8. clariùs idem repetiuit : *Audierunt : Terra es, & ex incorrupto factus est corruptioni obnoxius.* Eidem subscripsit sententiæ S. Isidorus tomo 2. lib. 1. cap. 11. vbi ita fatur: *Homo propter peccatum traditus est diabolo, quando audiuit : Terra es, & in terram abibis.* Idem ante multos annos tradiderat Ioannes Cassianus collat. 23. cap. 11. dum rebellionem appetitus post sententiam, ineuitabiliter ortam fuisse innuit, his verbis: *Verè lex peccati est, quam humano generi præuaricatio sui induxit auctoris per illius noxam, in quam lata est æquissimi iudicis illa sententia, Maledicta terra:* & cap. 14. *Ad quos nos lex peccati, id est, illa sententia non immeritò condemnauit, quam primus delictor excepit.* Isidorus. Cassian.

38. *Corollarium.*

Ecce Patres communi consensu asseuerantes, pœnam mortalitatis vel corruptionis, vel exilij è paradiso, à prolatione sententiæ diuinæ (de qua cap. 3. Genes. fit mentio) originem traxisse ; qui cùm de pœna mortalitatis euitabili interpretari nequeant (ne eis Tridentinum contradicat, vt dicebam suprà numero 35.) eos de pœna mortalitatis ineuitabili locutos fuisse oportet : & ita asseruerunt, non ante sententiam, sed post illam primos parentes pœnam ineuitabilem prædictam incurrisse. Ex quo sequitur, quod sæpe intuli, nempe Adamum adhuc post

post præuaricationem, & ante sententiam, viatorem publicum fuisse ; siquidem tunc pœnæ ineuitabili per prouidentiam Dei ordinariam subiectus nondum erat.

39. *Alia conclusionis probatio.*

Denique viam Adami, vt personæ publicæ, ad transmittendum in posteros iustitiam originalem, designatam, præuaricatione primi parentis non fuisse terminatam, sed adhuc post illam perdurasse, clarè suadent alia luculenta Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ asserunt, Adamum adhuc post delictum potuisse vt personam publicam pœnitere, & antiquum statum iustitiæ originalis recuperare : quo concesso, euidenter sequitur, viam præfatam adhuc post delictum primorum parentum, per aliquod spatium temporis, licèt breue, superfuisse ; siquidem qui extra viam est, iustitiam amissam recuperare nequit. Quod autem Scriptura & Patres asserant, Adamum per pœnitentiam potuisse iterum ad pristinum statum redire, inuenies disputatione sequenti, vbi id latè persuadere conabimur.

CAPVT VII.

Viam Adamo vt personæ publicæ, ad transmissionem iustitiæ, aut culpæ originalis, concessam, præuaricatione non fuisse terminatam, ex capite tertio Geneseos, adiuncta Patrum explicatione, confirmatur.

40. *Historia ex Genesi recensetur.*

MOyses quoque cap. 3. Gen. præfatam viam Adami vt personæ publicæ, delicto non fuisse finitam agnouisse videtur. Postquam enim cap. 2. retulerat, Deum illis verbis, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, pœnam mortis ineuitabilem, Adamo & posteris, si ex fructu interdicto noster parens ederet, comminatum fuisse ; Adami inobedientiam recensel, & insuper addit, Deum primos parentes iudicaturum, in paradisum adueniisse ; eorum causam examinasse ; eorumque defensione auditâ, sententiam mortalitatis in eos protulisse ; & continuò iussisse, vt illi ex paradiso eijcerentur, *Ne forte* (verba Dei refero) *mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.*

41. *Argumenti formatur.*

Enimuero præfata historia, si iuxta regulas iuris, intellectumque Patrum ; imò iuxta ipsum sonum litteræ, & circumstan-

tias, quæ in ea contigerunt, bene expendatur, comperiemus Adamum adhuc post præuaricationem, viatorem publicum extitisse; & eum ante sententiæ prolationem, mala omnia sibi & posteris imminentia, iuxta prouidentiam Dei ordinariam, euitare potuisse. Sanè lex illa pœnalis: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, pœnam mortis per verba de futuro imponit, vt liquet. Cæterùm quando legislatores aliquod crimen sub pœnâ per verbum de futuro explicatâ, vetant, illi eam ante sententiam incurri nolunt, vt ex communi sensu Theologorum, & Iurisperitorum, supponunt, & probant Sanchez lib. 2. sum. cap. 38. numero 38. & lib. 7. de matrim. disput. 12. numero 2. Suarez. Suarius de legibus lib. 5. cap. 6. Tiraquel. numero 3. Tiraquel. de pœnis Machado. temporan. n. 245. Machado lib. 1. p. 3. tract. 2. docum. 1. & alij passim. Vnde pœna mortis, seu mortalitatis, Adamo, & posteris, per verbum *morieris* de futuro, imposita, si ad regulas iuris redigatur, ante sententiam ineuitabiliter incurri non debuit. Neque obstat si dicas, leges diuinas, non eo modo quo humanæ intelliguntur, esse interpretandas; nam Deus, quando loquitur modo communi loquendi, quem homines inter se habent, accomodare se solet; & idcirco interpretes sensum scripturæ diuinæ ex phrasi communi auctorum, etiam profanorum, eruere consueuerunt. Quare cùm Legislatores humani, quando pœnam per verba de futuro imponunt, nolint eâ pœnâ reos ante sententiam actu ligare; idem Deum velle in pœnis per verba de futuro à se impositis, asserendum est; nisi aliud ex ipsa Scriptura, vel euentu, aut aliunde constet.

42. *Aliud argumentum ex eadem historia confici-tur.*

Accedit Deum in paradisum, vt Adamum iudicaret, aduenisse; & causâ iuridicè examinatâ, reos auditos condemnasse & in eos sententiam mortis ineuitabilis protulisse. Quod mihi persuadet, primos parentes non ante præfatum iudicium, sed per illud, pœnam ineuitabilem mortis, & exilij à paradiso, & status pristini incurrisse. Alioquin si Adamus cum sua posteritate, immediatè post præuaricationem, pœnas intentatas ineuitabiliter incurrerat, neque tribunal à Deo erigeretur, neque Deus primos parentes iam condemnatos, ad eos iterum condemnandos examinaret, neque tandem contra eos sententiam mortis nouiter pronunciaret. Sanè Doctores sententiam condemnatiuam à declaratiua in eo destinguere solent, quòd declaratiua pœnam iam incursam supponit; at sententia condemnatoria illam imponit. Quarè cùm præfata sen-

sententia in primos parentes lata, videatur condemnatoria; eos ante illam pœnas ineuitabiles de facto non incurrisse, oportet. Neque satisfacies respondendo, prædictam sententiam fuisse declaratoriam pœnæ mortalitatis iam ineuitabiliter incursæ; quod vt Deus declararet, iam erigens tribunal, iam citans reos, iam illos examinans, iam sententiam ferens, introducitur. Hoc, inquam, non obstat, nam verba sacri textûs non solùm præseferunt prædictam sententiam fuisse verè, & propriè condemnatoriam, vt ea legenti constabit; sed etiam Patres id ipsum clarè significant. Chryf. Chrysostomus enim relatus suprà capite 6. numero 35. sententiam præfatam cum sententia, quâ iudex humanus reum ad mortem condemnat, expresè componit: vnde sicut hæc condemnatoria est, illa quoque condemnatoria fuit. Idem comperies Patres sensisse, si eorum testimonia relata suprà capite 6. iterum legeris: vbi animaduertes Deum, quando prædictam tulit sententiam, iam condemnasse, iam puniuisse, iam morti primos parentes adiudicasse, iam illos ad pœnam coëgisse, & alia similia fecisse, dici; quæ omnia arguunt, illam sententiam fuisse verè & propriè condemnatoriam.

43. *Iterum ex eadem historia conclusio firmatur.*

Deinde sententia proposita probatur, & mortalitatem incursam ab Adamo immediatè post delictum, non fuisse ineuitabilem, stabilitur. Nam Adamus adhuc post delictum, paradisum inhabitauit, & de ligno vitæ comedere, & consequenter ad immortalitatem vitæ animalis redire potuit. Quis inficias ibit? nam sacer textus affirmat, Deum post latam sententiam primos parentes è paradiso statim expulisse. *Ne forte* (verba Dei refero) *mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Etenim, si primi parentes iam præuaricatores prædictum fructum, quo vita animalis illorum immortalis redderetur, manducare nequiuissent, Moses Deum quasi timentem aut solicitum, ne illi præfatum fructum ederent, & sic immortales fierent, non introduxisset. Ex quo deduco, pœnam mortalitatis ineuitabilem, non ante sententiam, sed post illam, aut per illam fuisse à primis parentibus incursam; siquidem illis tunc medium satis facile & præsentaneum aderat ad immortalitatem recuperandam; & aliunde ille, cui medium aliquod facile ad vitandam pœnam in promptu est, eam ineuitabiliter subiuisse non consetur. Genes.

44. *Responsioni occurritur.*

Respondebis non vnicũ esum de fructu arboris vitæ, sed repetitas de eodẽ comestiones primos

parentes immortales redditurus, vt docent S. Thomas 1. p. q. 97. art. 4. Scotus in 2. dist. 19. q. 1. Pereira in Genes. lib. 3. disp. de arbore vitæ. q. 3. Suarius lib. 3. de Opere sex dierum cap. 15. Molina 1. p. tract. de opere sex dierum disput. 28. & nonnulli alij. Vnde, licèt Adamus semel aut iterum ante prolationem sententiæ fructum prædictæ arboris edisset, immortalis non euasisset. Sed contra prædictum responsum militant grauissimi Doctores, qui vnicum esum de fructu arboris vitæ ad immortalitatem vitæ animalis, sufficisse autumant: nempe Augustinus lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 20. & 23. Auctor quæstionum veteris testamenti q. 19. Chrysostomus homil. 18. in Genes. Beda in lib. Hexamer. S. Prosp. lib. 2. de vita contemplatiua cap. 18. & clariùs Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 30. Tostatus super cap. 13. Genes. q. 175. Becanus 1. p. cap. 4. q. 2. n. 3. quibus textus valde fauet: ait enim Deus: *Ne forte sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Si enim vita animalis vnicâ comestione de prædicto fructu in æternum non perennaret; neque Deus, vt Adamus statim à paradiso expelleretur, tantoperè vrsisset, neque dixisset: *Ne forte comedat, & viuat in æternum*; sed, *Ne viuat in longum tempus*. Confirmatur, quia rationes, quibus Doctores alterius opinionis mouentur ad efficacitatem prædictam arboris vitæ imminuendam, nimiùm probant; nempe Deum diuinitus fructum aliquem creare non posse, qui vitam animalem æternam redderet; vnde eas Becanus suprà facilè soluit.

S. Thom. Scotus. Pereira. Suarez. Molina. Augustt. Chrys. Beda. Prosper Rupertus. Tostatus. Becanus.

44. *Relatæ conclusionis confirmatio.*

Denique, vt prædictam nostram expositionem ampliùs roboremus, aduerto, Deum potuisse pactum inire cum Adamo, ita vt terminus viæ ad transmissionem peccati, non præuaricatio, sed prolatio sententiæ post aliquod spacium temporis subsecuta esset. Quis hoc neget, cùm id diuinam potestatem non excedat? Est ergo quæstio, an de facto Deus pro termino præfatæ viæ præuaricationem, vel prolationem sententiæ designauerit. Prius docent communiter Doctores moderni, & fundamentum eorum triplex est. Primum illa verba Dei; *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; quibus denotatur statim pœnam incurrisse. Secundum fundamentum est Moses, qui postquam peccatum primorum parentum retulit, immediatè subiunxit, eorum oculos apertos fuisse, erubuisse, & timuisse, & suam nuditatem folijs cooperuisse, quæ omnia immortalitatem, & iustitiam originalem immediatè post peccatum perditam fuisse persuadent. Tertium est Tridentinum sess. 5. cap. de

de peccato originali, can. 1. diffiniens Adamum statim, ac peccauit, pœnam mortis, amissionis iustitiæ, iram Dei, & captiuitatem diaboli incurrisse; cum quo non subsistit pœnam præfatam post prolationem sententiæ incursam fuisse.

45. *Fundamenta aduersariorum conuelluntur.*

Enimuerò si præfata fundamenta diligenter examinemus, ea infirma esse facilè comperiemus. Etenim pœna duplex est, vt sæpè monuimus, alia ineuitabilis à reo per potentiam Dei ordinariam, & alia per eandem potentiam euitabilis: hæc cum viatore bene cohæret, non verò illa. Fateor Adamum statim, ac peccauit, pœnam mortis incurrisse, iustitiam amisisse, & Deo inimicum, & dignum irâ constitutum fuisse, vt argumenta prædicta conuincunt; tamen hoc non sufficit ad hoc vt dicamus Adamum vt personam publicam extra viam fuisse, & non potuisse illa tunc per prouidentiam Dei ordinariam euitare: vt in nobis contingit, qui licèt per peccatum sanctitatem amiserimus, iram Dei & captiuitatem diaboli incurrerimus; nihilominus ante mortem viatores sumus, & prædicta mala auertere possumus. Hoc idem Euæ accidisse graues auctores testantur: illa enim, antequam Adamus præuaricaretur, deliquit, iustitiam originalem, & immortalitatem amisit, vt benè Pereira lib. 5. in Genes. disput. de tertia excellentia status innocentiæ. q. 3. §. *quamquam Eua*; & tamen quia ipsa, si Adamus obediens permansisset, potuisset præfatas pœnas per pœnitentiâ euitare, & ad pristinum statum redire, nemo Euam tunc temporis iustitiam originalem ineuitabiliter perdidisse, affirmabit. Cùm ergo pœnæ, quas Adamus statim, ac peccauit, incurrit, potuerint esse euitabiles, vel ineuitabiles; inquiro, vnde scias illas pœnas statim ac Adamus peccauit, fuisse ineuitabiles? Moses pro hac parte allegari non potest; nam ille solùm ait oculos primorum parentum fuisse statim, ac peccauerunt, apertos; eosque inuit iustitiâ denudatos, & alijs miserijs subiectos; non verò superaddit aliquod verbum, quo denotetur præfatas pœnas fuisse ineuitabiles; potiùs innuit tunc temporis euitabiles, & post sententiam ineuitabiles fuisse, vt constat ex dictis in hoc capite. Concilium Tridentinum causæ prædictorum Doctorum non suffragatur: nam illud solùm definiuit, Adamum statim ac deliquit, prædictas pœnas incurrisse; & nullatenus subiunxit, an illæ tunc ineuitabiles fuerint; & si Concilium attentè legatur, potiùs nobis nobis quàm aduersarijs fauisse comperietur (vt disp. 7. cap. 3. ostendam.) Denique illa lex comminatoria: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*;

Pereira.

morieris : nihil contra nos concludit; nam, vt benè Salmeron in cap. 2. epistolæ secundæ S. Petri disput. 3. §. *ad aliud propositum*, obseruauit, simili phrasi sacer textus non significat, actu delinquentes pœnam ineuitabilem, seu damnationem incurrere; sed statim illo actu damnationem & pœnam ineuitabilem mereri, nisi per viam pœnitentiæ ad Deum conuertantur, vt constat ex illis verbis Iob. 9. *Verebar omnia opera mea sciens quòd non parceres delinquenti*, subintelligitur, *nisi conuertatur*; vnde in præfata lege comminatoria, etiã illa conditio, *nisi pœnituerit*, imbibitur, vt dicemus infrà disput. 6. cap. 8. n. 49.

Salmeron.

Iob.

CAPVT VIII.

Adamum, etiam post præuaricationem, viatorem publicum fuisse, variis rationibus roboratur.

46. *Prima ratio conclusionis.*

SOlùm attingam rationes, quæ in nostrũ scopum collimant, & locum, vnde eas latè deduco, citabo: Prima est, nam Adamus post præuaricationem, etiam vt persona publica, pœnitere, & iterum se in pristino statu iustitiæ originalis reponere valuit: ergo via Adamo ad transfusionem culpæ & iustitiæ originalis attributa, adhuc post transgressionem per aliquod temporis spatium, peruia fuit. Consequentia liquet; antecedens probabimus latè disputatione sequenti, à cap. 1.

47. *Secunda ratio.*

Secundò probatur: præuaricatio Adami non fuit eius posteris imputata ad peccatum toto illo tempore, quod inter eam, & excusationem Adami, seu prolationem sententiæ diuinæ interiacuit (vt tota 7. disputatione suadebo) ergo per totum illud spatiũ via durauit. Consequentia patet: nam Adamus, durante tempore viæ, eidem vt capiti concessæ, infecit naturam, & effecit vt eius culpa nobis imputaretur: sed hoc Adamus totaliter non effecit, quando primò deliquit, sed quando se excusauit, aut ante sententiam impœnitens inuentus est (vt loco proximè citato ostendam) ergo præfata via delicto Adami non fuit terminata, sed post illud adhuc durauit.

48. *Tertia ratio.*

Tertiò probatur: via Angelis ad meritum vel demeritum concessa, neque obedientiã bonorum, neque inobedientiã malorum fuit terminata; sed adhuc boni & mali Angeli per aliquam morulam ad meritum vel demeritum viatores fuerunt, vt bene Suarius lib. 8. de Angelis cap. 1. Salmeron in epist. 2. S. Petri ad cap. 2. disp. 3. Alarcon 1. p. tract. 4. disputatio. 8. capite 7. præcipuè numero 11. ergo etiam Adamus post præuaricationem ad recuperandum statum amissum viator

Suarez. Salmeron. Alarcon.

viator fuit: Vim huius consequentiæ infrà disput. sequenti cap. 6. aperiemus.

49. *Quarta ratio.*

Denique probatur, quia constitutio alicuius extra viam, ad aliquod præmium vel pœnam; vel est decretum Dei efficax & absolutum negandi præmium, aut illud concedendi, vel cum eo est omnino coniuncta (vt bene Alarcon suprà numero 9.) & ideo infantes morituros ante baptismum, etiam si illi omni auxilio ad recuperandam gratiam careant, viatores sunt; nempe quia Deus, antequã eorũ mortẽ præuideat, non decreuit efficaciter illos pœnâ damni punire, vt benè idem Alarcon suprà numero 12. sed Deus antequam Adamus se excusaret, non decreuit efficaciter illum & eius posteros pœnâ mortalitatis, & exilij à paradiso punire, vt constat ex dictis in hac disputatione, & ampliùs ex dicendis disputatio. 6. & 7. apparebit: ergo via præfata delicto Adami non fuit terminata.

Alarcon.

CAPVT IX.

Verior sentẽtia circa tempus viæ Adamo vt capiti assignatum ad transmissionem instítiæ aut culpæ originalis, aperitur.

50. *Difficile est terminum viæ designare.*

MAllem in re difficili & dubia aliorũ sensum audire, quàm nostrum aperire. Verùm quia Doctores nihil, aut parum, de hac controuersia tradiderunt; quid existimẽ probabilius indicabo. Assero ergo tempus viæ Adamo vt capiti concessum, neque tam breue sicut tertia sententia, neque tam longum, sicut prima & secunda, fuisse voluit; quod duabus sequentibus conclusionibus declaratur.

51. *Terminus viæ Adamo concessæ ad transfusionem culpæ originalis fuit tempus excusationis Adami aut prolationis diuinæ sententiæ.*

Dico primò, tempus viæ Adamo, vt capiti ad transmissionem ineuitabilem peccati, & aliarum pœnarum in posteros, excusatione Adami, seu prolatione sententiæ diuinæ, fuisse omnino terminatum; vnde via præfata fuit totum illud spatium, quod inter creationem Adami, aut impositionem præcepti, & inter prolationem sententiæ diuinæ interiacuit. Nam tempus viæ ad auertendam aliquam pœnam terminatur illo instanti, in quo intelligitur esse decretum efficax diuinum puniendi statim & ineuitabiliter reum; sed decretum quo Deus efficaciter statuit negare Adamo, & eius posteris ineuitabiliter immortalitatem & iustitiam originalem, fuit post visam impœnitentiam Adami, quæ fuit quando se excusauit: ergo præfata via prædicto tempore fuit omnino terminata. Consequentia est legitima; maior est clara, & liquet ex dictis suprà n. 49. minorem suadent omnia, quæ à capite 5. huius disputationis sciipsimus.

52. *Præfatum tempus fuisset quo que terminus viæ ad transmissionem iustitiæ originalis.*

Dico secundò, tempus viæ, Adamo vt capiti concessum ad transmissionem iustitiæ originalis in posteros, præfato tempore quo Adamus se excusauit, aut Deus tulit sententiam, fuisse terminatum. Vnde si Adamus vsque ad illud instans, obediens duraſſet, posteris iustitiam originalem infallibiliter acquisiuisſet. Hanc partem non leues rationes suadent. Nam terminus viæ, Adamo vt capiti concessus ad transmissionem ineuitabilem peccati originalis, idem prorsus fuit, ac terminus eidem ad transfusionem iustitiæ designatus, vt suprà n. 9. ostendimus, tũ ratione tum exemplo Angelorũ, tum auctoritate Anselmi & Fulgentij: sed terminus viæ ad peccati originalis deriuationem, fuit tempus in quo Deus sententiam tulit contra primos parentes, vt hactenus probauimus: ergo idem tempus fuisset terminus viæ Adamo ad transfusionem iustitiæ statutus. Deinde probatur, nam tempus viæ, Adamo vt capiti generis humani attributum, finiendum erat antequam primi parentes filium vllum generassent (vt dicebamus suprà capite 3.) ex quo intuli, illud neque tota vita animali Adami, neque multis annis post eius creationem, duraturum; cùm ad procreationem & multiplicationem Vniuersi expediret, quòd primi progenitores diu virgines non permansissent. Ex quo sequitur, præfatum terminum viæ ad transmissionem iustitiæ originalis, fuisse horam nonam designatam, in qua Protoplastus sententiam condemnationis Genes. 3. latam audiuit: siquidem nullum alium verisimiliorem designare possumus.

53. *Præmonitio.*

Vt aliud argumentum conficiam, præmoneo, primos parentes non fuisse à Deo creatos simpliciter immortales, neque simpliciter mortales; sed in statu medio & indifferenti ad immortalitatem, si non peccarent; & ad mortalitatem, si peccarent, constitutos, vt bene aduertit noster Petauius tom. 3. Theologicorum dogmatum, lib. 2. de Opificio sex dierum, cap. 6. Vnde Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum, ait: *Medius homo factus erat, vt nec immortalis esset omnino, neque prorsus mortalis; sed amborum capax.* & Iulianus Toletanus tom. 9. Bibliot. Patrum; *Primus homo eâ naturæ qualitate creatus est, vt immortalitatis & mortalitatis capax fieret, vt nec sic immortalis fuerit; nec etiam si peccaret, mori non posset; nec ita mortalis, vt si noluisset peccare, morti succumberet.* Eandem sententiam repetitam inuenies in Augustino, præcipuè lib. 1. de Peccatorum meritis & remis. cap. 3. & sequentibus, & lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 23. Secundò aduerto, immortalitatem omnimodam & ab-

Petauius.

Theophil.

Iulianus.

Augustin.

solutam corporis, fuisse promissam Adamo, si obediret, vt bene innuit Pereira lib. 5. in Genes. disput. de quarta excellentia status innocentiæ, & probatur ex Augustino lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 22. asserente: *Si ergo non peccasset Adamus, nec corpore moreretur, ideoque immortale haberet & corpus.* nempe immortalitate inamissibili, & consummatâ: siquidem Adamus immortalitatem amissibilem ante peccatum habuit, idem tradidit in lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 3. vbi ait: *Si enim Deus Israelitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentiâ præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum quo sine defectu esset annosum tempore, quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus?* Vbi cùm Augustinus agnoscat statum aliquem immortalitatis vitæ animalis dandum Adamo in præmium obedientiæ; & aliunde ille non fuerit status indifferens ad mortalitatem & immortalitatem perfectam, in quo creatus fuit, vt liquet; cùm ille non fuerit præmium obedientiæ, planè sequitur, iuxta Augustinum, Deum promisisse Adamo immortalitatem omnimodam, & inamissibilem, si præceptum impositum obseruaret. Eiusdem mentis videtur fuisse S. Athanasius, apud Damascenum, parte 1. tit. 3. dum ait: *Est natura sua mortalis homo, vtpote ex non existantibus factus: verùm propter similitudinem quam habat eius qui est, quam si seruasset obediendo, naturalem corruptionem hebetasset & mansisset incorruptus.* Idem suadet ratio: nam mortalitas ineuitabilis fuit primis parentibus à Deo intentata, si præceptum transilirent, & conditionem appositam non implerent: ergo immortalitas omnimoda & inamissibilis fuit eisdem in præmium proposita, si obedientes fuissent. Hoc enim æquitas pacti, quam Patres suprà numero 9. interfuisse, aiunt, exigere videtur. Adhæc æquum & rationi consonum erat, vt præmium immortalitatis, quod Adamus suâ obedientiâ posteris fuisset acquisiturus, sibi quoque acquirere aliquando potuisset. Sed immortalitas acquirenda pro posteris, fuisset omnimoda & simpliciter inamissibilis, vt suprà disput. 1. numero 5. tradidimus: ergo admittendum est aliquod tempus, in quo Adamus, si obediens perseuerasset, sibi immortalitatem omnimodam & inamissibilem comparare potuisset: sic vt eam in suam prolem transmissurus fuisset.

Pereira.

9. Aug.

Athanas.

54. *Argumentũ conficitur.*

Quo posito, inquiro, an istud tempus fuisset annus centesimus, ducentesimus, vel nongentesimus vitæ animalis Adami? Sanè

cùm non sit fundamentum vllum ad asserendum terminum viæ statutum Adamo ad præfatam immortalitatem inamissibilem comparandam, fuisse obedientiam centum, vel ducentorum annorum v. g. dicendum est fuisse horam nonam sæpe repetitam, in qua Deus sententiam contra primos parentes pronunciauit; siquidem alium terminum viæ ad prædictum effectum designare nequimus. Neque obstat si dicas, prædictum discursum solùm conuincere, prædictum tempus fuisse à Deo determinatum ad immortalitatis transfusionem, non verò ad deriuationem iustitiæ originalis; hoc, inquam, non obest; nam, vt suprà n. 33. monstrauimus, Deus sub eâdem conditione immortalitatem corporis, & iustitiam originalẽ promisit: vnde si horâ nonâ v. g. fuit terminus viæ Adamo concessæ ad transfusionem immortalitatis, eandem quoque fuisse terminum viæ ad transmissionem iustitiæ originalis, necesse est.

55. *Explicatur Anselmus.*

Scio esse aliqua argumenta contra has conclusiones; verùm his faciam satis infrà disp. 6. cap. 8. solùm hîc D. Anselmum explicare placet, quatenus nobis opponi videtur: ille enim (vt vidimus sup. cap. 2. n. 9.) primam victoriam Adami de diabolo reportandam, terminum præfatæ viæ ad transmissionem infallibilem iustitia originalis, futuram esse innuit: sicut prima victoria diaboli contra Adamum, terminus fuit ad transmissionem peccati originalis. Respondeo Anselmum locutum de primâ diaboli victoriâ perfectâ, nempe coniunctâ cum impœnitentiâ, ei quam nostram ruinam adscripsisse. Pro quo moneo, Anselmum in prædicto loco intendisse probare, cælestem ciuitatem breui tempore fuisse restaurandam, si Adamus non peccasset: quod deducit ex eo, quòd Adamus peccando corrupit naturam; vnde obediendo, illam in iustitia confirmaret. Ad quod parùm refert, quòd via præfata duraret vsque ad prolationem sententiæ; siquidem inter hanc & delictum Adami, breuis fuit intercapedo. Subiungo, Anselmum corruptionem ineuitabilem naturæ, primæ præuaricationi attribuisse, non quia immediatè post illam; sed quia paulò post subsecuta est; nam iuxta modum communem loquendi, quod incepit fieri, præcipuè si citò finiendum est, factum dici solet, vt bene obseruauit Sanchez in cap. 8. Isaiæ n. 9. cùm autem nostra miseria à præuaricatione Adami inceperit, & paulò pòst eius transfusio ineuitabilis facta fuerit; idcirco Anselmus asseruit Adamum, quando peccauit, nos omnes ineuitabiliter infecisse. Sanchez.

DISPV-

DISPVTATIO SEXTA.

An Adamus tempore præfatæ Viæ, quod inter eius præuaricationem & prolationem sententiæ iacuit, pœnitere, & statum pristinum iustitiæ originalis recuperare valuerit?

1. *Deus dupliciter potuit pactum inire cum Adamo.* Suarez.

CErtum est, vt bene aduertit Suarius lib. 4. de Opere sex dierum, cap. 9. numero 1. Deum ita pactum inire cum Adamo, & res disponere potuisse; vt si Adamus post præuaricationem pœniteret, culpa commissa, quoad offensam, & omnem pœnam penitus remitteretur, & ita ipse iustitiam originalem sibi acquireret, & eam in posteros transfunderet: siquidem nulla in hoc implicatio relucet, & aliunde id posse fieri, infinita Dei bonitas, & potentia persuadeat. Vnde solùm est difficultas, an pactum cum Adamo ita de facto initum fuerit, vt Adamus, illo non obstanti, ante prolationem sententiæ, pœnitere, & plenâ indulgentiâ sui delicti, quoad culpam & omnem pœnam, consecutâ; ad pristinum statum immortalitatis, & iustitiæ originalis, redire valuerit. Et antequam oppositas referam sententias, duo, in quibus ferè omnes conueniunt, adnotare placet; aliud est, Adamum de facto ante prolationem sententiæ imò ante exilium è paradiso, perfectè non resipuisse; aliud est Adamum iam exulem perfectè de suo peccato doluisse, & sanctitatem sibi acquisiuisse. Prius supponunt Patres citati disp. præcedenti cap. 5. dum in Adamum se excusantem, & in Deum suam culpam conijcientem, inuehuntur. Posterius illa loca Scripturæ, & Patrum, in quibus Adamus vel liberatus à suo delicto, vel saluatus dicitur, persuadent. Vnde Suarius, qui prædictas duas propositiones eruditè confirmat loco citato, superaddit numero 8. Patres, qui Adamum in paradiso pœnituisse innuunt, non de perfecta, sed de imperfecta pœnitentia locutos fuisse. Suarez.

CAPVT I.

Præmissâ opinione communi, alia minùs communis, vt probabilior eligitur, & ex Patribus stabilitur.

2. *Prima opinio.*

PRrima sententia negat Adamum potuisse iuxta prouidentiam Dei ordinariam, ita pœnitere post præuaricationem, vt in statum pristinum iustitiæ originalis rediret. ita Suarez lib. 4. de Opere sex dierum cap. 9. Pereira lib. 6. in Genes. disput. *An Adam fuerit decepsus?* Arriaga 1. p. tract. de Opere sex dierum disput. 45. sect. 2. Cornelius à Lapide ad illud cap. 3. Genes. *Dedit viro suo.* tenentur Scotus & alij sequi, qui tempus viæ Adamo concessum ad transmittendum ineuitabiliter peccatum, præuaricatione fuisse terminatum, asseuerant (quos citauimus suprà disput. 5. n. 20) Denique hanc sententiam communiter recentiores amplectuntur.

Suarez. Pereira. Arriaga. Cornelius. Scotus.

3. *Secunda opinio eligitur.*

Secunda sententia, licèt minùs communis, magis mihi arridet, quæ asserit Adamum ante prolationem sententiæ potuisse de suo peccato ita pœnitere, vt in pristinum statum rediret, & consequenter iustitiam originalem in posteros transmitteret. In hanc partem inclinat, quamuis cum formidine, Ioannes de la Haye in arbore vitæ, ad illud Geneseos 3. *Mulier, quàm dedisti mihi*; eamque Arriaga suprà probabilem appellat, insuper Cornelius. & Pereira suprà, suam opinionem veriorem vel probabiliorem vocando, nostram probabilem esse significant. Denique huic nostræ sententiæ aliqui recentiores assentiuntur, & eam in publicis disputationibus Compluti propugnarunt.

Haye. Arriaga. Cornelius. Pereira.

4. *Probatur sententia.*

Probatur primò, ex Patribus citatis suprà disput. 5. cap. 5. asserentibus, si Adamus non se excusasset, neque exulaturum à paradiso, neque pœnam ineuitabilem mortis incursurum. Ex quo sequitur illos sensisse, Adamum potuisse in tempore præfato pœnitere, & ad statum iustitiæ originalis cum suâ prole redire. Nam quotiescunque Deus ad puniendum aliquod peccatum secundam culpam expectat, paratus est per veram & perfectam pœnitentiam in tempore habitam, prius delictum quoad culpam & omnem pœnam dimittere; hoc enim eius bonitatem diuinam decet, cui, dum in viâ sumus, & pœnâ non est efficaciter & absolutè decreta, proprium est (vt canit Ecclesia) misereri semper & parcere. Hoc idem experientia, & plura exempla Scripturæ diuinæ persuadent. Sed ad priuandum ineuitabiliter Adamum, & eius posteros iustitia originali, præter præuaricationem, excusatio peccati, seu

seu perseuerantia in priori delicto, requirebatur (vt Patres suprà citati tradunt) ergo Adamus ante excusationem potuit pœnitere; & ita pristinum statum recuperare. Confirmatur: nam si Adamus non potuisset mediâ pœnitentiâ iustitiam originalem sibi & posteris acquirere; sequeretur, non obstante pacto, posteros Adami potuisse esse immortales, etiamsi Adamus fructum vetitum comedisset, & ipse peccator & mortalis mansisset. Consequens nemo concedet, cùm Patres ex eo, quod Adamus fuerit mortalis & peccator quando nos genuit, nos quoque mortales & maculatos generari debere inferant. ita Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 3. & alij relati suprà disput. 5. cap. 6. Sequela probatur: nam cùm iuxta Patres citatos, ad mortalitatem ineuitabilem incurrendam, excusatio peccati, aut obstinatio Adami, opus esset; & hanc, vtpote ortam liberè ab Adamo, ipse Adamus potuerit vitare, demus Adamum, quando Deus illum iudicaturus aduenit, non se excusasse, sed culpâ humiliter confessum fuisse, & de peccato doluisse; inquiro, an in illo casu exulauissemus à paradiso, & nasceremur mortales, vel non? Si prius dicis, Patribus citatis contradicis. Si posterius asseras, sequitur nos immortales nascituros, etiam peccante Adamo, quod (vt dixi) nemo sanæ mentis admittet.

Augustinus.

5. *Secunda probatio.*

Secundò probatur: Adamus vt persona publica, etiam post præuaricationem, vsque ad prolationem sententiæ, viator fuit (vt disput. præcedenti ostendimus) ergo potuit per pœnitentiam, statum amissum recuperare, siquidem omnis homo, dum in via est, indulgentiam peccati quoad culpam, & omnem pœnam, efficaciter & absolutè tunc non decretam, consequi valet. Neque satisfacies respondendo, ad pœnitentiam perfectam præter statum viæ, auxilia quoque desiderari, defectu quorum Adamus ante prolationem sententiæ, pœnitere non valuit; hoc, inquam, iniuriam inrrogat diuinæ bonitati: si enim Deus nulli adulto compoti rationis, quamtumuis peccatori, negat auxilia sufficientia ad pœnitentiam (vt bene Vasquez 1. p. disput. 97. cap. 3. & sequentibus) quo fundamento, si Adamus tunc viator publicus erat, ei sufficientia ad perfectè pœnitendum, denegata fuisse asseretur? Accedit historia capitis 3. Geneseos, in qua dicitur primos parentes suam nuditatem agnouisse, & culpæ memores fuisse, & timuisse Deum, & sic aufugisse; quæ omnia persuadent ipsos auxilium aliquod ad pœnitendum habuisse. Confirmatur ex S. Gregorio lib. 6. epist. 31. Augustin. serm. 104. de tempore Irinæo lib. 3. cap. 37. Tertul. lib. de

Vasquez. S. Greg. Augustin. Irinæus. Tertul.

de pœnitentia in fine, & alijs Patribus asserentibus, Adamum pœnituisse saltem imperfectè in paradiso, vt benè explicat Suarius lib. 4. de opere sex dierũ, cap. 9. n. ergo Adamus ante prolationem sententiæ, seu dum erat in paradiso, auxilijs sufficientibus ad pœnitentiam perfectam non fuit omnino destitutus. Vnde præfata solutio vires nostri argumenti non eneruat.

Suarez.

CAPVT II.

Adamum præfato tempore vitæ, & ante prolationem sententiæ, potuisse mediâ pœnitentiâ ad pristinum statum iustitiæ originalis redire, ex Patribus ostenditur.

6. Notabile.

VT mens Patrum intelligatur, aduerto id, quod omnibus notum est; nempe Deum post præuaricationem Adami in paradisum aduenisse, ibique, vt ait Moses cap. 3. Genes. ad auram post meridiem deambulasse; qui primos Parentes præ timore aufugisse videns, eos blandè ad se vocauit, causam nuditatis, fugæ, & peccati inquisiuit; & visâ eorum obstinatione, eos condemnauit. Ex qua historia Patres inferunt, Deum, vt Adamus resipisceret, & in antiquum statum immortalitatis, & iustitiæ rediret, procurasse.

Genes.

Primum, qui historiam præfatam in sensu dicto intellexit, fuisse Chrysostomum, comperiet, qui eius homiliam 17. in Genesim legerit; quam vellem hîc rescribere: Verùm quia longior est, aliqua ex ea fragmenta describam: in principio enim præfatæ homiliæ colligit ineffabilem Dei misericordiam & prouidentiam erga naturam humanam, ex eo, quòd, *Omnia fecit, & operatus est Deus* (Chrysostomum legis) *vt rationale hoc animal à se conditum, in omni honore esset, & in nullo Angelorum vitâ deterior foret; sed & in corpore illorũ possideret impassibilitatem. Caterùm vt vidit vtrosque peccando transgressos per negligentiam ea, quæ à se præcepta erant, nec sic quidem à misericordia cessat, sed semper sibi similis, quemadmodum clementissimus Pater filium indignum quid nobilitate suâ per negligentiam suam commisisse, & à summo honore in extremam vilitatem redactum, videns, paternis visceribus commotus, non illum consilij inopem, & auxilio destitutum sinit; sed iterum suum agit officium, paulatim illum à vilitate liberatum, pristinæ restituens dignitati: simili modo bonus Deus miseratus est hominis.* Quibus verbis denotat Chrysostomus, Deum procurasse, vt Adamus rediret ad illum primum honorem, & statum impassibilem Angelico statui æqualem, in quo fuerat creatus, ad hoc vt omnes

7. *Adamum post peccatũ potuisse mediâ pœnitentiâ redire ad statũ pristinum sensit Chrysostomus.*

omnes iustitiâ originali ornati conciperemur; alioquin si solùm Deus personam particularem Adami ad sanctitatem animæ per pœnitentiam reuocare voluit, ipso Adamo in statu abiecto naturæ mortalis & passibilis derelicto, neque misericordiam suam ineffabilem, & prouidentiam in illa reductione erga totam naturam humanam; sed solùm erga primos parentes ostendisset; neque exemplum allatum de Patre illo clementissimo Chrysostomi instituto aptaretur: siquidem intendente & procurante illo patre filium in pristinum statum omnino restituere, Deus Adamum non in illum pristinum statum, in quo fuerat conditus, sed in alium longè inferiorem & abiectum mortalitatis, & miseriarum reuocare solùm studuisset. Ad hæc Chrysostomus expendens prædictam Dei misericordiam, ex eo quòd statim in remedium Adami occurrerit, post multa, subiunxit: *Mox vt vidit quod factum fuerat, & vlceris magnitudinem, ad opitulandum festinauit* (attendas, quæso, rationem huius festinationis) *vt ne vlcus grassando fieret incurabile vulnus; idcirco, vt præueniat, accelerat; & velociter crescenti vlceri adest.* Ad quod, rogo, vulnus curandum festinabat Deus? Ad vulnùsne mortalitatis, rebellionis appetitus contra rationem, & priuationis sanctitatis inflictum Adamo, & naturæ? vel ad vulnus solius priuationis sanctitatis Adami? Si prius respondeas, nobiscum fateri cogeris, Adamum potuisse per pœnitentiam ad statum pristinum iustitiæ originalis redire; siquidem Deus, vt illum recuperaret, festinauit. Si verò posterius dicas, à mente Chrysostomi planè deuias; nam ille de vulnere, quod non erat *grassatum*, & quod citò, si Adamus non pœniteret, erat *grassaturum* loquitur, vt constat ex verbis, sed si Adamus per præuaricationem ita cum sua prole fuisset vulneratus, vt ad pristinum statum cum sua propagine non posset per pœnitentiam reduci, iam vulnus fuisset grassatum; siquidem Adamum, & eius posteros ineuitabiliter comprehendisset; ergò iuxta Chrysostomum, Deus properauit, ne Adamus & eius posteri ex statu felici ineuitabiliter expellerentur, sed ad pristinum statum redirent. Ad hæc, Deus properauit, ne præfatum vulnus fieret incurabile: sanè, si Deus solùm primos parentes (illis relictis mortalibus, & in statu naturæ corruptę) ad suam amicitiam trahere voluisset; non erat necessarium, vt ea celeritate veniret, ne vulnus fieret incurabile; siquidem ad hoc vt Adamus resipisceret,

& sanctitatem amissam sibi soli recuperaret ; etiam si post aliquot annos aduenisset, sufficiebat ; ergo venit celeriter antequam tempus viæ illi concessum ad acquirendam iustitiam originalem, laberetur, vt illum in pristinum statum reuocaret ; siquidem terminus præfatæ viæ instabat (vt diximus suprà disp. 5. cap. 9. numero 53.) quo transacto Adamus perfectè curari, & in pristinum statum ascendere nequibat.

8. *Idem ex Augustino fundetur.*

Secundò probatur ex S. Augustino serm. 19. de Sanctis, vbi hæc habet : *Quia sine pœnitentia in statum suum redire non poterat* (nempe Adamus) *monendus & admonendus erat ad pœnitentiam, vt reformaret voluntaria & subiecta humilitas, quod corruperat malè creata iniquitas*. vbi Augustinus ait, Deum venisse in paradisum, vt Adamus rediret ad suum statum ; & vt subiecta humilitas reformaret, quod iniquitas corruperat. Equidem status Adami fuit iustitiæ originalis, & iniquitas corrupit corpus, appetitum sensitiuum, & animam : ergo secundùm Augustinum, Deus venit, & Adamum admonuit, vt per pœnitentiam statum iustitiæ originalis recuperaret. Neque satisfacies respondendo, Augustinum tantùm voluisse denotare, Adamum admonitum ad pœnitentiam, vt sanctitatem solam sibi assequeretur ; nam (præterquam quod præfata solutio vim manifestam verbis infert) Augustinus agit in prædicto sermone contra hæreticos (quorum meminit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 9.) inferentes Deum non esse bonum, ex eo quòd ob præuaricationem Adami genus humanum corrumpi reliquisset ; quos vt conuincat, ait : Deum esse bonum, quia Adamus admonitus fuit ad pœnitentiam, vt in suum statum rediret ; & humilitas reformaret, quod iniquitas corrupit ; quod argumentum inualidum fuisset, si Adamus cum sua prole in pristinum statum redire non potuisset, vt liquet & dicemus numero 43.

Augustinus. Tertul.

9. *Eiusdem mentis fuit Bernardus.*

Tertiò probatur ex S. Bernardo serm. 1. de omnibus sanctis : *Perdidit homo iustitiam, cùm Eua serpentis, Adam mulieris voce obediuit, potiùs quam diuinæ. Erat tamen residuum aliquod, quod apprehendere possent, idque Dominus illo scrutinio innuebat : sed abiecerunt etiam illud conuersi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Quid, amabò, intelligis per illud *residuum*, quod teste Bernardo, post præuaricationem adhuc remanserat, & Dominus illo scrutinio innuebat, & tandem primi parentes per excusationem abiecerunt ? Equidem si verba nimis torquere nolumus, illud *residuum*, est pœnitentia vtilis ad redeundum cum suâ prole

prole in statum pristinum iustitiæ originalis ; cùm aliud nequeat esse ; siquidem pœnitentia, quâ Adamus sanctitatem propriam recuperare poterat, per excusationem non fuit abiecta ; cùm adhuc potestas ad similem pœnitentiam agendam, etiam post exilium superfuerit. Hanc fuisse mentem Bernardi suadent verba ipsius citata suprà disput. 5. n. 26. vbi docuit præuaricationis grauitatem, non tantùm ex ipsâ, quantùm ex excusatione desumi debere ; nempe quia quando se excusauit Adamus aut sententiam audiuit, omnis eius spes ad recuperandum statum felicem amissa fuit ; quæ sententia cum explicatione huic testimonio adhibita, mirificè cohæret, vt consideranti patebit.

CAPVT III.

Adamum post transgressionem potuisse cum suâ prole in statum pristinum iustitiæ originalis redire ex meritis Christi, ex Patribus comprobatur.

10. *Conclusio ex meritis Christi firmatur.*

VT argumentum efformem, duo prænotare oportet ; aliud, Christum vt mortalem, saltem immediatè post præuaricationem Adami, fuisse præuisum ; aliud, eius merita infiniti valoris fuisse. Prius in Vasquez

Vasquez.

3. p. disput. 5. & posterius in eodem 3. p. dispu. 10. & 11. stabilitum reperies. Quo posito, inquiro, an Christus meruerit, seu sua merita applicuerit, ad hoc vt primi parentes in suum statum pristinum cum suâ prole reducerentur ; & in hunc finem auxilia saltem sufficientia obtinuerit, nec ne ? Si prius dicas, planè sententia nostra deducitur, vt liquet. Si posterius respondeas, gloriæ & honori Christi Domini multum detrahes ; siquidem illum mala omnia, quæ Adamus per peccatum inuexit, vt à nobis omnino auerterentur, adhuc meruisse negas.

11. *Solutioni occurritur.*

Scio aduersarios respondsuros, quòd Christus restitutionem nostram in statum pristinum, non meruerit ; non oriri ex defectu meritorum aut charitatis Christi ; sed ex eo quòd iam Deus, ante prædestinationem Christi, vt mortalis, efficaciter decreuerat Adamum cum suâ stirpe è paradiso eijcere, & immortalitate corporis, & statu illo felicissimo ineuitabiliter spoliare : quare cùm decreta Dei efficacia effectū statutum necessariò sortiri debeant ; ideo Christus, ne decretū præfatū redderetur inefficax, neq; id meruit ; imò neque merita sua in hunc finem applicare potuit. Fateor, admisso illo decreto antecedente prædestinationē Christi, repugnasse vt Christus nostram reductionem ad integrum

statum immortalitatis promeruisset, verùm quia constitutio illius decreti antecedentis Christo, non est ita honorifica, esset tamen si tale decretum non præcessisset; idcirco vt honori Christi magis consulatur, illud antecessisse negamus; & asserimus, Deũ ante prædestinationẽ Christi, non statuisse Adamum & posteros immortalitate ineuitabiliter priuare, si solùm peccasset, sed si peccasset, &, durante tempore viæ toties repetitæ, non resipuisset; cum qua doctrina bene cohæret, Christum, vt rediremus in pristinum statum, studuisse. Enimuero si iam communiter recentiores, vt B. Virginem à peccato originali & eius debito, liberam, & pariter per filium redemptam fuisse defendant, tam pactum, quàm ordinem decretorum diuinorum, prout suo instituto meliùs aptatur, explicant, & componunt; nescio cur, vt præfata gloria & honor Christo Domino attribuatur, non asserimus comminationem factam Adamo de morte ineuitabili generis humani, non soli præuaricationi, sed eidem & coniunctæ cum impœnitentiâ, alligatam fuisse. Sanè Sanctus Leo sermone 2. de Natiuitate, & nonnulli alij, Deum, ne diabolus iure de damno naturæ humanæ à se illato gloriaretur, carnem assumpsisse dicunt; & insuper superaddunt, diabolum à Christo perfectè superatum fuisse, quod innuit Christus Dominus Lucæ 11. illis verbis: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet: si autem fortior illo superueniens, vicerit eum &c.* & Paulus ad Colloss. 2. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* (& paulò inferiùs) *& expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Quibus verbis Christum de diabolo perfectam victoriam obtinuisse, & ab eo omnia spolia, quæ in Adamo vsurpauerat, detraxisse, significatur, vt bene Salmeron ibi disputatio. 5. Cornelius, & nonnulli alij Patres, & interpretes. Etenim si Christus Dominus de facto non meruit, vt Adamus cum suâ propagine immortalitatem corporis, & appetitum rationi omnino subiectum, sicut antea, haberet; sed solam sanctitatem, & auxilia ad eius acquisitionem & victoriam tentationum; neque Christus perfectè de diabolo triumphasset, neque illum expoliasset, neque fortem armatum perfectè vicisset, neque ei omnem causam gloriandi amputasset; siquidem diabolus tria grauissima vulnera naturæ humanæ inflixit, nempe mortalitatem, rebellionem appetitus, priuationem sanctitatis ex auxiliorum ad gratiam illam promerendam; & aliunde medicina expensis Christi præparata, postremò tantùm vulneri mederi potuit.

Lucas. Paulus. Salmeron. Cornelius. S. Leo.

11. *Discursus ex Scriptura, & Patribus amplius roboratur* Ioannes.

Præterea causam meritorum Christi promouent luculenta Scripturæ, & Patrum testimonia. In capite enim tertio primæ epistolæ canonicæ Sancti Ioannis, legitur: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Porrò opera diaboli (teste Didymo) *sunt ea, quæ Satanæ voluntate perficiuntur.* Equidem cùm Satanas vt primi parentes immortalitatem & iustitiam originalem amitterent, effecerit; idcirco Christum, vt primi parentes cum sua progenie in pristinum statum redirent, meruisse necesse est: alioquin non vt omnia opera diaboli, sed vt aliqua solùm dissoluerentur, Christus aduenisset. Accedunt Patres qui absolutè aiunt, nos per Christum, aut Mariam, omnia quæ in Adamo perdidimus, recuperasse. Sanctus Irenæus lib. 3. capite. 20. scribit: *Nos recuperare per Christum, quod in Adam perdidimus*, & capite 33. *quod alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Epiphanius lib. 3. contra Hæreses, comparans Christum & Mariam cum primis parentibus, sic fatur: *vbi redundauit peccatum, ibi superabundauit & gratia.* Sanctus Leo serm. 1. de ieiunio 10. mensis, ait: *Erigi in Adam secundo, quod cecidit in primo.* & serm. 12. de Passione asserit, Verbum nostram carnem assumpsisse, *vt idem naturam humanam æternitatis arce deiectam, amissæ restitueret dignitati.* Hesychius Hierosolymitanus in sermone de laudibus Mariæ: *Quæ Euam pudore, & Adamum commination liberauit.* Sanctus Hieronymus ad Eustochium: *Quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Consonat S. Ildephonsus serm. 2. de Assumptione: *Hæc est illa per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum.* Eandem sententiam repetunt Aug hom. 3. de Assum. Andreas Creten. hom. de dormit. Mariæ, Tertullianus lib. de carne Christi ca. 17. & alij plures, quorũ verba refert Salazar de Concept. cap. 2. Ex quo euincitur Christum & Mariam meruisse, vt Adamus cum sua stirpe in pristinum statum iustitiæ originalis reduceretur; alioquin si eorum merita ad solam restitutionem sanctitatis amissæ restringerentur, verba præfata Patrum absolutè, & vt sonant, non verificarentur, siquidem neque per Christum, & Mariam quidquid perdidimus in Adamo, recuperauissemus; neque per illos omnis maledictio sublata fuisset, neque Eua per Mariam pudore liberata, fuisset, neq;

Didymus. Irenæus. Epiphan. Leo. Hesychius. Hieronym. Ildephon. Augustin. Andreas Cretensis. Tertul. Salazar.

Christus, vt in pristinum dignitatem rediremus, aduenisset.

CAPVT IV.

Eadem sententia iterum ex meritis Christi persuadetur.

13. *Auxilia sufficientia ad salutem etiam omnibus paruulis reprobis per Christum concessa sunt.*

NEgari non potest, Christo Domino valde honorificum futurum fuisse, si eius mors ita Patri grata extitisset, vt in præmium illius, non solùm adultis, sed etiam omnibus & singulis paruulis reprobis auxilia saltem sufficientia ad salutem, contulisset; quare, ne Christus hoc honore priuetur, multi graues Doctores sentiunt, omnibus paruulis, etiam qui in vtero materno moriuntur, auxilia sufficientia, quibus saluari valeant, saltem in parentibus, per passionem Christi esse de facto collata. Ita Suarius 1. p. lib. 4. cap. 4. Bellar. lib. 2 de gratia & lib. arbit. cap. 5. Valent. 1. 2. disp. 8 q. 3. punct. 4. Lessius de Prædestin. sect. 6. assert. 1. Arrubal 1. p. disput. 91. Herize 1. p. disp. 35. cap. 2. & multi alij, quibus immeritò Vasquez 1. p. disp. 96. capite 2. & Alarcon 1. p. tract. 4. disput. 5. capite 9. & nonnulli alij contradicunt; nam (præterquam quod est honor Christi, vt omnibus posteris Adami eius merita de facto profuerint ad salutem) præfatam veritatem multa suadent, quorum aliqua hic attingere, operæpretium duximus.

Suarez. Bellarm. Valentia. Lessius. Arrubal. Herize. Vasquez. Alarcon.

Primò probatur ex illo Pauli ad Roman. 5. *Non sicut delictum ita & donum; si enim vnius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit.* Quibus verbis Apostolus denotat gratiam Dei & dona in omnes posteros Adami proximè, vel remotè per meritum Christi deriuata, validiora esse ad eorum libertatem & salutem, quàm ad eorum captiuitatem & perditionem fuit debitum seruitutis, & peccati Adami, vt infrà cap. 5. latè expendemus: sed peccatum Adami infecit de facto omnes paruulos, eosque captiuos reddidit, vt liquet; ergo donum & gratia eis proximè vel remotè per Christum ita impertita sunt, vt ipsi per se vel per alios potentes ad salutem animæ consequendam constituantur; alioquin si præfatis paruulis omne auxilium sufficiens ad salutem est omnino denegatum, donum libertatis respectu eorum validius non esset debito seruitutis; siquidem, captiuante eos peccato Adami, Christus eis de facto auxilium, quo à captiuitate possent exire, non est elargitus. Scio varias solutiones adhibitas esse huic argumento; verùm eas cap. sequenti commodiùs referemus; & impugnabimus.

14. *Nullum etiã fuisse parvulum auxilio omni sufficienti destitutum probatur ex Paulo.*

Secundò probatur ex illo Pauli

15. *Iterum idẽ ex Paulo adstruitur.*

Pauli ad Timot. 2. *Qui* (id est Deus) *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem eius venire.* quibus innuitur, Deum etiam post peccatum Adami, habere voluntatem, quà vult omnes etiam paruulos saluos fieri, vt bene Suarius suprà, & Salmeron ad præfatum locum Pauli disp. 6. & Cornelius hîc adnotarunt; & patet, tum quia verba præfata, vtpote vniuersalia, hunc sensum præseferunt; tum quia hæc explicatio concinit bonitati infinitæ Dei; tum quia verba antecedentia, & consequentia prædictam expositionem esse legitimam, persuadent. Paulus enim præmiserat, esse orationes pro omnibus fundendas, idque Deo acceptum esse, quod probat ex eo quòd vult omnes homines saluos fieri: quæ ratio etiam conuincit Deum salutem paruulorum omnium velle; siquidem bonum & gratum est. Deum pro præfatis paruulis orare. Insuper Paulus probat, Deum omnium salutem desiderare, ex eo quòd *Vnus est Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*: cùm autem paruulorum omnium, & adultorum idem sit Deus, & vnus mediator, idcirco eum etiam paruulos velle saluare oportet. Ita hunc locum intellexerunt Chrysostomus hîc hom. 17. Ambrosius etiam hîc, Hieronym. in epist. ad Ephes. ad illud, *Secundum propositum eius.* Oecumenius hîc. S. Prosper ad obiectiones Vincentianas, obiect 2. Addo cum Suario, Salmerone, Cornelio suprà, & multis alijs, hanc voluntatem Dei inefficacem aut velleitatem (vt aiunt) non esse; sed efficacem ex parte Dei; quà Deus quantùm est ex se, vult omnes homines saluos fieri; quòd autem omnes homines vitam æternam non adipiscantur, non ex defectu voluntatis prædictæ, sed ex eorum malitiâ aut causa ortũ ducit. Vnde præfata voluntas causa efficax est auxiliorum saltem sufficientium, omnibus etiam paruulis collatorum. Est sententia S Prosperi lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. & 25. vbi ex eo quòd Deus vult etiam paruulos saluos fieri, infert eis auxilia ad salutem esse elargitũ. Idem videtur suppoſuisse Augustinus lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. lib. de correp. & grat. cap. 14. & 15. & alibi. Fulgentius de Incarnat. cap. 31. vbi videntes plures negare omnibus esse auxilia necessaria ad salutem impertita, restringunt ad prædestinatos, vel ad alios de quibus certum est diuinæ inspirationi respondisse. Ex quo liquet, prædictos Patres sensisse, eis omnibus, quorum salutem Deus velle dicitur, auxilia necessaria ad salutem, proximè vel remotè contulisse. Et ratia est: nam Chrysostomus ser. 1. in ep. ad Ephes. & hom. 7. in Ioan. & alij Patres, quorum

Suarez. Salmeron. Cornelius. Prosper. S. Aug. Fulgentius. Chryſ. Ambroſ. Hieron. Oecumen.

quorum verba refert Ruicius de volunt. disput. 19. sect. 5. præfatam Dei voluntatem iam ardentem, iam vehementem appellant; iam non ex illa, sed ex nobis oriri, quòd non saluemur, aiunt. Equidem si voluntas præfata esset inefficax, & cum auxilijs sufficientibus non coniuncta, neque per nos staret, quòd salutem non consequeremur; neque Deus nos vehementer amare censeretur.

16. *Idem ex Ioanne confirmatur.*

Tertiò probatur ex illis verbis Ioannis in principio suiEuangelij: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ideſt (vt ait Maldonatus ibi) etiam in vtero materno conceptum; ergo Christus (de quo hîc esse sermonem bene probat Maldonatus ex Augustino, Beda, Chrysostomo, & alijs) proximè vel remotè lumen contulit, etiam præfatis paruulis. Neque obstat si dicas, illud verbum, *illuminat*, non effectum, sed naturam denotare, & ideo illis verbis solùm significari, Christum ex se esse omnium illuminatiuum; hoc, inquam, non obest; nam Ioannes non ait, quòd Christus poterat illuminare, sed quòd illuminarit; vnde sicut illis verbis, *Omnia per ipsum facta sunt*, non innuitur Deum ex se esse operatiuũ; sed quod in actu secũdo operatus fuerit; ita illis verbis, *illuminat hominem*, non potestatẽ, sed effectum significari cẽsemus.

Ioannes Maldonat.

Denique probatur: Christus fuit verè & propriè redemptor totius generis humani, etiam omnium paruulorum, vt constat ex Paulo ad Rom. 5. & 1. Corinc. 5. Ioan. epist. 1. cap. 2. & communi sensu Patrum ad præfata loca; vnde ipsius sanguine omnes empti sumus: ergo ob Christum omnibus etiam paruulis auxilia necessaria proximè vel remotè sunt collata, quibus à captiuitate diaboli vel periculo ipsius, exire valeamus: alioquin si in nostra potestate nunquam situm esset exire à captiuitate, quomodo empti pretio magno, aut redempti diceremur? Neque satisfacies respondendo, Christum obtulisse pro nostra salute pretium sufficientissimum; nam licèt hoc sufficiat ad hoc vt Christus censeatur procurasse nostram redemptionem; non tamen fat est ad hoc vt nos emisse, aut redemisse dicatur. Sicut enim si offerres pretium pro libertate captiui, & dominus illius illum in libertate non constitueret: tu procurasse redemptionem illius; non verò eum redemisse diceres; nam ad hoc requiritur, quòd captiuus constituatur in statu, in quo, si vellet, ex illa exire possit. Ita si per Christum auxilia sufficientia præfatis paruulis proximè vel remotè non sunt concessa, Christus eos redimere & emere, procurasse; non verò emisse aut redemisse diceretur. Confirmatur,

17. *Idem aliter suadetur.*

Paulus. Ioannes.

tur, nam illi sunt redempti, quibus passio Christi vtilis fuit, vt tradit S. Prosper ad obiectiones Vincentianas, capite 1. & ad Capitula Gallorum, capite 9. illis verbis: *Potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Enimuero si præfati paruuli sunt omni auxilio sufficienti ad salutem penitus destituti; eis passio Christi non profuit; vnde illi, sicut & diaboli, redempti non erunt: quod nemo sanæ mentis admittet.

Prosper.

18. *Responsio depellitur.*

Forsan respondebis, Deum paruulos redemisse, tum quia pro eis sua merita applicuit; tum quia sacramenta instituit, quibus, si vsi fuissent, iustificarentur. Contra hoc est, nam (præterquam quòd hoc ad veram redemptionem non sat est, vt arguebam suprà) hoc non facit quòd passio Christi præfatis paruulis vtilis fuerit; siquidem ad vtendum sacramento sunt omnino inidonei: insuper hoc, non melioris; sed multò peioris conditionis, ac dæmones, facit prædictos paruulos. Quippe quòd Deus per Christum dæmonibus auxilia non contulerit, non mirum; siquidem Christus pro eis sua merita non applicuit: at quòd Christo suam passionem & mortem pro paruulis offerente, Pater nihilominus eos in negatione omnium auxiliorum dæmonibus pares effecerit, magni doloris ex se causa est. Neque obest, vt dixi, quòd sacramenta pro illis quoque fuerint instituta; nam, cùm aquam salientem in vitam æternã præfati paruuli bibere nequiuerint, fuisse pro eis sacramentũ baptismi institutum, est illos, instar alterius Tantali, famelicos & sitibundos iuxta fontem perennem, quem attingere non valent, constituere; quod non beneficium, sed potiùs pœna videtur.

19. *Obiectio desumpta ex Vasquez, & Alarcon.*

Sed contra hactenus dicta est validissimum argumentum (ob quod Vasquez 1. p. disput. 96. cap. 2. Alarcon 1. p. tract. 4. disputatio. 5. cap. 9. & multi alij, reiectâ præfatâ opinione, prædictos paruulos omni auxilio destitutos fuisse propugnarunt.) Nam auxilium sufficiens ad salutem, est illud quo potentes constituimur ad salutem acquirendam; seu quo, si volumus, iustitiam consequi valemus; sed præfati paruuli horum auxiliorum sunt incapaces; siquidem neque illi possunt per actum proprium iustificari, neque quærere baptismum, aut facere, vt illis administretur: insuper hæc auxilia necessaria ad salutem, non sunt collata prædictis omnibus paruulis in parentibus, vt tradunt August. lib. de Dono perseuerantiæ, capite 12. Sanctus Prosper carmine de ingratijs, cap. 30. & 31. Et patet ex eo quòd multoties paruuli sine culpa vlla parentum, in vtero matris

S. Aug.

Prosper.

spirant, vt contingit quando fulmine, aut infirmitate corripiuntur: ergo præfati paruuli multototies remedio ad salutem carent.

20. *Refertur aliquorum responsio.* Suarez. Arrubal.

Huic argumento respondent Suarius, Arrubal, & alij Doctores citati suprà numero 13. præfata auxilia fuisse prouisa prædictis paruulis, in parentibus; nam si illi aliquid, quod faciunt, omitterent; vel quod omittunt, facerent; paruuli nascerentur, & baptismum susciperent. v.g. grauida mulier manet domi, vbi fulmine tangitur; sanè si hæc egressa fuisset è sua domo, morte illa repentina non cecidisset. Alia extra domum vagans, similem mortem patitur; etiam hæc si domi tunc mansisset, non fuisset mortua; potuerunt ergo præfatę fœminæ suos fœtus conseruare. Vnde cogitatio, quâ mulier extra domum mortua, fuit præuenta, ad hoc vt domi maneret; & cogitatio quâ alia domi cadens fuit præmunita, vt è domo exiret; fuit gratia per Christum, paruulis vt iustificarentur, & saluarentur, concessa.

21. *Solutio prædicta non satisfacit obiectioni propositæ.* Vasquez. Alarcon.

Hæc doctrina meritò displicet Vasquez 1.p. disput. 96. cap. 2. Alarcon 1. p. tract. 4. disp. 5. cap. 9. & multis alijs, vtpote Augustino, & Prospero suprà n. 19. citatis, contraria, quorum verba refert, & benè expendit Alarcon. Adhæc præfatum auxilium non reddit parentes potentes ad hoc vt infortunium prædictorum paruulorum euitare posse dicantur; siquidem neque sciunt, neque scire possunt, an domi manentes, vel inde exeuntes, sint fulmine, vel alio simili infortunio casuri. Vnde cùm præfatam mortem humanâ nequeant prouidentiâ vitare, idcirco præfatum auxilium non est sufficiens. Accedit quòd persæpe paruuli intra viscera materna moriuntur, non ex eo quòd parentes aliquid faciant, vel omittant; sed ex debili & infirmo eorum temperamento, sicut adultis sæpe contingere videmus; ergo saltem hi paruuli omni auxilio sufficienti ad salutem erunt destituti. Enimuero si fœmina fulmine tacta extra domum vagans, dicitur potuisse mortem vitare, quia domi potuit manere; dicas etiam nos omnes posse adijcere ad staturam cubitum vnum; & parentes cæci nati potuisse eum sanum generare; & denique nos omnes miserias & monstrositates naturæ humanæ declinare valere; siquidem si aliquid aliud, quod omittimus, faceremus; vel quod facimus, omitteremus, illa infortunia non accidissent. Quod Christus Dominus Matth. 6. & Lucæ 12. & Ioan. 5. & ibi Patres negare videntur; dum præfatam cæcitatem, non parentibus illius, sed diuinæ soli prouidentiæ adscribunt, & staturam augere nobis impossibile esse tradunt. Denique admitto aliquoties parentes fuisse per Christum aliquâ cogitatione præuentos, ne v.g. domo exeant, seu ne domi maneant (vt volunt prædicti Doctores) hoc tamen non sufficit ad hoc vt præfatum auxilium sufficiens dicatur; tum ob dicta; tum quia auxilium sufficiens per Christum collatum, tale esse debet, vt illo parentes moti, rationabiliter, & prudenter operari possint: quis enim dicet per Christum dari auxilium, quo imprudenter operemur? equidem multoties imprudenter facerent parentes manendo, vel egrediendo è suâ domo, vt patet in illâ fœminâ, quæ egreditur domo, vt visitet infirmum, vel audiat sacrum: ergo cogitatio illa, quâ fuit præuenta ad manendum domi, auxilium per Christum non est. quod iterum infrà capite 5. numero 31. amplius roboratur. Alia argumenta pro hac parte vide in Alarcon, si placet.

Matthæus. Luc. Ioan.

Alarcon.

Audias, quæso, discursum, quo iuxta nostram doctrinam omnia complanantur. Asserimus enim Adamum suâ præuaricatione sibi iustitiam originalem amisisse, & suam posteritatem in periculo eam amittendi constituisse; quod Christus immediatè post peccatum Adami prædestinatus præsciens, suam sanctissimam Passionem Patri obtulit, vt Adamo auxilia conferrentur, quibus ante prolationem sententiæ pœnitere, & se cum prole statum pristinum iustitiæ originalis recuperare valeret. Pater meritis Christi permotus auxilia sufficientia in præfato tempore viæ, Adamo vt viatori publico in præfatum finem impertiuit. Verùm primus parens illis abusus, toto tempore viæ eidem ad transmissionem iustitiæ originalis designato, in sua culpa iacere, quàm de illâ perfectè pœnitere, maluit; & ita nobis ineuitabiliter statum fælicè amisit. Ex quo apparet, omnes reprobos, etiam paruulos, fuisse per Christum illuminatos in Adamo; omnes in eodem auxilia sufficientia ad salutem suscepisse; omnibus passionem Christi profuisse; & denique omnes fuisse verè emptos & per Christum redemptos; siquidem in voluntate Adami, ob pretium Patri oblatum, positum est, vt ipse, si vellet, cum suâ prole à diaboli potestate liberaretur. Nostro discursui fauet Driedo de Captiuit. & redempt. generis humani, tract. 5. cap. 3. vbi hæc habet: *Omnes paruulos in primo parente Adam habuisse sufficiens suæ salutis auxilium, quo ipse Adam non bene vsus, perdidit omnibus suis posteris vitam æternam.*

Driedo.

22. *Iuxta doctrinam auctoris facile defenditur omnibus reprobit fuisse concessa auxilia sufficientia ad salutem per Christum.*

CAPVT V.

Paulus, meritoriam Christi causam agit ; & Adamum ad statum iustitiæ originalis redire potuisse, significat.

13. *Locus Pauli exponitur, & aliquot quæstiones circa eius sensum excitantur.*

POstquam Paulus ad Rom. 5. à versu 12. vsque ad versum 15. rationem peccati originalis enucleauit, & eius incommoda & damna in genus humanum deriuata, adaggerauit ; versu 15. excellentiam mirificam, & exuberantiam gratiæ Iesu Christi, dignissimè extollit, eamque longè maiorem ad nostram salutem, quàm fuit Adami delictum ad nostram infirmitatem inducendam, illis verbis testatur : *Non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit.* Quibus verbis tres summi Pontifices (nempe S. Agapitus epist. 1. quæ est ad Anthimium, S. Caius epist. decretali, S. Leo magnus, epist. 83. & sermone 12. de Passione) permoti illam celebrem propositionem ab omnibus receptam, protulerunt : *Validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis.* Nihilominus, licèt quæ hactenus dicta sunt super hoc loco omnibus placeant ; tamen circa sensum prædicti testimonij aliquæ difficultates emergunt, quæ interpretes in varias distrahunt expositiones. Prima est, quinam sint illi *multi*, qui delicto Adami mortui ? & quinam illi *plures*, in quos gratia Christi abundasse dicitur ? Secunda difficultas est, quænam sit illa gratia in *plures* exuberans ? an, inquam, merita Christi vel effectus inde in genus humanum deriuati? Tertia difficultas est, quomodo meritum & gratia Christi validiora, quàm delictum Adami, esse censeantur? siquidem hoc innumeros reprobos effecit, & per Christum pauci sunt prædestinati.

Agapitus. Caius. Leo.

14. *Quid per voces* multi & plures *intelligatur.*

Prima difficultas erat quid per τὸ *multi* & τὸ *plures* intelligatur. Circa quorum vocabulorum sensum sunt tot sententiæ, quot capita. Alij enim cum Hieronymo, Estio hîc per τὸ *multi*, prædestinatos, & per τὸ *plures*, eosdem intelligunt. Alij τὸ *multi* ad idololatras & infideles restringunt; at vocem *plures*, ad eosdem, & reliquos fideles extendunt. Alij per τὸ *multi* adultos omnes, & per τὸ *plures*, eosdem significari volunt. Alij denique per τὸ *multi*, omnes posteros Adami siue paruulos, siue adultos; & per τὸ *plures*, paruulos prædestinatos, & reliquos omnes adultos interpretantur cum Sancto Thoma 3. p. q. 52. arti. 7. ad 2.

S. Thom.

15. *Explicantur præfata adiectiua.*

Verùm communior & germanior expositio asserit, per τὸ *multi*, Adamum cum totâ suâ posteritate (excipe, quoties de peccato agitur, Christum Dominum, & eius sanctissimam Genitricem) denotari ; & per τὸ *plures*, Adamum & eius omnes posteros, vt minimum comprehendi (Addidi, *vt minimum comprehendi*, vt modò ab illa superfedeam controuersia, an τὸ *plures*, comparatiuè vsurpetur, & per illam vocem innuatur meritum & gratiam Christi ad plures numero personas extendi, quàm sunt, quas infecit delictum Adami: de hac enim quæstione infrà disp. 10. cap. 3. ex professo disputabo solùm impræsentiarum intendo, iuxta Paulum in citato loco, vt minimum significari, validius esse donum libertatis ad liberandum Adamum, & omnes eius posteros, siue paruulos, siue adultos, siue reprobos, siue prædestinatos ; quàm ad eorundem captiuitatem introducendam fuit delictum Adami.) Ita præfatum locum exposuerunt Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Primas. Anselmus, & alij plures, quos magno studio congerit & maturo iudicio sequitur P. Didacus de Celada in Tractatu appendice de Iudith figuratâ, §. 31. primæ impressioni superaddito : & Sanctus Thomas 3. p. p. 2. art. 7. ad 2. vt certum supponit. Iuxta hanc interpretationem, merita Christi magis extolli, & iuxta eam verba omnia Pauli magis sincerè, & vt sonant, explicari, nemo infitias ibit. Ad hæc Paulus versu 12. inter alia damna ex peccato Adami suborta enumerauit, quòd mors in omnes homines pertransierit, & quòd omnes in illo peccauerimus : & explicatà versu 13. naturâ peccati originalis, versu 14. intentum prosequitur ; & ne existimemus illum versu 12. denotasse solùm adultos, & non paruulos Adami delicto fuisse correptos ; subiungit, mortem quoque regnasse in omnes paruulos etiam quando culpam actualem instar Adami committere nequiuerunt : sic Augustinus libro 1. de Peccatorum meritis, capite 11. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Anselmus, Cornelius à Lapide ad hunc versum, & Salmeron ibidem, disputatione 40. interpretantur illa verba : *Sed regnauit mors ab Adamo vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adami.* Quibus damnis in totum genus humanum ex Adamo descendentibus, ponderatis, Apostolus excellentiam meritorum & gratiæ Christi robur, cum robore & potentiâ delicti Adami, comparat, & ait: *Non sicut delictum ita & donum : si enim vnius delicto multi mortui sunt ; multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius*

August. Chrys. Theoph. Primas. Ansel. Celada.

S. Thom.

August. Chrys. Theophil. Theodor. Ansel. Cornelius. Salmeron.

hominis Iesu Christi, in plures abundabit. Sanè horum versuum series ipsa verba, & Pauli scopus persuadent, per τὸ *multi*, & τὸ *plures*, Adamum cum totâ suâ prole comprehendi, & præfato versu significari, validius esse donum libertatis ad redimendum totum genus humanum, ac fuit debitum seruitutis ad illud in seruitutem inijciendum; alioquin longum catalogum damnorum, quæ ex Adamo in totum genus humanum promanarunt, non feciſſet; neque illo catalogo præmisso, absolutè addidisset: *Non sicut delictum, ita & donum, &c.* Confirmatur, quia si merita, & gratia Christi respectu ad omne genus humanum, cum peccato Adami idem inficienti, non componerentur; sed solùm cum parte illius; donum libertatis non esset simpliciter validius debito seruitutis; sed solùm secundùm quid: quippe licèt donum libertatis respectu v. g. prædestinatorum, validius sit ad eos saluandos, quàm debitum seruitutis ad eorum perditionem; at respectu reproborum, validius esset debitum seruitutis, quàm donum libertatis: vnde sicut Paulus, quia prædestinati, non obstante delicto Adami, saluantur, asseruit: *Non sicut delictum ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia in plures abundauit.* Eadem proprietate, quia non obstantibus meritis Christi, plurimi reprobantur, ordinem sic inuertere potuit: *Non sicut donum ita & delictum; si enim per Christum multi prædestinati sunt; multò magis delictum Adami in plures abundauit.* Præterea si comparatio non fieret inter totum genus humanum redemptum per Christum, & idem genus humanum captiuatum per Adami peccatum; sed cum parte illius, vt volunt alij, argumentum Pauli plumbeum & infirmum fuisset; facilè enim responderent Romani; cur Paule exaggeras merita, & gratiam Christi præ delicto Adami, & ais illa præ hoc validissima esse: nam licèt hoc respectu aliquorum verificetur, & si damna omnia ex delicto Adami descendentia in totam naturam humanam, cum meritis & gratiâ ex Christo, in eandem deriuatis, componantur, multò plures per Adamum sunt captiui & perditi; quàm per Christum in libertatem vindicati? Quapropter, vt argumentum Pauli solidum reddatur, assero cum communi Patrum sententiâ, per τὸ *multi*, Adamum cum omnibus posteris, & per τὸ *plures*, eosdem significari; vnde sensus est, validius est donum ad liberandum omnes homines, quàm debitum seruitutis fuit ad illos omnes in seruitutem alligandum. Quod ipse Apostolus infrà versu 17. prosequens præfatum discursum, repetiuit: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.*

26 *Obiectioni respondetur.*

Celada.

Dices si Apostolus per τὸ *multi* omnes intellexit, cur loco illius vocabuli, *multi*, vocem, *omnes*, non apposuit? Respondet bene noster Celada suprà n. 160. Apostolum in posteriori huius versus hemistichio additurum, *Gratia Christi in plures abundauit*: quod vocabulum comparatiuum non benè suprà *omnes* cadit; cùm nullus excessus supra omnes agnoscatur. Vel, si placet, respondet cum Catharino, Iustiniano hîc, & eodem Celada suprà, Apostolum à voce, *omnes* abstinuisse, ne, quando de pœnis peccati agebat, se Christum, & eius Matrem comprehendisse, aliqui suspicarentur.

Catherin. Iulianus. Celada.

27. *An solum merita Christi cum demeritis Adami comparentur à Paulo.*

Secunda difficultas erat, an in hoc loco solùm merita Christi cum demeritis Adami, vel etiam fructus ex passione Christi deriuati, cum damnis ex peccato Adami emergentibus, comparentur? & Doctores, qui nobiscum sentiunt, genus humanum vt redemptum, cum eodem vt captiuo per Adami culpam, comparatum esse, præuidentes, damna in omnes posteros Adami efficaciter deriuata, longè maiora & valentiora esse ad innumerorum hominum perditionem, quàm ad eorundem restaurationem fuerit gratia per Christum, illis de facto collata; tanquam certum supponunt, hîc, non effectus cum effectibus, sed solùm merita Christi cum demeritis Adami & damno inde secuto componi; & ideo sensus est: Merita Christi, vtpote ex homine Deo profecta, infiniti sunt valoris, & consequenter longè validiora ad saluandum genus humanum, & id ab omnibus malis intrusis per Adamum, eripiendum; quàm fuit Adami delictum ad eorum introductionem. Ita Vasquez. 3. p. disput. 5. cap. 2. numero 10. Suarius tom. 2. in 3. p. in commen. articuli 7. quæstionis 52.

Vasquez. Suarez.

28 *Deprisio.*

Verùm hæc interpretatio multum gloriæ detrahit Christo; siquidem damna efficaciter illata generi humano per Adamum, longè validiora, quàm bona per Christum nobis concessa, esse vult. Etenim Christus in remedium peccati Adami principaliter missus, perfectissimè Patri satisfecit; & superabundanter meruit, vt totum genus humanum à captiuitate liberaretur: vnde gloriam Christi, bonitatem & liberalitatem Patris decet, vt de facto auxilia conferantur, quibus tota natura humana, si velit à captiuitate liberetur. Præterea S. Paulus pro parte Adami non solum eius peccatum, aut demeritum; sed etiam damna inde in totum genus humanum de-

deriuata ponit: ait enim : *Si enim vnius delicto multi mortui sunt*; ergo in alio extremo comparationis , merita Christi , & eius fructus in naturam emanantia, adhiberi debent , vt comparatio iusta sit ; alioquin superfluè Paulus damna secuta ex Adamo commemorasset ; siquidem ad finem intentum sat erat dicere, merita Christi demerito Adami potentiora & longè validiora esse. Adhæc , Apostolus non solùm merita cum demeritis , sed mortem deriuatam ex Adamo, cum dono & gratia Dei collata in gratia Christi, componit (vt patet ex verbis , & rectè noster Cornelius adnotauit) sed gratia & donum datum per Christum, sunt auxilia, & effectus ex passione Christi dimanantes, vt liquet ; ergo comparatio , non solùm inter merita ; sed etiam inter effectus Christi, & Adami , est. Denique, vt optimè obseruauit noster Celada supra n. 25. Paulus, ne Romani visis damnis ex Adamo secutis, desperarent ; eos ad sperandam victoriam tentationum, & acquisitionem sanctitatis & gloriæ per Christum, præfatis verbis mouere intendit; & ideo S. Leo epist. 83. & serm. 12. de passione , & alij multi Patres , ad præfatum finem dictum locum adducunt. Enimuero si Paulus non de effectibus passionis Christi , sed de solo valore illius meminisset, intentum non assequeretur ; quilibet enim respondere posset: Scio merita Christi esse infiniti valoris, tamen quia merita medijs auxilijs & fructu ex passione , in genus humanum deriuatis tantùm nobis prosunt , si hæc , quàm damna secuta ex Adamo , abundantiora de facto non sunt, meritò salutem desperare possum.

Celada.

S. Leo.

29. *Merita Christi & eorum fructus cum demeritis Adami, & eorum damnis à Paulo componuntur.*

Quapropter ad præfatam secundam difficultatem respondeo: Paulum non solum merita cum demeritis , sed etiam fructus illorum à genere humano re ipsa participatos, composuisse , & asseruisse , Christum, quoad merita & effectus gratiæ , de facto omnibus & singulis hominibus collatos , validiorem esse ad nostram libertatem, quàm Adami peccatum , & detrimenta inde secuta fuerunt ad nostram captiuitatē. Huic explicationi ex parte fauent omnes, qui in hoc loco comparationem fieri , non inter totum genus humanum infectum & redemptum , sed inter partem & partem illius esse dicunt. Idem sentiunt Cornelius hîc , & Salmeron disput. 41. & multi alij , dum varios casus enumerant , in quibus gratia & auxilia per Christum nobis impertita , validiora ad nostram libertatem sunt , quàm delictum Adami ad nostram perditionem. Præfatam interpretationem esse germanam patet , tum ex dictis suprà numero 28. contra priorem

Cornelius. Salmeron.

rem Vasquez , & Suarij interpretationem; tum ex versu 16. & 17. imò ex reliquo capite 5. vbi fructus meritorum Christi , cum fructu peccati Adami comparantur.

30. *Enucleatur, quomodo gratia data per Christū validior sit ad salutem, quàm damna orta ex Adamo ad perditionem.*

Tertiò ambigebatur, quomodo gratia omnibus & singulis hominibus per Christum donata, validior sit ad nostram libertatem , quàm fuerit debitum seruitutis. Cui difficultati respondere nequeunt Doctores , qui sentiunt plures ex paruulis , qui in vtero materno moriuntur , omni auxilio sufficienti ad salutem esse destitutos. Vnde, ne hâc difficultate obruantur, cum Patre Vasquez negant hîc effectus Christi cum effectibus Adami fuisse comparatos ; at qui sentimus auxilia sufficientia ad salutem fuisse omnibus & singulis hominibus proximè vel remotè per Christum impertita , facilè ab hâc difficultate extricabimur. Asserimus ergo , donum libertatis validius esse debito seruitutis ; quia omnibus & singulis hominibus proximè vel remotè auxilia, saltem sufficientia, per Christum collata sunt ; quibus , si voluntas nostra in adultis , & in paruulis voluntas aliena vellet ; à captiuitate eximus: (vnde ex hoc loco suprà cap. 4. numero 22. ostendi nullum paruulum fuisse omni auxilio ad salutem necessario destitutum , sed omnibus & singulis fuisse in Adamo collatum.) Hunc esse sensum legitimum huius loci , suadent tres summi Pontifices, Caius, Agapitus , & Magnus Leo suprà numero 23. citati: hi enim meritum & gratiam Christi , demerito Adami & eius damnis, cum Paulo in præsenti loco præferentes, aiunt hanc excellentiam in eo consistere , quòd meritum & gratia Christi omne præcipuè iam adultos , & compotes rationis in eo statu constituant , vt, si velint , iustificari , & consequenter à captiuitate diaboli exire valeant. *Cùm sub peccati præiudicio nati* (S. Leonem serm. 12. de passione & in epist. 83. & duos alios Pontifices loco citato , audis) *potestatem acceperint in iustitiam renascendi ; validius donum factum est libertatis , quàm debitum seruitutis.* Cæterùm auxilia , saltem sufficientia , omnibus & singulis hominibus proximè vel remotè per Christum donata , eos in eo statu constituerunt , vt si voluntas illorum , aut Adami accederet , omnes iustificarentur, & à captiuitate liberarentur : ergo iuxta tres summos Pontifices gratia Christi nobis re ipsa proximè vel remotè collata , validior est debito seruitutis. Et ratio est ; nam ad hoc vt amicus ad restituendum amico libertatem amissam , validior fit , quàm fuit inimicus ad illum incarcerandum ; non requiritur quòd

Caius. Agapitus. Leo.

amicus amicum inuitum è carcere efficaciter educat ; sed sufficit quòd illum in eo statu reponat, vt non obstantibus inimicorũ insidijs & violentiâ, si velit, possit liber abire. Hoc Christum cum genere humano effeciſſe , aio; nam licèt nos omnes inuitos à captiuitate diaboli efficaciter non liberauerit ; dedit tamen nobis omnibus auxilia saltem sufficientia, quibus, si vellemus, à captiuitate intrusa per peccatum Adami , vendicaremur : vnde meritò Christi auxilio validiora ad libertatem, quàm Adami delictum ad seruitutem, esse dicuntur.

31. *Corollariũ de noblitate auxiliorum sufficientiũ omnibus reprobis concessorum per Christum.*

Ex quo iterum deduco , auxilia sufficientia ad salutem paruulis mortuis in vtero materno, non esse cogitationem, quâ mater grauida extra domum fulmine tangenda , præuenitur , ne domo egrediatur , vt voluerunt Suarius , & alij suprà cap. 4. n. 21. citati ; sed auxilium datum Adamo post præuaricationem, per merita Christi , ad hoc vt pœniteret ante prolationem sententiæ , vt asseruimus suprà n. 22. Nam auxilium & potestas, quâ per Christum potentes redire ad sanctitatem constituimur, multò abundantior & excellentior appellatur , quàm fuit debitum carendi præfatâ potestate incursum per culpam Adami, vt constat ex prædicto testimonio; sed non cogitatio illa , quâ præuenta fuit fœmina grauida, ne ex suâ domo egrederetur ; sed auxilium supernaturale , quod tradidimus collatum fuisse Adamo ad pœnitentiam efficiendam ante prolationem sententiæ , excellentius , & abundantius donum fuit, quàm illud , quod perdidimus in Adamo, seu quàm debitum seruitutis ; ergo præter præfatam cogitationem paruulo præfato in suâ matre concessam, præfatum auxilium in Adamo admittendum est. Minor probatur , tum quia illa cogitatio data fœminæ grauidæ ad manendum domi , non est supernaturalis , sicut fuit auxilium datum Adamo ad transfusionem iustitiæ originalis; tum quia præfata cogitatio nos absolutè & simpliciter non reddit potentes ad susceptionem baptismi : & consequenter ad iustificationem; siquidem etiam si illa fœmina domi mansisset, plura alia euenire debuissent , vt tandem præfatus paruulus baptizaretur ; nempe quòd alia infortunia illi non accidèrent , quod nato iam paruulo aqua non deesset , & assisteret aliquis , qui posset & vellet præfatum paruulum aquâ salutari abluere ; quod clarè persuadet illud auxilium matri datum ad iustificationem sui fœtus non exuberantẽ gratiã, sed valdè debilem & diminutã esse. At auxiliũ datum Adamo ad pœnitendum ante prolationem sententiæ, supernaturale fuit , & superabundans, licèt inefficax ; insuper per illud constituti sumus in Adamo simpliciter potentes ad exeundum ex periculo captiuitatis; siquidem si ille vellet pœnitere, nulla alia res extrinseca requireretur ad hoc vt libertatem acquireremus.

32. *Nouum dubium excitatur.*

Denique ad plenam intelligentiam præfati testimonij , aliam difficultatem ex dictis consurgentem , tractare placet ; quia nostro instituto valde deseruit: an, inquam , merita & gratia generi humano attributa , validiora fuerint ad reparandam mortalitatem, rebellionem appetitus , & priuationem iustitiæ originalis; quàm fuit peccatum Adami ad prædictorum malorum introductionem ; vel solùm fuerint validiora ad recuperandam sanctitatem & gloriam , & consequenter auxilia , quibus eam acquiramus ? Et licèt communiter Doctores asserant , gratiam collatam generi humano per Christum, solùm exuberare in ordine ad sanctitatis & gloriæ acquisitionem , non verò ad cæterorum malorum exilium;

33. *Resoluitur dubium in fauorem gratiæ, & meritorum Christi.*

Nos consequenter ad ea, quæ in hâc, & præcedenti disputatione tradidimus , asserimus iuxta Paulum in præfato testimonio, Christi merita & gratiam generi humano in Adamo post præuaricationem donata , validiora esse peccato Adami , non solùm ad consecutionem sanctitatis & gloriæ , sed etiam immortalitatis vitæ animalis , & aliorum bonorum statum pristinum iustitiæ originalis comitantium. Hanc esse germanam expositionem præsentis testimonij multa suadent. 1. Paulus absolutè ait , gratiam per Christum omnibus hominibus donatam , multò magis, quàm delictum Adami abundantiorem esse: sed si solùm gratia Christi ordinaretur ad restitutionem sanctitatis, præfata gratia non absolutè & simpliciter, sed respectiuè seu secundùm quid, præ delicto Adami exuberasse diceretur ; siquidem non omnia mala per peccatum Adami intrusa , sed solùm aliqua è medio tollere potuisset. Declaratur, & pariter confirmatur discursus : Paulus , secundùm aduersarios , gratiam Christi peccato Adami validiorem esse absolutè pronuntiat ; quia ea , non obstanti delicto Adami , nobis potestatem præbet ad sanctitatis recuperationem ; sed peccatum Adami non solùm ab statu sanctitatis , sed etiam immortalitatis, & iustitiæ originalis, nos deiecit ; & aliundè neque merita Christi , neque gratia inde deriuata , vires præbere possunt ad illorum bonorum recuperationem , vt prædicti Doctores sentiunt ; ergo sicut ob priorem causam , donum Christi validius peccato Adami censetur; ita per

posteriorem causam, peccatum Adami validius gratiâ Christi absolutè diceretur: vnde etiam præfatum testimonium sic inuertere possemus (vt arguebamus suprà :) *Non sicut donum ita & delictum : si enim vnius dono multi liberati sunt à captiuitate diaboli : multò magis delictum abundabit :* Neque obstat si dicas, quòd licet merita Christi ad recuperationem prædictorum bonorum , vires nobis non contulerint, plurima alia & ingentia bona, (quorum longum catalogum in Cornelio & Salmerone reperies) nobis peperisse, quibus præfata mala intrusa per peccatum recompensantur; hoc, inquam , non satisfacit; nam licèt ingentia bona meritum & gratia Christi nobis impertierint ; tamen ea de facto multa & grauissima damna ex peccato Adami deriuata, tollere nequiuerunt. Vnde absolutè & simpliciter peccato Adami validiora non erunt. Finge, quæso, aliquem inimico paupertatem, infamiam, & denique infirmitatem doloribus plenam , intulisse;& quod Princeps misericordiâ motus, præfato homini non solùm diuitias, & honorem ablatum restituerit : sed ea longè magis auxerit; tamen quia sanitatem amissam non restituit, bonitas,& liberalitas præfati Principis validior, quàm malitia alterius absolutè & simpliciter non dicetur ; sed solùm secundùm quid; ita quia neque gratia Christi, neque ipse Christus ex vi præsentis decreti, valuit, secundùm præfatos Doctores, omnia damna ex Adami delicto deriuata, sed solùm aliqua tollere, absolutè & simpliciter validior delicto Adami non censebitur, licèt alia ingentia bona nobis largitus fuerit.

Cornelius. Salmeron.

Præterea Paulus versibus antecedentibus, præcipuè versu 12. inter damna secuta ex Adamo, priuationem sanctitatis, immortalitatis vitæ animalis,& denique status felicis, commemorauit,illis verbis: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranssit, in quo omnes peccauerunt*,vt explicuit Tridentinum sess. 5.cap.de peccato originali,can. 2. Sanè si Paulus noluisset denotare in versu 15. merita & gratiam Christi vires nobis præbuisse ad hoc vt omnia præfata mala à genere humano exularent,illorum mentionem non præmisisset ; siquidem præfata expressio solùm deseruiret ad hoc vt quisque obijceret comparationem inter robur & virtutem meritorum Christi,& Adami non esseadæquatam & legitimam ; cùm plura damna intrusa per Adamum, non fuerint per Christum sublata.

34. *Idem adstruitur.*

Trident.

Denique licèt mala alia ex Ada-

Iterum idē stabilitur.

Adamo deriuata,in comparationem præfatam non intrent ; at malum , cuius commemoratio expressa fit in comparatione, illâ ingredi debet ; vnde si quis ad exaggerandam bonitatem Petri v.g.præ malitia Pauli , sic loqueretur ; si Paulus Franciscum depauperauit , & infamem reddidit ; multò magis erga præfatum Franciscum bonitas Petri relucebit; absque dubio paupertas & infamia illata à Paulo in comparationem intraret ; & denotaretur, Petrum remedium potentissimum contra prædicta mala præfato Francisco impertiuisse : sed Apostolus in priori hemistichio huius versus, seu in priori parte comparationis,mortem seu mortalitatem causatam per peccatum posuit, ait enim: *Si enim vnius delicto multi mortui sunt,quantò magis gratia Dei , &c.* ergo mortalitas vitæ animalis per peccatum causata in comparationem præfatam intrat: & consequenter denotabitur Christum excellentius & validius remedium ad immortalitatem vitæ animalis , & alia bona amissa restaurandū generi humano,contulisse, quàm fuit potens culpa Adami ad præfatorum malorū introductionem. hoc proprietas verborum , si, vt sonant , sumantur; hoc ipsa comparatio, vt legitima & idonea sit ; hoc gloria meritorum Christi , & bonitas Patris exposcunt.

Ex dictis argumentum fatis robustum conficitur ad probandum , Adamum post præuaricationem , & ante sententiam contra primos parentes latam , potuisse perfectè pœnitere , & se cum suâ prole in statu iustitiæ originalis iterum collocare ; quia Christus non solum præfatam promeruit restitutionem , pro eaque sua merita applicuit ; sed etiam, vt mediâ pœnitentiâ dictum finem consequeretur, gratiam superabundantem , & auxilia valida, licèt inefficacia , illi à Patre de facto impetrauit , vt constat ex præsenti loco Pauli explicato ; ergo Adamus ante dictam sententiam resipiscere , & iustitiam originalem sibi , & propagini acquirere valuit; siquidem si prædicta in statum pristinum renouatio , ex vi alicuius decreti antecedentis simpliciter & absolutè impossibilis fuisset , neque Christus pro ea suam passionem Patri obtulisset, neque auxilia valida , licet sufficientia , in prædictum finem impendisset.

36. *Adamum post commissionem potuisse mediâ pœnitentiâ iustitiam originalem sibi & posteris recuperare deducitur.*

Obijcies difficile argumentū (quod Expositores & Theologos in varias huius capitis interpretationes distraxit, illosque coegit, ne verba , vt sonant , interpretarentur.) Adami peccatum nō solùm ipsum protoplastum , & eius posteros iustitiâ originali priuauit ; sed etiam eosdē efficaciter

37. *Difficilis obiectio proponitur.*

citer denudauit & infecit, quorum malorum exilium ab Adamo, & eius propagine Christus non meruit, neque in hunc finem gratiam vnquam contulit; ergo donum libertatis iuxta nostram expositionem, debito seruitutis simpliciter & absolutè validius non est. Declaratur: genus humanum in duas classes diuidi solet, prædestinatorum, inquam, & reproborum: sanè si respectu reproborum inter donum libertatis, & debitum seruitutis, comparatio fiat, debitum seruitutis dono libertatis longè validius de facto est; siquidem illud, hos, non obstante gratiâ Christi eis collatâ, captiuos retinet. Si verò sermo sit de prædestinatis respectu omnium damnorum ex culpâ Adami in eos dimanantium, vt volumus, nostra doctrina non subsistit: nam licèt præfati sanctitatem & gloriam tandem acquirant, tamen plura mala patiuntur in hac vita, quæ ne illi paterentur, Christus non meruit, neque in hunc finem auxilia adhuc sufficientia impendit v. g. ne præfati in culpam originalem inciderent, ne mortales sint, & similia; ergo donum seruitutis absolutè & simpliciter respectu omnium malorum per peccatum Adami introductorum, debito seruitutis validius non est.

Hoc argumentum, quod hactenus Doctores premebat iuxta nostram doctrinam, facilem habet solutionem. Asserimus ergo Adamum, dùm felix erat, fuisse à Deo præmunitum auxilio sufficienti, vt duo, v. g. quo posset præceptum impositum facilè obseruare, & tandem iustitiam originalem in posteros transmittere: verùm ipse præfato auxilio & donis receptis abutens, peccauit; quo factum est, vt prædicto auxilio, iustitiâ originali, immortalitate vitæ animalis, & nonnullis alijs donis statim spoliaretur. Cæterùm licèt iam Adamus miser esset, tamen munus personæ publicæ retinebat, & adhuc vt persona publica erat viator, (vt satis superque probaui disput. 5. capite 5. & sequentibus) & consequenter iuxta prouidentiam Dei ordinariam, tunc temporis pœnitere, & cum suâ prole in statum antiquum redire valebat. Ad hæc Christus Dominus, (qui post præfatam transgressionem fuit immediatè prædestinatus, saltem vt mortalis & redemptor) peccatum Adami, & periculum, in quo totum genus humanum versabatur, videns, Adami restitutionem cum suâ stirpe in statum felicem desiderauit; & in hunc finem suam sanctissimam mortem Patri obtulit, quo factum est, vt Pater meritis filij permotus contulerit Adamo vt personæ publicæ, auxilium inefficax; sed validius & præstantius, v. g. vt quatuor, quam habuit

Iuxta doctrinam auctoris præfata obiectio facilè soluitur.

habuit Adamus ad seruandum præceptum, quando peccauit, quo primus Parens, si vellet, resipiscere & ex illo misero statu in pristinum cum suâ progenie redire posset. Verùm Adamus hoc auxilio feliciori iterum abutens, se cum sua prole in tot miserias præcipitauit. Ex quo bene sequitur, donum libertatis debito seruitutis absolutè & simpliciter validius esse; siquidem auxilium per passionem Christi Adamo ad pœnitentiam præfatam, & restitutionem felicis status consequendam, validius & abundantius fuit, quàm auxilium, quod habuit Adamus ad obseruandum præceptum, quando deliquit; illoque facilè potuit pœnitere, & sic se cum prole in pristinum statum recipere, & omnia mala per suum peccatū incursa deuitare. Quòd autem id Adamus efficere noluerit, non ex defectu gratiæ, neque ex vi peccati commissi, sed solùm ex liberâ Adami voluntate ortum duxit. Declaratur: finge, Petro, v. g. centum millia ducatorum fuisse à Principe donata, vt eis negotiaretur, & ita suos filios diuites relinqueret; qui per suam negligentiam aut malitiam, illis ablatis à fure, miser & pauper cum suâ familiâ remaneret; sanè si aliquis amicus iterum eidem in præfatum finem ducenta millia ducatorum à Principe obtinuisset; præfatus amicus plùs amico profuisse, quàm fur obfuit, simpliciter & absolutè diceretur; etiam si præfatus Petrus postea ducenta millia ducatorum prædicta dissipasset; ita quia Christus à Patre obtinuit auxilium fortius & validius, licèt inefficax, quàm fuit illud, quod Adamus habuit, quando peccauit, quo primus parens negotiari priorem statum potuit; idcirco prædictum donum libertatis debito seruitutis validius absolutè & simpliciter censetur. Neque obstat, si dicas Adamum ante præuaricationem fuisse iustitiâ originali præmunitum, vnde auxilium ad pœnitendum, quod post transgressionem habuit, illo, quod antea habuit ad obediendum, præstantius esse non potuit. Hoc, inquam, non obest, nam vires auxiliorum ad operandum magis ex viuacitate cogitationis, & congruentiâ cum voluntate, quàm ex habitibus supernaturalibus desumuntur: quare cùm cogitatio concessa Adamo ad pœnitendum, viuacior, & voluntati magis congruentior, licèt inefficax, quàm ei data ad obediendum, esse potuerit; idcirco eam, licet inefficacem, valentiorem esse, quàm fuit cogitatio, quam antea Adamus habuit ad obediendum, asseueramus.

39. *Alia obiectio.*

Obijcies secundò, quamuis donum libertatis comparatum cum sola præuaricatione Adami, illâ validius sit; at si comparetur

retur cum præuaricatione, vt coniunctâ cum impœnitentiâ finali Adami, durante vsque ad prolationem sententiæ, fuit longè inualidius; siquidem positâ præuaricatione pariter cum dictâ impœnitentiâ, nullum adest remedium ad hoc vt in peccatum originale non incidamus, & immortalitatem vitæ animalis, & statum iustitiæ originalis amissum, recuperemus. Respondeo, Paulum in prædicto loco abundantem Christi gratiam cum delicto Adami vt personæ publicæ, & existentis in via, comparasse; non verò cum delicto Adami extra viam constituti; vnde cùm Adamus, iam positâ impœnitentiâ finali toties repetitâ, seu prolatâ iam illâ Genes. 3. sententiâ, *terra es*, viator publicus esse desierit; idcirco neque Christus post illam meruit vt Adamo iam damnato status pristinus iustitiæ originalis restitueretur; neque in hunc finem vllum auxilium contulit; & consequenter Paulus neque merita Christi neque eius gratiam cum peccato Adami durante post prædictam impœnitentiam comparauit; sed solùm cum peccati Adami adhuc viatoris publici existentis; & illo, & damnis inde secutis validius esse donum libertatis pronunciauit. Nam licet Christus, iam Adamo finaliter impœnitenti & extra viam transfundendi iustitiam originalem constituto, non meruerit, vt eidem status fœlix largiretur, meruit nihilominus vt eidem toto tempore quo viator publicus fuit, auxilia de facto conferrentur, quibus præmunitus statum felicem iterum recuperaret; quod (vt diximus) sat est ad hoc, vt donum libertatis debito seruitutis validius esse dicatur. Declaratur, licèt Christus nihil meruerit pro Iuda, vt iam damnato & in infernum ineuitabiliter detruso; tamen quia positâ eius proditione, meruit Christus, vt Iudæ auxilia impertirentur, quibus toto tempore, quo viator fuit pœnitere posset; donum libertatis debito seruitutis orto ex proditione Iudæ, validius fuit; ita quia Christus meruit auxilia, quibus Adamus tempore, quo vt persona publica viator fuit, perfectè conuerteretur, eius donum debito seruitutis orto ex peccato Adami vt viatoris, validius fuit, quamuis idem Christus Adamo vt personæ publicæ extra viam posito, restitutionem iustitiæ originalis non promeruerit.

Soluitur.

Genes.

Tertiò dices, Paulus comparat donum libertatis cum debito seruitutis, mortem in omnes posteros Adami inducenti; siquidem ait: *Si enim vnius delicto multi mortui sunt*; sed mors transiens in omnes homines, oritur ex peccato Adami iam extra viã positi vt personæ publicæ, seu post prolationem sententiæ, vt

40. *Alteri obiectioni fit satis.*

sæpè

sæpe repetiuimus disputatione præcedenti: ergo Apostolus comparat donum Christi cum delicto Adami, vt personæ publicæ, extra viam constituti, seu cum delicto Adami vt coniuncto cum impœnitentiâ finali. Respondeo, Paulum non comparasse donum libertatis cum peccato Adami, vt actualiter & ineuitabiliter mortem in mundum introduxit; sed prout potens erat ad illam introducendam, & ita sic Apostolus argumẽtatur: si delictum Adami fuit potens ad inficiendum genus humanum, idque mortale efficiendum; quantò magis Christus & eius gratia valida erunt ad illud viuificandum, & illud omnibus malis liberandum? Neque refert Paulum verbum, *mortui*, de præterito vsurpasse; nam iuxta modum communem loquendi, etiam Scripturæ, quod incepit fieri & citò finietur, factum reputamus; & ideo hominem animam agentem, mortuum appellamus; ita quia Adamus, quando peccauit, incœpit nostram perditionem; & hæc paulopòst secuta fuit; idcirco ex tunc omnes mortuos appellauit; non quia reipsa tunc mortales fuerint; sed quia paulopòst, nempe post prolationem sententiæ, futuri erant ineuitabiliter mortales.

41. *Dubium aliud mouetur, & resoluitur.*

Denique ad pleniorem notitiam eorum, quæ diximus, interrogabis, an donum libertatis comparatũ cum peccatis actualibus & originalibus, sit etiam validius illis. Et breuiter respondeo: si valorem meritorum Christi, cum demerito omnium peccatorum componamus, absque dubio hæc omnia ab illo longè superantur, cùm omnia peccata actualia & originalia hominum finita sint; & aliunde opera Christi vtpote theandrica, seu facta ab homine Deo, sint infiniti valoris; & ita Christus meruit vt omnia prædicta peccata dimittantur. At si gratiam per Christum datam singulis peccatoribus, cum præfatis peccatis componamus, est iterũ distinguendũ: vel loquimur de peccatis post quorum contractionem auxilia etiam sufficientia ad eorũ emundationem negata sunt, vt contingit multis paruulis morientibus in vtero materno; imò & adultis incidentibus in amentiam perpetuam immediatè post peccatum commissum; vel loquimur de alijs peccatis post quorum contractionem adhuc eius auctores auxilia habent ad pœnitentiam? Si de his posterioribus sit sermo, non solùm Christus, sed eius gratia in eos collata, validiora sunt prædictis peccatis; siquidem per ea constituuntur potentes ad hoc vt si vellent, è captiuitate egrediãtur. At si sermo sit de prioribus peccatis, non est vlla comparatio inter illa & Christi gratiam præfatis peccatoribus

donatam ; cùm supponamus Patrem ob sua inscrutabilia iudicia noluisse, etiamsi Christus illa meruerit, eis auxilia vlla impendere.

CAPVT VI.

Adamum potuisse in præfato tempore viæ pœnitere ; & ita cum sua prole in pristinum statum redire, varijs rationibus suadetur.

42. *Adamum post commissionem potuisse redire mediâ pœnitentiâ ad statum iustitiæ originalis ratione fulcitur.*

QVamuis ea, quæ ex libera Dei voluntate dependent, ex Scriptura, & Patribus præcipuè eruenda sint ; nihilominus eadem rationibus, & aliquando indicijs Doctores coniectare solent ; quæ sanè nostræ opinioni non desunt. Primò Angelis malis post præuaricationem tempus aliquod ad pœnitendum superfuit ; eisque in hunc finem aliquod auxilium fuit collatum, vt bene probant Suarius de Angelis lib. 8. cap. 1. Salmeron in epist. 2. S. Petri ad cap. 2. disput. 3. ergo etiam Adamus vt persona publica pœnitere, & sic ad pristinum statum redire valuit. Consequentia non solùm paritate, sed etiam Patrum auctoritate nititur : illi enim inter modum, quo Deus cum Angelis & hominibus se gerit, hoc discrimen agnoscunt ; nempe quòd Angelis nullum aut breue tempus ad recuperandum statum amissum, & hominibus maius largiatur ; idque varijs rationibus persuadent. Ita Damascenus 2. de fide cap. 3. Nyssenus lib. 1. Philosophiæ cap. 3. S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 5. aliàs 10. Chrysostomus homil. de Adam & Eua cap. 14. Cassianus collat. 4. cap. 14. Augustinus in Enchiridio cap. 29. Prosper in libro, cuius titulus est, *Dimidium temporis*, cap. 2. Vnde si Angeli potuerunt post transgressionem, in suum statum redire ; id etiam potuisse Adamum, dicere oportet. Neque satisfacies respondendo, Patres locutos de pœnitentiâ ordinatâ ad recuperationem solius sanctitatis ; non verò iustitiæ originalis ; nam rationes, quibus moti Patres asseruerunt, Adamo tempus concessum ad recuperandam sanctitatem, etiam probant fuisse ei tributum ad restaurandum statum iustitiæ originalis amissum, vt eas legenti in Vasquez. 1. p. disput. 239. cap. 7. constabit. Ad hæc, vel Adamus potuit mediâ pœnitentiâ recuperare saltem sanctitatem sibi & posteris, vel id non potuit ? Si prius dixeris, etiam valuit iustitiam originalem posteris comparare ; siquidem sub eadem conditione, nempe obedientia Adami, posteris immortalitas corporis, ac sanctitas fuit promissa ; vnde si Adamus pœnitendo eis sanctitatem acquirere valuit, etiam potuit eisdem immortalitatem,

Suarez. Salmeron. Damasc. Nyssen. S. Greg. Chrys. Cassian. August. Prosper.

& iustitiam originalem comparare. Si verò posterius respondeas, sequitur innumeros paruulos non potuisse sanctitatem recuperare ; siquidem illi omni auxilio fuissent destituti, vt arguebam suprà cap. 4. Vnde inter hos paruulos, & Angelos malos discrimen agnitum à Patribus non esset.

43. *Idem placitum aliter suadetur.*

Placet rationibus adductis coniecturam superaddere ad nostrum intentum probandum ; nempe iuxta nostram sententiam, misericordiam, bonitatem, & prouidentiam diuinam erga totum genus humanum valde relucere ; & iuxta contrariam opinionem præfata attributa ita latere, vt ea multi non videant. Equidem Hæretici nonnulli, quorum meminit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, capite 19. ex eo historiam Geneseos figmentum esse effutiunt, quia ea Deum in creatione & castigatione Adami inscium, infirmum, & bonitatis expertem facit : quippe si sapiens esset, casurum Adamum præcognosceret ; idcirco & eũ non crearet : si Deus bonus esset, eum, postquam cecidit, in pristinum statum iterum eleuare vellet ; & si hoc voluit efficere, & non est assecutus, eum infirmum esse, necesse est. Hæc argumenta iuxta nostram doctrinam ita euanescunt, vt ipsi Hæretici, si amentes non sint, id videre possint. Asserimus ergo Deum sapientissimum esse, & ideo per scientiam conditionatam præsciuisse, Adamum, si crearetur, casurum ; nihilominus eum creare statuit, vt diuinæ gloriæ suæ manifestarentur, vt in simili casu respondet Paulus ad Rom. 9. Præterea Deus Adamum iam miserum & peccatorem videns, vt omnipotens valuit, & vt bonus voluit eum cum sua stirpe in pristinum statum reuocare, ideo, vt ait S. Chrysostomus homil. 17. in Genes. festinauit, & Adamum, vt ante prolationem sententiæ pœniteret, & sic iustitiam originalem iterum adipisceretur, iam terrore, iam verbis suauibus, iam alijs miris modis adhortatus est. Verùm Adamus tot diuinis inspirationibus respondere noluit ; quod non ex Deo, sed ex voluntate Adami ortum habet. Ex quo apparet ex historiâ Genes. Deum non inscium, debilem, & malum ; sed potiùs sapientem, potentem, & valde bonum, & insuper iustum esse concludi. Sapientem, quia casum futurum Adami, antequam ille crearetur, Deus cognouit ; omnipotentem & bonum, quia saluâ hominis libertate, varijs modis & auxilijs sufficientibus primum parentem cum suâ propagine in statu pristino reponere procurauit ; insuper iustum, quia Adami visâ peruicaciâ, eum puniuit. Hoc discursu Augustinus serm. illo 19. de San-

Tertul. Chrys. August.

ctis, cuius verba retuli supra numero 8. satisfecit præfatis hæreticis. Cæterùm si statim ac protoplastus deliquit, pœnam ineuitabilem cum suâ posteritate incurrisset, vt vult opinio contraria; neque bonitas, neque Dei potentia ita eluxisset in prædicta historia. Neque obstat si dicas, præfata attributa, in eo quòd Deus Christum in remedium peccati prædestinauerit, satis superque relucere; quippe nos vtrumque volumus, nempe quòd præfata attributa tum aduentu Christi, tum collatione auxiliorum vt in pristinum statum rediremus, ostendantur: siquidem si Deus solùm misisset Christum, vt sanctitatem acquireremus, neque suam potentiam, neque bonitatem erga reductionem generis humani ad statum pristinum iustitiæ originalis, manifestassetur.

CAPVT VII.

Aliqua corollaria ex dictis deducuntur.

44. Quanam fuerit conditio totalis & adæquata ad transfusionem peccati originalis.

EX dictis sequitur, conditionem adæquatam & totalem (prout conditio dicit meritoriam & non meritoriam) sub quâ Deus mortem corporalem, & spiritualem posteris Adami comminatus est; non fuisse solam præuaricationem Adami, sed eandem vt coniunctam cum aliquo alio mox secuto, nempe impœnitentia, quæ fuit in vltimo termino viæ Adamo vt capiti concessæ. Hoc clarè persuadent tum testimonia, & rationes allatæ disputatio. 5. capite 5 & sequentibus; quibus ostendi viam Adamo, vt personæ publicæ, ad transmissionem peccati vel iustitiæ originalis, designatam, durasse vsque ad prolationem sententiæ; tum testimonia & rationes allatæ in hâc disputatione, capite 1. & sequentibus; quibus probaui Adamo post præuaricationem superfuisse tempus ad pœnitendum ante prolationem sententiæ; & sic ad statum pristinum cum sua prole redire potuisse; alioquin si sola præuaricatio fuisset conditio adæquata & totalis, sub qua Deus posteros priuatione iustitiæ originalis ineuitabiliter punire statuit; illâ positâ tempus viæ concessum Adamo ad transmissionem iustitiæ, omnino finitum fuisset; & Adamus ad statum pristinum redire nequiuisset (vt arguebam disput. 5. n. 34.) insuper hoc idem persuadet, quod disput. 7. capite 2. & sequentibus ostendemus ex Paulo, & Concilio Tridentino; nempe peccatum Adami, quando ipse deliquit, non fuisse nobis imputatum; sed paulò pòst, scilicet quandò sententia proferebatur; alioquin peccatum Adami, quando primò extitit in mundo, nobis

bis imputaretur; siquidem conditio adæquata, sub quâ Deus illius transmissionem fuit comminatus, fuisset purificata.

45. Corollarium. Secundò infero, si Adamus ante prolationem sententiæ, non se excusasset, sed pœnituisset, omnes eius posteros iustitiâ originali ornatos nascituros, vt Patres citati suprà disp. 5. cap. 5. & 6. apertè significant: & ratio est, nam iuxta dicta disput. 5. 6. imo &. 7. Deus promisit posteris Adami iustitiam originalem, si eorum primus parens non peccaret; aut casu quo peccaret, ante prolationem sententiæ pœniteret; cùm autem Adamus, iuxta hypothesim, tempore opportuno pœnituisset, & consequenter conditionem appositam adimplesset; idcirco Deus in illo casu stare promissis teneretur; & ideo posteris Adami iustitiam originalē impertiret.

46. Aliud corollarium Tertiò infero, in casu dictæ hypothesis, filios Adami non fuisse contracturos peccatum originale: nam conditio adæquata ad transmissionem peccati originalis, fuit peccatum Adami coniunctum cum impœnitentia durante vsque ad prolationem sententiæ (vt dixi suprà numero 44.) cùm autem in casu nostræ hypothesis impœnitentia non fuisset posita; idcirco peccatum in prædicto casu non transfunderetur. Confirmatur; nam peccatum originale, aut est priuatio iustitiæ debitæ, aut cum ea est necessariò coniunctum (vt omnes supponunt) sed in prædicto casu in posteris Adami non fuisset priuatio gratiæ debitæ; siquidem essent iustitia originali præditi (vt animaduerti suprà numero 45.) ergo ab illis peccatum originale longè abesset.

47. Alia illatio. Quartò deduco, iuxta hypothesim, posteros Adami debito quoque peccati originalis carituros: quippe debitum peccati originalis (vt diximus suprà disp. 1. numero 79.) est necessitas quædam orta ex comminatione diuinâ incidendi in peccatum originale; sicut debitum mortis est necessitas moriendi orta ex eodem principio; sed in casu hypothesis, non esset talis necessitas; siquidem tunc iustitiâ ornati necessariò conciperemur (vt dixi suprà n. 45.) ergo iuxta hypothesim, posteri Adami debitum peccati originalis nullatenus incurreremus.

48. Dubium nouum mouetur. Quæres, an in casu dictæ hypothesis peccauissemus in Adamo, & pœnas intentatas, instar ipsius Adami, saltem euitabiliter incurrissemus? Verùm quia quæstio grauissima est, & Marianæ, à peccato originali & eius debito, immunitatis fundamentum, ex professo disput. sequenti eam tractabitur.

CA-

CAPVT VIII.

Argumentis contra nostram opinionem satisfacit.

49. *Obiectio.* VAlidius argumentum contra dicta, tùm in hâc disputatione, tùm in præcedenti, ex illâ comminatione diuina Genes. 2. desumitur: *In quocumque die comederis ex eo* (ait Deus Adamo, & eius filijs) *morte morieris.* Quibus verbis Deus priuationem iustitiæ originalis comminatus est Adamo, & eius posteris, sub eâ solùm conditione, si ex fructu vetito comederet, vt cõstat ex verbis relatis. Vnde statim, ac Adamus comedit, conditio adæquata comminationis purificata est; & consequenter comminatio diuina facta fuit absoluta: sed positâ comminatione absolutâ, est impossibile quòd effectus non sequatur, vt patet; ergo positâ præuaricatione Adami, reditus ad statum pristinum iustitiæ originalis impossibilis fuit. Profectò si præfatum argumentum efficax esset, etiam contra plures Doctores, qui B. Virginem in pacto inclusam esse volunt; & pariter eam peccato originali liberam fuisse defendunt, militaret: hi enim communiter asserunt, non in eo signo quo visum est peccatum Adami. posteros eius maculatos præuisos fuisse; sed in alio signo, Christi passionem subsecuto; vnde asserere debent conditionem adæquatam ad transmissionem ineuitabilem peccati originalis, non fuisse solam præuaricationem Adami; sed eam vt coniunctam cum alio decreto diuino nolente post dictam præuaricationem cum posteris dispensare, idcirco, quia cum B. Virgine dispensatum est per merita Christi, ipsa peccatum non incurrit. Ita Vasquez 1.p.disput. 95. cap. 3. Becanus de Incar. cap. 1. q. 8. numero 3. fauet Lugo de Incarn. disput. 7. sect. 3. Sed quidquid sit de hoc: Ad argumentum respondeo, in verbis diuinis, in quibus aliquam pœnam, si aliquid fecerimus, Deus comminatur, ferè semper subintelligi conditionem, nisi pœnituerimus (vt suprà disput. 5. cap. 7. numero 45. ex Salmerone adnotabam.) Vnde Dauid, etiamsi eius filium habitum ex adulterio, in pœnam sui peccati moriturum, oraculo Prophetæ Nathan didicisset, tamen, ne ipse moreretur, Deum, orauit, & pro eâ re ieiunauit, vt constat ex lib. 2. Regum cap. 11. nempe quia sciebat communiter in comminationibus diuinis subintelligi illam conditionem, nisi pœnituerimus; & ignorabat, an in prædictâ comminatione, dicta quoque conditio subintelligeretur. Asserimus ergo illis verbis: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, vt ad posteros

Genes. Vasquez. Becanus. Lugo. *Responsio.* Salmeron. Lib. Reg. *Retorquetur obiectio*

ros directis iuxta stylum Scripturæ, subintelligi quoque illam generalem conditionem, *nisi tempore opportuno pœnitueris*: quapropter non obstanti prædictâ comminatione, Adamum post delictum in pristinum statum iustitiæ cum suâ prole redire potuisse, asseueramus.

50. *Alia obiectio.* Obijcies secundò, quamuis in aliquibus comminationibus diuinis illa conditio, *nisi pœnitueritis*, inuoluatur (vt ostendimus) in alijs tamen eam non subintelligi, certum, aut saltem probabilius est, vt contigit in comminatione mortis filij adulterini Dauid per Prophetam Nathan intimata; vnde iuxta phrasim Scripturæ, illa comminatio directa ad posteros Adami, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, ex se indifferens est ad hoc vt in ea subintelligatur, aut non subintelligatur illa conditio, *nisi pœnitueris*; ex quo sequitur in hac comminatione non esse subintelligendam illam conditionem, *si pœnitueris*, sed eam, vt sonat, accipiendam. Si enim (teste S. Thom. S. Thoma 1.p.q.101.art. 1. & q. 18. de Veritate art. 7.) nihil pertinens ad ordinem rerum supernaturalium, concedendum est, vbi nulla legitur auctoritas vel necessitas; & aliunde nulla sit auctoritas, vel necessitas, quæ nos ad subintelligendum præfatam conditionem in prædictis verbis, cogat; idcirco ea, vt sonant, exponi, & in eis nullam conditionem, saltem ex parte Adami, apponendam, subintelligi oportet.

51. *Obiectioni fit satis.* Respondeo, plures causas adesse, cur in præfatis verbis comminatorijs illa conditio, *nisi pœnitueris*, subintelligenda sit. 1. quia vt dicebamus numero 43. hoc decet bonitatem diuinam: 2. quia, Patres citati disp. 5. cap. 5. innuunt, si Adamus non se excusasset, sed humiliter suam culpam manifestasset, cum à paradiso non exulaturum. 3. quia alij Patres citati eâdem disput. cap. 6. & 7. aiunt, Adamum, non quando peccauit, sed quando sententiam audiuit, cum suis posteris pessum iuisse. 4. quia Patres & Scriptura, & rationes allatæ in hac disp. 6. capite 2. & sequentibus, valdè persuadent, Adamum ante prolationem sententiæ potuisse pœnitere, & in pristinum statum cum suâ prole redire: 5. quia, vt ex Scriptura, & alijs fundamentis ostendemus disput. sequenti cap. 2. & sequentibus; peccatum Adami, non quando ipse deliquit, sed horâ v.g. nonâ, quando sententiam audiuit, fuit nobis imputatum. Cùm autem hæc omnia subsistere nequeant, si in præfatis verbis comminatorijs illa conditio, *si non pœnitueris*, non subintelligatur, vt patet; idcirco eam in illis subintelligendam esse oportet.

Tertiò adhuc instabis, in illis verbis

52. *Alia oppugnatio.*

verbis comminatorijs, vt directis ad personam Adami, non subintelligitur illa conditio, *si non pœnituerit*; & ideo (vt constat ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali can. 1.) ipse statim, ac præuaricatus est, iustitiam originalem amisit, & mortem animæ, & corporis incurrit; ergo in eisdem, vt directis ad posteros, dicta conditio non subintelligetur. Absurdum enim est eandem comminationem, eisdem prorsus verbis prolatam, respectu vnius, vt sonat, accipere; & respectu aliorum Scholijs. & additamentis nouarum conditionum interpretari. Sanè hoc argumentum, sicut & præcedens, si efficax esset, plures Theologos vnà prosterneret: aliqui enim asserunt conditionem adæquatam ad transmissionem mortis & peccati in posteros, non solam culpam Adami, sed eandem, vt coniunctam cum Euæ præuaricatione, esse (vt vidimus suprà disput. 4. n. 6.) hi enim fateri tenentur, præfatam comminationem respectu Adami, & posterorum diuerso modo esse exponendam; siquidem iuxta præfatam opinionem, si solùm Adamus, & non Eua comedisset fructum vetitum, ipse solus, & non posteri, iustitiam & sanctitatem amisissent. Insuper Vasquez, & Becanus, & Lugo suprà numero 49. citati, & Suarez 1. 2. tract. de peccatis disput. 9. sect. 4. & alij communiter, vt locus maneat ad B. Virginem eximendam à pacto, & eam liberandam à peccato originali, aiunt, in eo signo, quo peccauit Adamus, eius posteros priuationem sanctitatis, aut mortem animæ infallibiliter, & efficaciter non incurrisse; sed in alio signo posteriori. Vnde etiam hi Doctores coguntur præfatam comminationem respectu Adami, & posterorum diuerso modo explicare; siquidem Adami culpa ipsius auctorem statim sanctitate denudauit, & ei mortem animæ efficaciter inflixit; & posteros in eo signo, quo peccatum Adami præuisum fuit, præfata culpa non inimicos Dei, & animâ mortuos; sed morti spirituali & corporali solùm obnoxios reddidit.

Trident.

Vasquez. Becanus. Lugo. Suarez.

53. *Oppugnationi respondetur.*

Quapropter respondeo, conditionem adæquatam comminationis diuinæ respectu Adami, fuisse præuaricationem; at respectu posterorum fuisse ipsam vt coniunctam cum impœnitentia declarata. Neque mirum, cùm Adamus physicè peccauerit, & eius posteri præceptum non fuerint verè & propriè transgressi per aliquem suum concursum. Neque est inconueniens, quòd eadem comminatio eisdem verbis declarata, respectu diuersorum diuersimodè exponatur; siquidem sunt magna fundamenta ad prædictam interpretationem. Quippe ad asserendum conditionem adæquatam mortis spiritualis & temporalis Adami, fuisse eius peccatum: suadet tum natura peccati, quæ sanctitati contrariatur, tum Tridentinum suprà; attamen præfatum peccatum non fuisse conditionem adæquatam respectu mortis corporalis & spiritualis posterorum, denotant testimonia, & rationes hactenus allatæ, & ea, quæ infrà disput. 7. adducemus. Vnde cùm auctoritas, & ratio cogat ad prædictam interpretationem præfatæ comminationis, vitium non est eam diuersimodè respectu Adami, ac posterorum interpretari. Cæterùm quia forsan aliquis absurdum esse iudicabit, eadem verba ad Adamum & eius posteros directa diuersimodè respectu illorum exponi, aliam solutionem dabo infrà disput. 7. n. 60.

54. *Alia obiectio dissoluitur.*

Genes.

Trident.

Quartò obijcies caput 2. Genes. vbi primi parentes, vbi primùm peccauerunt, oculos aperuisse, suam nuditatem agnouisse, erubuisse, & à facie Dei fugisse dicuntur: ex quo Interpretes communiter eos statim ac peccauerunt, iustitiâ originali fuisse denudatos, concludunt. Quod perspicuis verbis, loquens de Adamo definiuit Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, can. 1. Hoc argumentum nos parum premit; siquidem non negamus Adamum statim ac deliquit, iram Dei, mortem animæ & corporis incurrisse, & iustitiam acceptam sibi amisisse; sed cum Concilio Tridentino confitemur, prædicta mala Adamo statim, ac peccauit, accidisse; solùm superaddidimus in hac & præcedenti disputatione, prædicta incommoda vt ineuitabilia, statim ac deliquit Adamus, non subijsse; & ita eum illa à se, & posteris per pœnitentiam opportuno tempore factam, expellere potuisse. Cui propositioni neque Moses cap 2. Genes. neque Concilium Tridentinum vllatenus contradicit; siquidem neque in Concilio, neque in cap. 2. Genes. est aliquod verbum, quod innuat, pœnas præfatas statim ac peccauit, ab Adamo incursas fuisse ineuitabiles; sed potiùs contrarium significarunt, vt dicebam disput. 5. cap. 7. numero 45.

55. *Obiectio ex Paulo desumitur.*

Quintò obijcies Paulum ad Rom. 5. & sæpe alibi attribuentem generis humani corruptionem & peccatum præuaricationi Adami, quod etiam Tridentinum suprà, & Patres, & omnes Theologi, & Interpretes faciunt; ergo præuaricatio Adami fuit conditio totalis & adæquata nostræ mortalitatis & corruptionis; alioquin si dicta inobedientia Adami simul cum impœnitentia, conditio adæquata nostrorum malorum esset, ea non soli præuaricationi, sed eidem & impœnitentiæ adscriberetur.

Explicatur Paulus.

Respondeo, licet prævaricatio Adami & eius impœnitentia toties repetita, conditionem adæquatam ad transmissionem ineuitabilem peccati componant; attamen inter has compartes magnum discrimen intercedit: quippe prævaricatio seu comestio Adami de fructu vetito (vt ostendi suprà disput. 4. cap. 4. & 5.) fuit causa toralis meritoria præfatæ pœnæ; at impœnitentia, cùm ad illam non concurrat vt peccaminosa, sed vt negationem physicam pœnitentiæ inuoluit (vt dicebamus suprà disp. citata numero 76.) idcirco prædicta pœna soli prævaricationi attribuitur. Sicut enim quia impœnitentia finalis reproborum multoties peccatum non est, eorum condemnatio, non huic, sed peccatis præcedentibus adscribitur; & ita Christus nullâ impœnitentiæ illorum mentione factâ, dicet in die iudicij, teste Matthæo cap. 25. *Esurui enim, & non dedistis mihi manducare*; eodem modo quia impœnitentia præfata Adami non concurrit necessariò vt libera & peccaminosa, sed vt solùm inuoluit priuationem veræ pœnitentiæ; idcirco non huic, sed soli prævaricationi, nostræ miseriæ tum à Paulo, tum à Concilio, tum à Patribus attribuuntur.

Matthæus.

56. Sexta obiectio.

Sextò obijcies, Christus Dominus fuit prædestinatus vt mortalis, statim ac peccauit Adamus (vt disput. 1. cap. 5. numero 95. iuxta communiorem sententiam propugnauimus) ergo si Adamus, ob mortem eius præuisam, auxilia efficacia recepisset, quibus pœniteret, & rediret cum suâ prole in statum iustitiæ originalis, adhuc Christus moreretur; siquidem Christo mortuo semel præuiso, eum non morituru repugnat. Consequens est absurdum, tùm quia nos tunc immortales essemus, & nobis immortalibus existentibus, Christum mortem subiturum dedecere videtur; tùm quia in casu dictæ hypothesis, omnes iustitiâ originali ornati certissimè conciperemur; sed si iustitia originalis transmitteretur, essemus cõfirmati in gratiâ, & consequenter impeccabiles; & ita nullus, qui Christum cruci affigeret, inueniretur; vnde ille non moreretur: quod præfato decreto contradicit. Etiam prædictum argumentum militat contra Vasquez, Becanum, Suarium suprà citatos, & multos alios: illi enim, vt vidimus, sentiunt Christum ante visum originale peccatum; & consequenter pœnas comminatas, in posteris contractum, fuisse vt mortalem, imò vt mortuum præuisum; vnde aiunt, illum suâ morte potuisse omnes à peccati, & consequenter aliarum pœnarum comminatarum incursione liberare: potuit ergo contingere, etiam suppositio pacto

Infirmatur obiectio. Vasquez. Becanus. Suarez.

cto inito cum Adamo, & eius prævaricatione, vt nobis immortalitas corporis, imò tot auxilia efficacia per mortem Christi impenderentur, vt nullus peccaret; in quo casu immortales, & quodammodo per auxilia specialissima impeccabiles essemus; & nihilominus Christus moreretur.

57. Solutio obiectionis.

Respondeo ergo in casu dictæ hypothesis, nobis immortalibus existentibus Christum morituru: in quo nulla indecentia, sed argumentum immensæ charitatis Patris & Christi apparet; siquidem vt nos vitâ animali immortali, & vitâ spirituali æternâ viueremus, Christus mori voluisset. Neque hunc discursum eneruat illud, quod in argumento addebatur; scilicet tunc homines, vtpote iustitiâ originali ornatos, futuros impeccabiles; & ita nullum futurum fuisse, qui Christum occideret; tum quia Suarius lib. 5. de Opere sex dierum, cap. 9. n. 3. Scotus in 2. dist. 20. Pereira lib. 4. in Genes. quæstione de procreatione mulieris ad illud, *non est bonum hominem esse solum*, & alij communiter tradunt, futura personalia peccata, etiam si iustitia originalis in posteros transmissa fuisset; vnde qui tunc Christum occiderent, reperirentur; tum quia data impeccabilitate posterorum, Deo modus non defuisset ad hoc vt Christus nullo intercedente peccato, moreretur, vt bene Becanus de Incarnat. capite 1. quæst. 9.

Suarez. Scotus. Pereira.

Becanus.

58. Suario respondetur.

Præterea obijcies ex P. Suario, pœnitentia facta extra paradisum, esset eiusdem naturæ & speciei cum pœnitentia, quæ ante prolationem sententiæ fieret ab Adamo; sed illa non restituit iustitiam originalem; ergo neque hæc illam restituere potuisset. Respondeo, negando paritatem; nam pœnitentia ante prolationem sententiæ facta, ab Adamo vt viatore publico, seu vt capite generis humani oriretur; at quæ facta est ab Adamo iam exule, ab illo non vt viatore publico, sed vt à personâ particulari ortum duxit. Vnde sicut licèt opera viatorum, & comprehensorum sint eiusdem naturæ; non hæc, sed illa sanctitatem augent; ita non pœnitentia extra paradisum facta, sed quæ ante prolationem sententiæ fieret, nobis iustitiam originalem comparasset.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An culpa Adami toto illo tempore vitæ, eidem ad transfusionem iustitiæ originalis concesso, quod inter eam, & prolationem sententiæ interiacuit; fuerit nobis imputata?

1. *Tempus, in quo Adamus paradisum inhabitauit, in tria spatia diuiditur.*

TRia tempora in historiâ Adami ad nostrum institutum pertinentia, realiter distinguere oportet: aliud, in quo peccauit Adamus, & de fructu vetito comedit: aliud extremum, in quo impœnitens inuentus, sententiam condemnationis audiuit; & aliud inter duo præfata medium, in quo se nudum aspexit Adamus, folijs se cooperuit, & tandem se excusauit. & claritatis gratiâ, primum, horam tertiam; secundum, horam sextâ; & tertium, horam nonam appello. Et certum est, peccatum Adami saltem horâ nonâ, seu datâ sententiâ, fuisse nobis imputatum; siquidem id Moyses Genes. 3. & Patres disp. 5. cap. 6. & 7. citati, apertè significarunt. Et ratio est, quia ab illo tempore vt minimum, Adamus viatoris publici munere defunctus est (vt ostendi disp. citatâ.) Quare cùm Adamus ad inficiendam naturam, persona publica, seu viator publicus esse debuerit; idcirco naturâ saltem horâ illâ nonâ, fuisse corruptam, & peccatum Adami nobis imputatum, necesse est. Quod solidius apparebit, si aduertas, non esse assignabile aliud tempus distantius à præuaricatione, in quo culpa Adami inceperit nobis imputari.

Genes.

2. *Difficultas aperitur.*

Difficultas ergo est, an peccatum Adami fuerit nobis imputatum, statim ac ipse deliquit, ita vt horâ tertiâ & sextâ nos peccatores, & in Adamo peccasse, verè & propriè dici possimus? vel solùm ab horâ nonâ, seu à sententiæ prolatione, peccatores denominemur; & consequenter tempore illo medio inter inobedientiam Adami & prolationem sententiæ, neque peccatores fuisse, neque in Adamo peccasse, neque pœnas comminatas incurrisse censeamur?

CA-

CAPVT I.

Variæ sententiæ referuntur, & inter eas probabilior eligitur, & declaratur.

3. *Prima opinio.*

PRima sententia asserit culpam Adami, statim ac ipse deliquit, fuisse nobis imputatam; ab eoque instanti nos peccatores fuisse, & in Adamo peccasse, & pœnas comminatas incuitabiliter incurrisse. Ita communiter supponunt recentiores, qui post præuaricationem Adami, eius reditum ad statum pristinũ iustitiæ originalis, ex vi pacti impossibilem fuisse arbitrantur.

4. *Secunda sententia.*

Secunda sententia aliorum recentiorum conuenit cum primâ in eo quòd à tempore, quo comedit Adamus fructum vetitũ, eius culpa fuerit nobis imputata, & pœnas cõminatas incurrerimus: dissentit tamen ab ea in eo quòd ait, illas pœnas non fuisse à nobis ineuitabiliter incursas; sicut enim Adamus ita peccauit & pœnas incurrit, vt si postea pœniteret, à peccato & eius pœnis totaliter liberaretur (vt diximus disp. 6.) ita posteri Adami in dictâ horâ tertiâ cum Adamo peccarunt, & ita pœnas incurrerunt, vt si postea Adamus pœniteret, ipsi quoq; in eo pœniterent, & à peccato commisso, & eius omnibus pœnis eximerentur.

Tertia sententia mihi probabilior asserit, peccatum Adami non fuisse nobis imputatum vsque ad horam nonã, seu vsque ad prolationem sententiæ. Vnde toto illo tempore interlabente inter gulã Adami, & prolationẽ dictæ sententiæ, nos neq; peccauisse in Adamo, neq; peccatores fuisse, neq; pœnas comminatas etiam euitabiliter incurrisse, censemur. Hanc opinionẽ primus in S. Paulo inuenit meus frater P. Magister Didacus de Penalosa plurium Collegiorũ nostræ Societatis sæpe Rector, & sanctæ Inquisitionis meritissimus Censor; eamq; doctissimi viri, cum quibus rem cõmunicaui, verã, vel saltẽ probabilem esse dixerunt. Vnde in nostro Collegio Complutensi aliqui docti Theologiæ professores, eã cũ plausu illius celebris Vniuersitatis in publicis thesibus propugnarũt.

5. *Tertia opinio probabilior.*

P. Didacus de Peñaloſa.

CAPVT II.

Culpam Adami non fuisse nobis imputatã, statim ac commissa fuit, sed post aliquod spatium temporis, probatur ex Paulo.

6. *Circa locum Pauli tria dubia difficilia mouentur.*

POstquam Apostolus ad Rom. 5. ver. 12. de peccato Adami, in quo omnes deliquimus disputauit (vt Concilium Mileuitanũ, can. 2. & Africanum can. 77. & Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, can. 2. interpretantur) immediatè ver. 13. subiungit: *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum*

autem non imputabatur, cùm lex non esset. Circa quem locum tria præcipuè dubia occurrunt, in quorum solutione interpretum ingenia strenuè hactenus desudarunt. Primum est, de quonam peccato sermo sit? Secundò ambigitur, quænam sit illa lex, de quâ ait: *Vsque ad legem peccatum erat in mundo*? Tertiò quî fieri potuit, vt peccatum esset in mundo, & tamen non imputaretur, quia non erat lex; cùm omne peccatum, dum existit, verè imputetur, & legem illud vetantem præsupponat?

7. *Expositio communis refertur.*

Pauli Commentatores varias præfatis difficultatibus solutiones adhibent: tamen quia omnes ad vnicam vniuersaliorem expositionem reduci possunt; hanc referre & impugnare placuit; vt inde nostra interpretatio magis eluceſcat. Aiunt ergo primò, Paulum his verbis de peccatis originalibus in stirpe Adami iam contractis; vel de peccatis actualibus ipsorum posterorum, sermonem instituisse. Secundò asserunt, per legem, vsque ad quam peccatum non imputatum durasse dicitur, intelligi vel Naturalem, vel Mosaicam, vel Euangelicam. Tertiò subiungunt, Apostolum culpam illam ante legem imputari negasse; quia ante legem homines instruentem de malitia peccatorum, ea neque ab illis puniebantur, neque cognoscebantur. Quapropter paraphrasis præfatorum verborum est: Peccatum personale, aut originale posterorum, erat in mundo ante legem Mosaicam v. g. & vsque ad illam durauit; tamen quia ante prædictam legem, peccati actualis, vel originalis fœditas, & grauitas ignorabatur; idcirco peccatum tunc temporis ab hominibus neque cognoscebatur, neque eis imputabatur ad pœnam; verùm adueniente lege Mosaicâ, cùm fœditas peccati siue originalis, siue actualis, hominibus nota fuerit, ideo peccatum, ante legem Mosaicam non imputatum, post ipsam, imputatum, punitum, & cognitum ab hominibus esse dicitur. Ita Cornelius à Lapide, Mariana, Hieronymus, Estius hic, Salmeron ibidem disp. 40. & alij communiter. Cornelius, Estius, Salmeron.

8. *Apostolus in hoc testimonio non agit de peccatis originalibus, aut actualibus posterorum Adami.*

Hæc quidem expositio, & reliquæ eidem prope adsentientes, si acuratè discutiantur, plura inuoluunt, quibus assensum præbere difficile est. Primò difficile est in hoc versu 13. de peccatis personalibus, aut originalibus posterorum Adami mentionem fieri, cùm neutra instituto Pauli deseruiant. Apostolus enim in eo naturam peccati Adami, in quo omnes peccauerunt, & de quo sermo fuerat in versu immediatè antecedenti, declarare voluit (vt apertè tradunt. S. Chrysostomus ibi homil. 10. Chryf. Theophylactus ibidem, & S. Theophyl.

Thomas

S. Thom. Auguſt.

Thomas lec. 4. & probat Salmeron suprà ex Augustino lib. 1. de peccatorum meritis & remiſ. cap. 10) ad quem finem, quòd postea in posteris peccata personalia aut originalia essent ante legem Mosaicam v. g. hominibus ignota, & post ipsam ab eisdem cognoscerentur, & punirentur, nihil conducit.

9. *Idem suadetur.*

Præterea, peccato de quo hîc mentio fit, duæ proprietates veluti mutuò sibi repugnantes attribuuntur; altera quòd existeret in mundo vsque ad legem; altera quòd tunc non imputaretur, cùm lex tunc non esset. Sanè præfatæ duæ proprietates neque culpis personalibus posterorum Adami, neque eorum originalibus conuenire possunt: quippe cùm omne peccatum sit contra aliquam legem, teste Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 27. Ambrosio lib. de Paradiso cap. 8. S. Thoma 1. 2. q. 71. art. 6. quê omnes sequuntur; & insuper omne peccatum, dum existit, imputetur illud habenti ad pœnam (vt supponit Augustinus tom. 7. lib. de Perfect. iustitiæ contra Cælestium ratiocinatione 15.) idcirco omnia peccata posterorum, siue personalia, siue originalia, & legem aliquam antecedentem suppositisse, & illa habentibus imputata fuisse, oportet: vnde eis præfatæ duæ proprietates aptari non possunt.

Auguſt. Ambroſ. S. Thom.

10. *Solutio refertur.*

Respondebis, per non imputationem peccati, non quod vox sonat, sed ignorantiam peccati, esse intelligendam: vnde sensus illorum verborum, *Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*. est, ante legem Mosaicam v. g. peccatum non cognoscebatur, cùm lex illius fœditatem publicans abesset.

11. *Impugnatur solutio.*

Hæc, inquam, solutio nullatenus euacuat difficultatem: nam non solùm verbum, *imputo*, à propriâ & communiter receptâ significatione sine fundamento ad impropriam traducitur, sed etiam arma contra Catholicos hæreticis subministrari videntur. Enimuero Oecolampadius, Melancton, & alij huius fæcis homines, vt peccata per iustificationem non verè deleri defendant; ea solùm tegi, & non imputari ad pœnam effutiunt; & vt errorem semel conceptum stabiliant, varia Scripturæ loca, vbi peccata tegi, aut non imputari absolutè dicuntur, pro se adducunt. Catholici è contrario peccatum non imputari, aut peccatum tegi, idem in Scripturâ valere aiunt, ac peccatum iam non existere, & omnino à subiecto abesse; & ideo loca Scripturæ, in quibus absolutè peccata tegi, aut non imputari dicuntur, sibi patrocinari prædicant. Nam vt retulimus ex Augustino contra Cælestium, lib. de Perfect. iustitiæ, ratiocinat. 15. *Peccatum non est, quod non imputatur in* S. Aug.

pec-

Salmeron. *peccatum*. Legatur Salmeron ad versum 8. capitis. 4. epistolæ Pauli ad Romanos, disp. 32. Cornelius, & Mariana ibidem, Lorinus ad illud Psalmi 31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*. & Vasquez 1.2. disput. 202. cap. 5. Cæterùm si semel asserimus Apostolum absolutè dicentem: *Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset* solùm innuisse, peccatum ab hominibus non cognosci, aut non puniri; frustra hæreticis tela contra Catholicos suppeditabimus; siquidem ex hoc loco ad alia similia facilè transgredientur. Quapropter tutius, & contextui magis consentaneum esse videtur, illa verba: *Peccatum autem non imputabatur*, vt sonant, accipere, & ea de verâ & propriâ inexistentiâ peccati, quàm de eius ignorantiâ interpretari.

Cornelius. Mariana. Lorinus.

Vasquez.

12. *Iterum eadem responsio reiicitur.*

Insuper prædicta responsio, & expositio falsam supponit doctrinam; nempe ante legem, scilicet Mosaicam, peccatorum actualium, vel originalium fœditatem, & malitiam hominibus ignotam, & impunem fuisse. Etenim peccata personalia, non solùm à Deo ante legem scriptã, grauissimè puniebantur, vt diluvium mundi, ignis in Sodomam missus, calamitates Ægyptiorum, & alia sexcenta exempla persuadent; sed etiam (vt bene Salmeron suprà adnotauit) ea ab hominibus agnoscebantur vt culpæ; & idcirco legislatores ea prohibebant, & pœnâ mulctabant. Præterea ante legem scriptam, peccati originalis notitia quoque fuit, vt S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. aliàs 2. Bernardus epist. 77. S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. & eius interpretes supponunt, dum aiunt, remedium aliquod ad emundationem peccati originalis ante legem Mosaicam hominibus relictum fuisse. Addit Salianus tom. 1. Annalium, anno à creatione mundi secundo, n. 10. & 11. præfatum contra culpam originalem amuletum Adamo fuisse reuelatum; & per ipsum prædictam notitiam in posteros deriuatam, & meritò: nam, vt docuit S. Thomas 3. p. q. 70. art. 2. ad 1. protoplastus vtpote de rebus diuinis bene instructus, filios salutari doctrinâ imbuit, & consequenter peccati originalis malitiam, eiusque remedium aperuit, & eius alia veræ fidei documenta communicauit. Vnde valde rationi consentaneum est, prima ætate mundi vsque ad diluvium, prædictam veritatem de peccato originali, ferè omnes assecutos fuisse. Nam si teste S. Thoma 2. 2. q. 94. art. 4. ad 2. *In prima ætate non fuit idololatria propter recentẽ memoriam creationis mundi ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum*: eodem fundamento asserere possumus, ignorantiam peccati originalis à mun-

S. Greg. S. Bern. S. Thomas.

S. Thom.

S. Thom.

Salmeron.

mundo tunc exulasse propter memoriam recentem eorum, quę ab Adamo, eius filijs aut nepotibus cæteri audierunt. Et sanè licèt alijs culpa originalis occulta fuerit, illius notitiam habuisse Abelem, Seth, Henos, Noë, Henoch, Abraham, Isaac, Iacob, Melchisedech, Iob, & similes, eorumque filios, nemo opinor, negauit, vt bene Salmeron disp. 40. citatâ. Quapropter, si peccatum non *imputari*, idem, ac peccatum originale, siue personale ignorari, valet; malè Apostolus absolutè asseruisset: *peccatum autem non imputabatur, cùm lex* (nempe Mosaica) *non esset*; siquidem ante illam tam peccata personalia, quàm originalia à pluribus cognoscebantur, & personalia puniebantur.

13. *Euasio præcluditur.*

Neque obstat si dicas, eos quibus culpa originalis v. g. nota erat, paucissimos fuisse, & cum reliquis illam ignorantibus comparatos ferè nullos; & ideo Paulus, illis prætermissis, absolutè scripsit: *peccatum autem non imputabatur*, seu non cognoscebatur. Hoc, inquam, non obest, tum quia licèt paulò ante legem scriptam, quando homines in numerum immensum excreuerant, pauciores scirent se in originali peccato conceptos fuisse; at temporibus Adami vsque ad diluvium; imò à diluuio vsque ad nepotes, & forsan pronepotes Noë, plures, quàm ignorabant, id assequebantur (vt nuper dicebam.) Vnde sicut, quia paulò ante legem Mosaicam culpa originalis ferè omnibus ignota erat, Apostolus absolutè asseruit: *peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*; ita quia eius peccati originalis omnes ferè homines vsque ad filios & nepotes Noë, scientes erant absolutè, & eadem proprietate verborum contradictorium præfatæ propositionis affirmare potuisset, nempe, *peccatum autem imputabatur, cùm lex non esset*. Adhæc, non solùm post legem scriptam, sed etiam Euangelicam, si sapientes cum ethnicis, & insipientibus permundum dispersis, in numero comparentur; illos ferè nullos, & pauciissimos esse comperiemus. Vnde si ob pluralitatẽ insipientium, Apostolus, peccatum originale ante legem Mosaicam imputari, absolutè negauit; ob eandem causam, etiam modò non imputari, absolutè diceretur. Manet ergo probatum, culpam, de quâ Apostolus in hoc loco sermonem instituit, neque esse peccatum originale in posteris contractum, neque eorum personale; siquidem ei præfatæ proprietates attribui nequeunt.

14. *Paulus in hoc loco non agit de lege Naturali, Mosaica aut Euangelica.*

Secundò, in prædictâ expositione difficile est, quod per legem, de qua Apostolus ait: *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo*,

lex naturalis, Mosaica, vel Euangelica intelligatur : quòd autem in his verbis neque legis Naturalis, neque Euangelicæ meminerit Apostolus, supponunt communiter recentiores ; & solidè probat Salmeron hîc disput. 40. Insuper quòd etiam hîc mentio non fiat legis Mosaicæ, probatur primò, nam ad declarationem peccati primi parentis, in quo omnes peccauerunt (quod vt dixi suprà n. 8. est argumentum huius versus 13.) legis Mosaicæ existentia non conducit ; siquidem ante illam peccatum & perfectum, & consumatum fuit.

15. *Idem stabilitur.* Deinde lex vsque ad quam peccatum esse in mundo dicitur, est eadem ac lex, cuius absentia, causa fuit, vt peccatum iam existens non imputaretur, vt patet ex textu, & omnes admittunt. Sanè absentia legis Mosaicæ, vt peccatum quod verè existebat in mundo, illud habentibus non imputaretur, non effecit ; siquidem omne peccatum, quando adest, peccatori imputatur : ergo lex, de qua dicitur, *vsque ad legem enim peccatum erat in mundo*, alia esse debet. Neque refert si iterum dicas, absentiam legis Mosaicæ non effeciſſe, vt verum peccatum existens non imputaretur ; accipiendo verbum *imputo*, rigorosè & propriè ; at si illud pro verbo cognosco vsurpetur, absentia legis Mosaicæ, vt peccatum ab hominibus non imputaretur, seu vt non cognosceretur, effecit. Hoc, inquam, non obest : nam præterquam quod est effugium suprà n. 11. præclusum, iterum illud excludere placet ; nam Apostolus loquitur de lege, cuius præsentia est omnino necessaria, seu vnicum medium ad hoc vt peccatum v.g. originale verè existens imputetur, seu vt præfati interpretes volunt, cognoscatur ; alioquin si aliud medium præter legem Mosaicam, fuisset in mundo ad cognoscendum fœditatem peccati originalis, malè Paulus, ex eo quod non esset lex Mosaica, intulisset, peccatum originale tunc temporis ignorari, aut non imputari ; siquidem obuium esset respondere, peccatum originale cognosci & imputari, etiamsi lex Mosaica non esset ; quia ea non existente, aliud medium ad illius cognitionem præsens aderat, Quare vt argumentum Pauli robustum sit, de lege quæ omnino necessaria erat ad hoc vt peccatum quod antea existebat, imputaretur, sermo in his verbis institutus est. Cæterùm lex Mosaica non fuit medium vnicum & necessarium ad hoc vt peccatum etiam originale ab hominibus cognosceretur, siquidem, vt suprà n. 12. ostendi, per traditionem ab Adamo, & eius filijs dicta notitia in Abrahamum & eius posteros deriuata quoque fuit.

Præ-

16. *Idem amplius roboratur.* Præterea lex, de qua in hoc versu mentio fit, est eadem ac illa, de quâ Paulus versu 20. huius capitis quinti, ait : *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum*, vt Cornelius, & interpretes hîc communiter opinantur, & patet : nam effectus vtriusque legis sunt similes ; solùm est discrimen quod illa peccatum antea non imputatum, vt imputaretur, effecit : at hæc præter id effecit, vt peccatum abundaret. Enimuero lex, quæ vt peccatum abundaret, effecit, non est lex Mosaica ; nam illa ab Apostolo subintrasse dicitur, id est, quasi furtim & clam, vt Salmeron, Cornelius, & alij obseruant ; hoc enim significat illud verbum, *subintro* ; at lex Mosaica non absconditè, sed magnâ pompâ, & publicè in monte Sina publicata & accepta fuit. Neque satisfacit noster Cornelius respondens, Deum Hebræos ex Ægypto latenter eduxisse in desertum, vt eis legem intimaret ; & ideo legem subintrasse dici : hoc, inquam, non obest ; nam aliud est loqui de egressu Hebræorum ex Ægypto, aliud de rebus, quæ in itinere ipsis contigerunt, vt liquet : vnde licèt egressus occultus fuerit, alia publica esse potuerunt, vt transitus per mare rubrum, inundatio Ægyptiorum, bella Iosue cum terram promissionis inhabitantibus : vnde sicut nemo, qui verbis vim inferre noluerit, quia egressus Hebræorum ex Ægypto, fuit occultus, bella Hebræorum, transitus maris rubri, & alia similia occultè fuisse facta, dicet ; ita nisi verba torquere velimus, ex eo quòd dictus egressus fuerit occultus, promulgationem legis tantâ pompâ & sonitu publicatam, quasi furtim & clam subintrasse, asserat.

Salmeron, Cornelius.

17. *Idem confirmatur.* Denique inquiro, quando Apostolus ait : *Peccatum autem non imputabatur* ; à quonam non imputabatur ? à Deo, vel ab hominibus ? Si prius dicas cum Patre Salmerone suprà, facilè concludam, peccatum tunc temporis, quando lex Mosaica aberat, non extitisse ; siquidem, quod Deus non agnoscit, vt culpam, seu non imputat ad pœnam, peccatum non est. Si verò posterius respondeas, nempe peccatum dici non imputari ab hominibus ; non effugies difficultatem ; tum quia (vt suprà n. 12. ostendi) tam actuale, quàm originale hominibus notum fuit ; tum quia (vt bene Salmeron suprà disp. 40. §. *sed iam quæstio*) solus Deus est in quem peccatum admittur ; & à quo, iuxta phrasim Scripturæ, illud imputari dicitur ; vnde præfata locutio communi loquendi modo Scripturæ contradicit.

Salmeron.

18. *Paulus in hoc loco agit de peccato, Adami, quod fuit causa per se nostræ ruinæ.* Supereſt ergo vt prædicti loci germanam expositionem assignemus, & dubia proposita dissoluamus. Primum dubium erat, quodnam peccatum esset huius ver-

ver.13. argumentum ; & respondeo, esse peccatū actuale Adami v. g. gulam , in quo tandem eius posteri peccauimus. Nobis in hac parte clarè S. Chrysostomus patrocinatur hîc homil. 10. vbi postquam varias retulit & refellit opiniones,subiunxit : *Vnde liquet non hîc dici de peccato, quod sit ex transgressione legis ; sed quod est ex inobedientiâ Adami, per quod mors regnauit.* Sed peccatum , per quod mors regnauit, non peccata personalia posterorum, neque peccata originalia in eis contracta , sed solùm culpa actualis Protoplasti fuit , vt constat ex Paulo in hoc capite 5. ad Rom. & Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali, can. 1. & 2. ergo iuxta Chrysostomum, Paulus in hoc versu 13. de peccato physicè & realiter commisso ab Adamo , locutus est. Idem sensit Theophylactus ibidem: *Relinquitur* , ait , *peccatum istud esse , peccatum Adæ , per quod mors regnauit.* Fauet S. Thomas hîc lect. 4. vbi præfatum versum sic exponit : *Postquam Apostolus originem peccati & mortis , siue ingressum vtriusque in mundum hîc manifestat,* quod dixerat,nempe in versu 12. immediatè antecedenti , vbi Paulum de culpa physicâ Adami egisse liquet.

Chryſ.

Theophyl.

S. Thom.

19. *Probatur.*

Cæterùm prædictam expositionem esse germanam , probatur primò : nam vox ipsa *peccatum* in versu immediatè antecedenti , pro culpa actuali Adami vsurpatur , vt ex Concilio Mileuitano , & Tridentino suprà numero 6. ostendi ; ergo eadem vox *peccatum* eandem culpam significat ; alioquin in breuissimo spatio & ipso immediato , vox *peccatum* æquiuocè sumeretur; quod licèt aliquando fiat in Scriptura , nihilominus interpretes, quando abest causa , difficilè admittunt. Secundò Apostolus in hoc versu 13. intendit declarare quod tradiderat versu 12. immediatè antecedenti , nempe per Adamum culpam in mundum intrasse,& in illo omnes peccasse,vt suprà n. 8. ex Augustino, & alijs dicebam, & patet, quia Apostolus sic ait : *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit , & per peccatum mors ; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* (aduertas quæso, Paulum diuerso modo ingressum mortis in mundum, ac eius transitum in posteros Adami declarasse : prius enim illis verbis : *Et per peccatum mors intrauit in mundum* ; posterius verò illis : *Et ita in omnes homines mors pertransijt*,expressit; quo denotauit eodem tempore,quo peccatū, & mors intrarunt in mundum,ea dominium in posteros Adami non acquisiuisse; sed alio diuerso; alioquin Apostolus stylum non mutasset. quod apertius Tridentinum sess. 5. cap.de peccato originali,can. 1, innuit,dum ait: *Quis mor-*

Mileuitan.

Trident.

S. Aug.

Trident.

mortis deinde habuit imperium (vt infra capite 3. numero 27. latiùs dicemus:) prosequitur Paulus : *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo ; peccatum autem non imputabatur , cùm lex non esset.* Equidem particula illa causalis *enim* , & immediata horum duorum versuum coniunctio , denotant hunc versum 13. esse declarationem vel probationem antecedentis ; vnde cùm ad præfatum finem non posterorum peccata originalia , seu actualia ; sed solùm ipsa culpa Adami conducat ; idcirco illa huius versus 13. argumentum est. Tertiò , peccato , cuius hîc fit mentio , duæ proprietates attribuuntur;alia, quòd ante legem per aliquod tempus extiterit in mundo , & alia quòd tunc temporis non imputaretur , donec lex aduenit : quæ in peccatum actuale Adami , iuxta nostram doctrinam , apprimè quadrant ; siquidem illud toto tempore viæ , quod post præuaricationem restabat Adamo vt personæ publicæ , verè existebat in mundo , non tamen posteris imputabatur , quia adhuc lex instans pro posteris nondum erat: hæc enim paulò ante prolationem sententiæ , vrgere & instare cœpit. Vnde causam recognosces , cur Paulus versu 12. immediatè antecedenti , diuerso modo de ingressu peccati , & mortis in mundum ; ac de imperio illorum in reliquos homines, locutus fuerit , scilicet , quia hæc diuerso tempore contigerunt (vt suprà obseruaui) quod in hoc versu 12. magis Apostolus declarauit. Denique nostra expositio probatur ; quia non est aliud peccatum nisi personale Adami , de quo in hoc versu sermo iustituatur , cùm cætera peccata posterorum , siue actualia, siue originalia , ab eo sint exclusa.

20. *Paulus hîc tractat de lege pacti initi cum Adamo.* Genes.

Secundò ambigebatur quænam sit illa lex , de quâ Paulus ait : *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo* ? & breuiter respondè , esse pactum initum cum Adamo contentum illis verbis Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo , morte morieris* , quod legem aut preceptum esse , omnes admittunt. Huic expositioni licèt auctoritas extrinseca desit , rationes patrocinantur. Primò lex illa ad declarandam naturam peccati Adami , & quare mors intrarit in mundum , & ita in omnes petransierit , & nos in Adamo peccauerimus , (quod fuisse intentum Pauli iam ostendi) valde conducit. Secundò in hoc versu neque legis naturalis,neque Mosaicæ , neque Euangelicæ mentio fit(vt n. 11. probaui)ergo de lege pacti hîc tractatur, cùm nulla alia superfit. Tertiò existentia legis , cuius hîc meminit Paulus , fuit causa , vel conditio,

ditio, vt peccatum existens in mundo imputaretur, & eiusdem legis absentia effecit, vt idem peccatum existens non imputaretur; qui duo effectus à lege pacti initi cum Adamo, prouenerunt: nam toto illo tempore inter præuaricationem Adami, & prolationem sententiæ, interlabente, lex præfata, vt vrgens & instans pro posteris aberat (vt constat ex dictis disp. 5. cap. quinto, & disp. 6. à cap. 1. & in hac disputatione n. 19.) & ita peccatum Adami, licèt existeret in mundo, illis non imputabatur; at quia tempore prolationis sententiæ, præfata lex iam erat vrgens & instans pro posteris, peccatum Adami antea nobis non imputatum, imputari cœpit. Quartò lex, de quâ in hoc versu agitur, est eadem ac illa, de qua in versu 20. Paulus ait: *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum* (vt communiter tradunt expositores, & nos diximus suprà n. 16.) sed lex subintrans, fuit lex pacti iam vrgens pro posteris; ergo lex, de qua meminit Paulus versu hoc 13. est etiam lex pacti. Minor probatur; nam lex pro posteris vrgens cœpit instare in termino viæ Adamo vt personæ publicæ designato, qui fuit veluti mors Adami vt personæ publicæ; siquidem post illum munere publico defunctus fuit; cùm autem mors, seu vltimus terminus viæ instar latronis clàm & occultè aduenit (vt ait Christus Dominus Lucæ 11.) idcirco præfata lex pacti, prout vrgens pro posteris, non palam, sed quasi furtim subintrasse dicitur. Præterea lex pacti fuit causa vel conditio, vt abundaret delictum, siquidem peccatum Adami, quod antequam illa vrgeret pro posteris, intra ipsum solum Adamum continebatur; illâ aduenient abundauit, & in posteros deriuatum est. Neque satisfaciunt recentiores communiter respondentes, legem v. g. Mosaicam fecisse, vt abundaret delictum, nempe quia est occasio, vt homines ob suam malitiam delinquant, & numerum augeant peccatorum. Hoc, inquam, non satisfacit; quia iniuriam reipublicæ fidelium, siue veteris, siue noui testamenti irrogare videtur: licèt enim lex positiua diuina occasio sit quòd homines delinquant, ei cõtraueniẽdo in rebus, quę ablatâ omni lege positiuâ, peccata non sunt; at communiter non facit, vt plura peccata numero, vel specie sint in Republicâ Christianâ, quàm essent, si barbari, ethnici, & prorsus exleges essemus, vt liquet. Vnde licèt lex diuina sit occasio, vt in hac vel illa materia, quæ antea erat licita, peccemus; non facit, quòd simpliciter abundet delictum, seu quòd peiores communiter simus, & plura peccata numero aut specie committamus, ac omnino committeremus: quæ proprietas optimè, & vt sonat aptatur legi pacti, iam instanti pro posteris: illa enim occasio fuit Adamo, vt eius vnicum peccatum abundaret, & in suos innumeros posteros deriuaretur. Lucas.

21. *Explicatur quo modo peccatum Adami existens nobis non imputabatur.*

Tertium dubium erat, quî fieri potuit, vt peccatum esset in mundo, & non imputaretur, cùm lex non esset? cui ex dictis obuia est solutio. Aio enim horâ tertiâ v. g. Adamum peccasse, & horâ nonâ instasse legem pacti pro posteris; in quâ horâ, termino viæ eidem vt capiti concessæ, finito, fuimus cum primo parente condemnati: sanè horâ sextâ inter tertiam & nonam interpositâ, peccatum Adami erat in mundo; tamen quia dictâ horâ sextâ nondum erat lex pacti vrgens pro posteris, ideo tunc nobis illud non imputabatur; at horâ nonâ in termino vltimo præfatæ viæ, lex pro posteris vrgens & instans adfuit; & ideo ab illo instanti peccatum Adami antea existens, nobis non imputatum, nobis imputari cœpit.

22. *Mens Pauli aperitur.*

Ex hactenus dictis versus 12. & 13. paraphrasis est: *Per vnum hominem* (textum refero) *peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranssijt, in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset: sed regnauit mors ab Adamo vsque ad Mosen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.* Paraphrasis est, per Adamum peccatum in hunc mundum intrauit, & illud peccatum mors statim est consecuta; *& ita in omnes homines mors pertranssijt, in quo omnes peccauerunt*, id est, & ita subsecutum est, vt mors pertranssiret in omnes homines, & quòd omnes in Adamo peccauerint; & huius propositionis probationem, aut declarationem adhibens Paulus, subiunxit: *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*, id est, ingressum peccati & mortis in mundum diuerso modo, ac eorum transitum in homines significauit; quia illud peccatum Adami ante legem, scilicet pacti vrgentem pro posteris, verè existebat in mundo vsque ad hoc vt lex pacti instaret pro posteris; & tunc illis non imputabatur, quia lex pro illis vrgens adhuc non erat; verùm vrgente iam dictâ lege pacti pro posteris, & transacto termino viæ Adami vt capitis, *regnauit mors ab Adamo vsque ad Mosen, etiam in eos, qui in similitudinem Adæ non peccauerunt*, nempe paruulos, qui instar Adami actualiter nunquam culpam personalem commiserunt. Hanc explicationem esse germanam multa suadent. Primò verba omnia, vt sonant

nant, accipiuntur, ab illaque tropi & figuræ, improprietates, & metaphoræ inusitatæ longè absunt; quod liberalis interpretationis argumentum est, vt tradidit Augustinus lib. 3. de Doct. Christiana cap. 10. & 11. & assentitur Sanchez in Abdiam n. 53. & interpretes communiter. Secundò iuxta hanc expositionem origo peccati originalis, & quo modo in posteros deriuetur, & nos in Adamo peccauerimus, (quod fuisse intentum Pauli suprà numero 8. asseruimus) optimè declaratur. Tertiò, antecedentia, & hunc versum 13. consequentia, planè & sine vlla violentia decurrunt. Quartò, cæteræ aliæ explicationes difficultatibus scatent, & textui non bene aptantur. Neque obstat, si dicas, iuxta nostram expositionem non assignari causam, cur Paulus mortem vsque ad Mosen regnasse asseruerit: siquidem eam etiam post Mosen dominatam fuisse scimus. Hoc, inquam, non obest, cùm id contra cæteras alias interpretationes adhuc fortiùs militare videatur. Respondeo ergo per mortem intelligi à Paulo ipsam mortem corporis, & cætera alia damna, quæ ex peccato Adami pullularunt; quæ omnia vsque ad Mosen durasse dicuntur, non quia tunc ea steterint, aut vltra non serpserint, sed quia tempore Mosis remedia satis fortia (nempe cæremonias, & legem scriptam) contra præfata mala Deus primò largitus est; quibus cùm antiquitus homines caruerint, præfata mala tunc temporis magis despoticè, quàm post Mosen, dominabantur. Vnde ea, seu illorum dominium despoticum, vsque ad Mosen regnasse dicuntur.

August.

Sanchez.

23. *Obiectio & ad eam responsio.*

Oppones explicationem nostram esse nouam. Fateor nouam esse, sed textui consentaneam. Insuper ex illà, non doctrina noua, sed tradita à pluribus Sanctis Patribus deducitur, vt constat ex dictis, & iterùm videbimus, & quando aliqua expositio textui aptatur, & ad confirmationem doctrinæ Patrum conducit; quòd noua sit, impedire non solet; & idcirco Theologi quotidie ex locis Scripturæ nouiter intellectis, suas opiniones roborare solent. Accedit nostram interpretationem non esse vndequaque nouam: in illa enim continentur tres, vel quatuor propositiones: prima est; *Argumentum huius versus* 13. *est peccatum Adami*, quæ Chrysostomum, Theophylactum, S. Thomam, & multos alios patronos habet (vt vidimus suprà n. 8.) Secunda propositio: *Lex, de qua hîc mentio fit, non est Naturalis, Mosaica, neque Euangelica*, quod coniunctum licèt auctoritate extrinsecâ interpretum sit destitutum, tamen singulæ propositiones suos defensores habent: aliqui enim negant,

Chrys. Theoph. S. Thom.

gant, Paulum hîc meminisse legis Naturalis, alij legis Mosaicæ, & alij legis Euangelicæ, vt videre licèt in Salmerone, disp. 40. citatâ: vnde cùm Doctores circa legem, de qua in hoc versu agitur, dissentiant, commuui expositioni non contradicit, ait, legem, de qua tractatur in hoc versu, non esse legem Naturalem, neque Mosaicam, neque Euangelicam. Tertia propositio est: *Legem, de quâ ait Paulus: Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, esse legem pacti initi cum Adamo*; quæ quidem noua est, sed (vt dixi) textui consentanea.

24. *Argumentum pro veriore opinione conficitur.*

Ex hactenus dictis promissum in titulo huius capitis argumentum, sic formo: Peccatum Adami posteris non fuit imputatum vsque ad legem pacti initi cum Adamo instantem pro posteris, vt Apostolus asseruit in hoc loco; sed lex pacti non vrgebat pro posteris, nisi horâ nonâ, quando via Adamo vt capiti concessa, finiebatur, vt sæpè ostendi; ergo illo tempore inter horam tertiam v. g. in quâ deliquit Adamus, & inter horam nonam, in quâ sententiam condemnationis audiuit, interiacente, peccatum Adami nobis imputatum non fuit.

CAPVT III.

Fuisse aliquod tempus post præuaricationem Adami, in quo pœnas nobis comminatas non incurrimus, ex Concilio Tridentino, & Chrysostomo probatur.

25. *Damna orta ex peccato Adami ipsum, & posteros tetigerunt.*

MAla omnia, quæ per culpam Adami in mundum introierunt, ad duas classes, quoad præsens attinet institutum, reduci possunt: alia Adamum vt personam particularem; & alia ipsum vt personam publicam seu eius omnes posteros concernunt. Mala, quæ Adamo vt personæ particulari ob suum delictum euenerunt, enumerat Concilium Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, can. 1. his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam præuaricationis huiusmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate* (attende, quæso, verba sequentia, quia nostri discursus fudamenta sunt) *qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offensam, secundùm corpus*

Trident.

& animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit. Et postea can. 2. agens de malis posterorum in eos per peccatum Adami deriuatis, subiunxit: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit sibi soli, & non nobis etiam à ostu perdidisse, &c. anathema sit.*

26. *Inter damna Adami & posterorum aliquod discrimen intercedit.*

Ex quo apparet, Concilium inter prædicta mala, illud discrimen agnouisse: nam priora, Adamum vt personam particularem concernentia, statim seu nullo tempore post delictum interposito, ab eodem Adamo incursa fuerunt: id enim apertè denotat Concilium cùm definit, Adamum statim ac deliquit, sanctitatem & iustitiam sibi perdidisse; at mala ad Adamum vt personam publicam, seu ad eius posteros pertinentia, non statim, ac peccauit Adamus, sed post aliquod, licèt breue, tempus, incurrimus. Quam partem, vt ostendam, aduerto, Concilium postquàm can. 1. definierat Adamum statim post prævaricationem, iustitiam amisisse, iram Dei, & mortem, & captiuitatem incurrisse; in quàdam parenthesi, seu inter duo comata, addidisse, *qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli.* Ex quibus verbis duo manifestè deduci videntur: aliud, imperium mortis, quod diabolus per prævaricationem Adami acquisiuit, esse aliquod distinctũ à potestate, quam per delictum Adami in mortem ipsius Adami, & in ipsam personam particularem Adami, diabolus comparauerat, vt patet, tum ex serie ipsorum verborum, tum quia vox *imperium*, cùm idem ac vox regnum, sonet, non dominium suprà vnam solam personam, sed iurisdictionem vniuersaliorem suprà multos significat; & ita Concilium asserens, diabolum supra mortem imperium acquisiuisse, non de morte & captiuitate solius Adami vt personæ particularis, sed de morte & captiuitate Adami vt personæ publicæ, seu de morte suorum posterorum locutum est. Quod solidius esse comperies, si aduertas prædicta verba desumpta fuisse ex Paulo ad Hebræos 2. numero 14. vbi pro iurisdictione diaboli in omnes homines, ea vsurpari dicunt communiter interpretes. Confirmatur: nam si Concilium præfatis verbis *imperium* diaboli non suprà omnes homines, sed solùm suprà personam particularem Adami significasset, iam præfata verba vel superflua essent, & mentem Concilij obscurarent; vel dogmati immediatè ante definito aduersarentur. Nã Concilium immediatè ante præfata verba, asseuerat, Adamum statim ac peccauit, in mortem & captiuitatem diaboli incidisse; vnde si illis verbis, *qui mortis deinde* Paulus.

inde habuit imperium, Concilium nihil noui addidisset; sed solùm significasset, diabolum in personam particularem Adami, aut in eius mortem iniurisdictionem per delictum Adami comparasse, præfata verba superflua essent: siquidem hoc verbis immediatè antecedentibus iam expressum fuit. Si verò respondeas, præfatis verbis aliquid addi, nempe hanc iurisdictionem suprà Adamum, non statim ac peccauit Adamus, sed deinde, seu paulò pòst, fuisse à diabolo comparatam; Concilio contradices; siquidem illud prædicta mala ab Adamo statim, ac prævaricatus est, incursa fuisse, immediatè ante definierat. Manet ergo firmum, & stabile, Concilium illis verbis, *qui deinde mortis habuit imperium*, non potestatem diaboli supra solam personam Adami, sed supra eius posteros significasse.

27. *Notabile.*

Secundò aduerto, præfatum diaboli dominium suprà mortem posterorum, non fuisse à diabolo statim ac peccauit Adamus, comparatum, sed post aliquod tempus. Hoc enim illud aduerbium, *deinde*, iuxta stylum Spiritus Sancti innuit, vt constat ex illo Pauli ad Galat. 3. *Deinde post annos tres*, & Marci 4. *Terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum:* & passim alibi. Confirmatur: nam in hoc canone tractans Concilium de malis, quæ Adamo vt personæ particulari per peccatum euenerunt, ait, ipsum statim ac peccauit iustitiam amisisse, iram Dei, mortem, & captiuitatem diaboli incurrisse; at quando loquitur de præfato diaboli supra omnes *imperio*, ab aduerbio illo, *statim*, quod immediatè effectum fieri significat, abstinuit; & in locum illius, aduerbium *deinde*, quod aliquam dilationem importat, subrogauit: ergo Patres Tridentini illis verbis, *qui deinde mortis habuit imperium*, denotarunt, non statim ac deliquit Adamus, sed deinceps aliquo tempore interiecto, *imperium* supra posteros Adami, aut supra eorum mortem acquisiuisse. Quam Concilij expositionem esse veram, duo alia argumenta suadent: aliud, quia Concilium, non solùm in diuerso canone de pœnis posterorum, ac egerat de pœnis Adami, tractauit; sed etiam in illo secundo canone, in quo pœnarum ex peccato Adami in posteros emanantium, mentio fit, non addit illas pœnas immediatè, seu statim ac Adamus peccauit, incursas fuisse: quod sanè Concilium innuisset, si id sensisset; sicut quando can. 1. tractans de pœnis incursis ab Adamo, id apertè explicuit. Aliud argumentum ad nostram Concilij expositionem roborandam, est: nam Concilium in hoc capite de peccato originali sessionis quintæ, præ

Paulus.

Marcus.

oculis habuit caput quintum D. Pauli epistolæ ad Romanos; & ideo aliqua verba illius can. 2. retulit. Sed Apostolus in prædicto cap. 5. ad Rom. nullum verbum protulit, ex quo colligeretur, posteros statim, ac peccauit Adamus, pœnas incurrisse; sed potiùs oppositum significauit, vt capite præcedenti latè ostendi; ergo Concilium sensit non eo instanti temporis, quo Adamus præuaricatus est, sed deinceps, seu alio illud subsecuto, *imperium* à diabolo supra posteros Adami fuisse comparatum. Vnde Concilium in præfato loco tria tempora post præuaricationem Adami agnouisse videtur: aliud in quo Adamus peccauit, & pœnas comminatas ipse vt persona particularis incurrit, aliud in quo posteritati nocuit, & potestati diaboli suos posteros subiecit; & aliud medium inter præfata duo tempora, in quibus Adamus peccator, mortalis & captiuus diaboli erat, & tamen posteri illis malis non subdebantur; quod Paulum ad Rom. 5. tradidisse, suprà cap. 2. probaui.

28. *Argumentū pro veriori sententia in formam redigitur.*

Ex dictis argumentum deducitur ad probandum, post præuaricationem Adami, aliquod tempus interfuisse, in quo neque eius peccatum fuerit nobis imputatum, neque pœnas comminatas incurrerimus: nam ab illo tempore, quo diabolus mortis imperium supra posteros Adami habuit, nos pœnas incurrimus, & peccatum Adami fuit nobis imputatum, vt liquet; siquidem antequàm diabolus dominaretur in mundo, eique subderemur, peccatores non eramus, sed imperium diaboli supra posteros Adami, non incepit tempore quo deliquit Adamus; sed paulò pòst, vt ex Concilio stabiliui; ergo neque peccatum Adami fuit nobis imputatum, quando ipse peccauit, sed paulò post.

29. *Eadem sententia confirmatur.* Chrys.

Hoc idem sensisse Chrysostomum homil. 17. in Genes. eius verba satis apertè significant: ibi enim quærens causam, cur Deus statim ac deliquit Adamus, in paradisum aduenerit, illam assignat: *Ad opitulandum festinauit* (nempe Deus) *vt ne vlcus grassando fieret incurabile vulnus, idcirco, vt præueniat, accelerat, & velociter crescenti vlceri adsit*: ergo antea vulnus peccati non fuerat grassatum in posteros, alioquin si iam illos infecisset, vt Deus festinaret ad eius grassationem impediendam, opus non esset, vt arguebam suprà disput. 6. cap. 2. n. 7.

CA-

CAPVT IV.

Peccatum Adami tempore medio inter eius præuaricationem, & prolationem sententiæ, non fuisse nobis imputatum, ratione stabilitur.

30. *Notabile.*

VT rationem (meo iudicio efficacem) pro nostra conclusione formare possim, repeto, quod disput. 6. cap. 7. numero 44. ostendi, nempe conditionem adæquatam & totalem, sub quâ Deus posteris Adami pœnas comminatus est fuisse eius præuaricationem, vt coniunctā cum aliquo alio deinceps secuto, nempe impœnitentiâ Adami, durante vsque ad prolationem sententiæ condemnatoriæ: vnde si Adamus ante prædictum terminum perfectè pœnituisset, nos omnes iustitiâ originali ornati conciperemur (vt suprà loco citato n. 45. deduxi.) Ex quo sequitur, nos toto illo tempore interiecto inter culpam Adami, & prolationem dictæ sententiæ, pœnâ comminatâ dignos non fuisse; nam pœna conditionaliter comminata, incurritur solùm quando conditio adæquata purificatur; sicut ius ad præmium ortum ex promissione conditionatâ, solùm consurgit, quando conditio totalis est adimpleta. Vnde si Petro promisisti librum, si te bis alloquatur, & ille semel tecum locutus fuerit; neque in te obligatio vlla tradendi librum, neque in illo ius ad illum resultabit; sed illo medio tempore conditio totalis, & adæquata sub quâ Deus mortem v. g. posteris Adami comminatus est, non fuit adimpleta: ergo toto illo medio tempore neque mortem, neque alias pœnas comminatas pati digni fuimus. Declaratur discursus appositissimo exemplo: finge Regem, (quod possibile absque dubio est) alicui militi pro suis etiam posteris aliquem principatum, & nobilitatem ea lege & conditione dedisse, vt in aliqua ciuitate continuò habitaret, ab illaque nunquam egrederetur; aut si aliquando exiret, intra triduum reuerteretur; inito & perfecto pacto, miles ciuitate egressus est, & duobus solùm diebus extra ciuitatē commoratus; tertia die in ciuitatē reuersus est, sanè licèt præfatus miles exeūdo ex ciuitate peccauerit cōtra præceptum illi impositū à Principe, & ideo aliquâ pœnâ dignus fuerit; at eius posteri neque ignobilitate, neque priuatione principatus promissi, neque aliquâ pœnâ comminatâ digni sunt; siquidem conditio vtrimque acceptata & totalis, ad hoc vt prædicti filij pœnam incurrerent, adimpleta non fuit. Cùm autem Deus posteris Adami mortem sub ea conditione comminatus fuerit, vt à ligno vetito abstineret, aut si

inobediens esset, horâ v.g. nonâ pœniteret, idcirco ante dictam horam, etiam si primus parens metas præcepti transgressus fuit, pœnas comminatas non incurrimus.

31. *Probatur verior opinio.*

Ex quo promissum argumentum sic conficio: Dignitas pœnæ, & peccatum ita necessariò connectuntur, vt subiectum, à quo abest dignitas pœnæ, ab eo peccatum abesse, necesse sit: vnde, qui semel concesserit aliquem omni pœnâ indignum esse, eum quoque omni peccato carere fateri cogetur: sed posteri Adami illo tempore medio inter horam tertiam, in qua peccauit, & horam nonam, in qua morti cum posteris adiudicatus est, pœnas comminatas non incurrimus, neque illas pati digni fuimus, vt numero præcedenti ostendi; ergo illo tempore inter horam tertiam, & nonam neque peccatores eramus, neque nos in Adamo peccasse, neque eius peccatum nobis imputatum censebatur: Vel si placet, argumentum præfatum aliter sic formo: Omne peccatum dignum est, vt subiectum habens illud, aliquo supplicio aut pœnâ afficiatur, vt ex omnium sententia supponit Vasquez 1. 2. disp. 214. numero 70. vnde si prædictâ horâ sextâ inter tertiam & nonam interpositâ, peccatum Adami fuisset nobis imputatum, aut in illo peccauissemus; etiam eo tempore intermedio, pœnâ comminatâ digni fuissemus. Cæterùm illo tempore medio pœnam præfatam non meruimus, vt satis superque dixi; ergo neque tunc peccatum Adami fuit nobis imputatum. Neque satisfacies respondendo, peccatum Adami etiam eo tempore intermedio dignum fuisse, vt eius posteri punirentur pœnâ comminatâ: hoc inquam, non obest; nam (vt dicemus infrà cap. 6. n. 48.) peccati meritum circa mala infligenda posteris, fuit iuxta pactum initum cum Adamo, seu iuxta comminationem diuinam; cùm autem Deus posteris malum comminatus fuerit casu quo Adamus comederet; aut si comedisset, non pœniteret horâ v.g. nonâ; idcirco ante dictam horam nonam non meruit peccatum Adami, vt posteri priuatione iustitiæ originalis punirentur.

Vasquez.

Huic argumẽto duæ solutiones adhiberi possunt: alia est eorum, qui dicunt, conditionem adæquatam ad transmissionem ineuitabilem peccati originalis, fuisse solum peccatum Adami. Verùm hoc fundamentum ex dictis in hac disputatione, & duabus præcedentibus, conuulsum esse videtur. Vnde hâc responsione missâ, ad aliam nostræ doctrinæ magis affinem accedo.

32.

Respondent ergo aliqui recentiores, peccatum Adami etiam præfato tempore intermedio,

33. *Responsum.*

medio, fuisse nobis imputatum euitabiliter; & consequenter meruisse, vt nos præfatis pœnis comminatis etiam euitabiliter castigaremur. Vnde inter peccatum Adami vt primò commissum, & inter ipsum vt coniunctum cum impœnitentiâ finali, seu ipsum vt durans vsque ad prolationem sententiæ; hoc discrimen agnoscunt, quòd peccatum Adami, vt coniunctum cum dicta impœnitentia, efficaciter meruit, vt pœnas comminatas ineuitabiliter incurreremus, & peccati originalis debitores certissimè essemus; at ipsum peccatum vt primò commissum, meruit, seu dignum fuit, vt dictas pœnas euitabiliter incurreremus; & ideo si Adamus horâ nonâ pœnituisset, ab illis liberaremur. Sicut enim, aiunt, Adamus ita per peccatum statim sibi meruit pœnas comminatas, vt si pœniteret tempore opportuno, ab eis erueretur; ita etiam tunc eius peccatum dignum fuit, vt nos omnes præfatas pœnas ita incurreremus, vt, si primus parens pœnituisset ante horam nonam, omni pœnâ liberi in pristino statu collocaremur.

34. *Impugnatur.*

Hæc doctrina suis etiam patronis aduersatur: illi enim asserunt, B. Virginem non peccasse in Adamo, etiam si in pacto inclusa fuerit, nempe quia ante visam eius impœnitentiam, per merita Christi ab eo fuit vindicata; quod cum solutione præfata subsistere nequit. Quippe si peccatum Adami eo ipso tempore, quo commissum fuit, meruit vt omnes tunc in pacto inuoluti, pœnis comminatis euitabiliter punirentur, & consequenter illis omnibus euitabiliter fuit imputatum; planè sequitur, B. Virginem, vtpote tunc temporis in pacto inclusam, pœnas comminatas vt euitabiles incurrisse, & in Adamo euitabiliter peccasse; licèt postea per eius vindicationem à pacto, fuerit à peccato, & eius debiti incursione immunis, quam rationem capite sequenti ampliùs dæclarabimus.

35. *Iterum reiicitur Paul.*

Præterea iuxta præfatos Recentiores, Paulus illis verbis cap. 5. ad Rom. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset*; significauit, peccatum Adami vsque ad prolationem sententiæ, posteris non fuisse imputatum (quam expositionem esse legitimam ostendimus suprà cap. 2.) ergo præfati recentiores negare quoque debent, posteros Adami ante horam v. g. nonam, pœnas comminatas etiã euitabiliter incurrisse: alioquin si eas in præfato tempore incurrissemus, peccauissemus tunc in Adamo; siquidem peccasse in Adamo est, ipsum meruisse vt peccatum contraheremus, vt dicebam disp. 1. cap. 3. Sicut enim quia Adamus statim

ac

ac comedit, pœnas euitabiles incurrit ; rectè inferimus , illum quando comedit, peccasse : ita si nos statim, ac peccauit Adamus pœnas comminatas , licèt euitabiles, incurrimus ; nobis quoque præfatum peccatum fuisse tunc imputatum , necesse est (quod vt vidimus suprà cap 2. Paulo contradicit.)

36. *Alia impugnatio.*

Insuper præfati recentiores, posteris Adami pœnam euitabilem v.g mortis, sub diuersâ conditione adæquatâ comminatam fuisse volunt , ac fuit conditio adæquata , sub qua eisdem pœna ineuitabilis fuit proposita ; siquidem illa fuit solùm peccatum Adami, & hæc fuit ipsum peccatum vt coniunctum cum impœnitentiâ ; cuius assertionis nullum est fundamentum in Scriptura, neque in Patribus, vt liquet; imò neque in ratione , siquidem paritas allata ex Adamo, difficultati præsenti non bene aptatur (vt ostendimus disput. 6. cap. 8. n. 53.) Confirmatur : verisimilius est, vt ex nostro Sanctio & Mariana , suprà disput. 5. cap. 4. n. 21. indicauimus, Adamum non primæ tentationi aut suasioni Euæ succubuisse ; sed postquàm aliquoties Euam repulit, & victor euasit , cecidisse. Cæterùm inquiro , an per illam victoriam acquisiuerimus aliquod nouum ius ad statum felicem , quod ante illam non habuimus, vel nullum prorsus ius per illam comparauimus? prius est falsum : nam ius ex promissione conditionatâ, in promissario solummodo consurgit , quando conditio adæquata , sub quâ aliquid promittitur, adimpletur, vt patet ; cùm autem posteris Adami iustitia originalis non fuerit promissa sub conditione , vt eorum parens vnam vel alteram tentationem superaret , sed sub conditione vt omnes , durante tempore viæ, vinceret, aut si victus fuisset , pœniteret; idcirco ex victoria vnius, vel alterius tentationis , nullum ius ad præmium promissum resultauit. Ex quo vlteriùs sequitur, neque ob solam præuaricationem Adami aliquod debitum , etiam euitabile pœnarum comminatarum, in posteris Adami tempore illo intermedio consurrexisse ; siquidem pactum initum cum Adamo fuit omnino ad præmium & pœnam æquale, vt diximus suprà disput. 5. cap. 2. n. 9. ex Anselmo , & Fulgentio. Anſel. Fulgentius.

Sanchez, Mariana.

Vnde sicut ex victoria vnius , vel alterius tentationis , nullum ius ad iustitiam originalem in nobis pullulauit ; quia ea non conditio adæquata , sed inadæquata ad iustitiæ transmissionem fuit ; ita quia præuaricatio sola non est conditio totalis ad transfusionem peccati & mortis, sed solùm inadæquata ; idcirco ob illam solam Adami præuaricationem , dùm ei non adiungitur impœnitentia finalis ; nullum debitum peccati aut pœnarum incurrimus. Quod ampliùs explicatur, & pariter confirmatur: Deus pœnam posteris Adami comminari potuit , si vterque primus parens peccaret ; ita vt vno peccante , si alius semper obediens & iustus perseueraſſet, iustitiâ originalē nō amitteremus (sicut de facto ita initum fuisse pactum aliqui autumant) cùm in hoc nulla appareat implicatio. Sanè licèt Eua v. g. priùs quàm Adamus peccaret , deliquisset; & ita ipsa sibi iustitiâ originalem perdidisset, dignaque morte fuisset; nihilominus neque eius peccatum toto tempore, quo Adamus iustus & innocens permansisset , fuisset nobis imputatum , neque vllas pœnas tunc temporis incurrissemus , nempe quia conditio totalis & adęquata, sub quâ nobis supplicium fuit propositum, non fuisset purificata; sed horâ sextâ v.g. seu tempore illo interlabente inter præuaricationem Adami & prolationē sententię, conditio totalis, sub qua Deus pœnas posteris inferre decreuit, nō fuit adimpleta; ergo illo tempore neque pœnas , neque peccatū vllo modo incurrimus.

37. *Ampliùs reiicitur allata solutio.*

Denique impugnatur prædicta solutio , & doctrina. Nam si per possibile vel impossibile, illo medio tempore inter præuaricationem , & prolationem sententiæ, Adamus filios generasset ; sequeretur illos tunc habituros, & non habituros peccatum originale; quod planè implicat. Primò illos contracturos culpam originalem, iuxta doctrinam , quam impugnamus, videtur certum; quia illi peccauissent in præuaricatione Adami iam præsuppositā , & dicta præuaricatio fuisset illis imputata , vt præfati Doctores volunt; & consequēter incurrissent, licèt euitabiliter, pœnas comminatas , nempe priuationē iustitiæ originalis & immortalitatis; cùm autem , qui semel peccauit , dum culpa ei non remittitur , peccatum habeat , præfatos filios , qui peccarunt , & veniam peccati, non adhuc dicto tempore obtinuerant , peccato deriuato ex Adamo coinquinatos fuisse , necesse est. Præterea præfati filij peccatum originale non contraxissent; nam peccatum originale, aut est priuatio sanctitatis debitæ, aut cum ea necessariò coniunctum, vt omnes supponunt; sed in casu nostræ hypothesis , præfati posteri , licèt sanctitate carerent, priuationem sanctitatis debitæ non haberent ; ergo non contraxissent peccatum originale. Minor , in quâ solùm est difficultas, probatur , quia sanctitas, cùm sit donum supernaturale , & ideo ex se indebitum naturæ humanæ , solùm potest esse debita nobis quia promissa ; sed præfatis posteris toto illo tempore intermedio sanctitas non erat promissa , neque Deus ex vi pacti tenebatur illam eis conferre;

ergo præfati posteri, licèt illo medio tempore caruissent sanctitate; priuationem tamen sanctitatis debitæ non haberent. Minor vltimi syllogismi probatur: Deus solùm promisit se daturum iustitiam originalem posteris Adami, casu quo ipse in termino viæ, eidem ad transmissionem iustitiæ in posteros designato, obediens, aut inobedientiæ commissæ pœnitens reperiretur: vnde cùm ante dictum terminum conditio totalis, sub quâ Deus præmium conferre obligatus erat, non fuerit adimpleta; idcirco neque Deus tenebatur præfatam sanctitatem posteris impendere; & consequenter prædicta sanctitas adhuc illis debita non erat. Vnde etiam si illâ carerent, priuationem sanctitatis non debitæ, sed indebitæ haberent.

CAPVT V.

Alia ratio ex immunitate B. Virginis à peccato originali, & eius debito desumitur.

38. Liceat nobis, quod Aduersarij sibi licere putant; illi enim, vt B. Virginem immunem à peccato originali, & eius debito immunem faciant; & pariter eam per Christum redemptam fuisse defendant; pactū initū cum Adamo, prout placet, interpretantur, & ordinem decretorum diuinorum circa Christi Domini prædestinationem componunt; & postea suam opinionem ex eo quòd iuxta eam B. Virgo peccato originali & eius debito liberatur, stabilire procurant. Ita nos in hoc capite, peccatum Adami posteris dicto tempore medio inter horam tertiam, & nonam, non fuisse imputatum ex eo quòd iuxta hanc opinionem B. Virginis immunitati & omnimodæ puritati consulitur, roborare intendimus.

39. *Via noua defendendi immunitatē B. Virginis à debito peccati aperitur.*

Asserimus ergo Adamum, quando horâ v. g. tertiâ peccauit, naturam humanam non infecisse, neque eius peccatum posteris inclusis in pacto fuisse imputatum; neque hos vllas pœnas tunc temporis incurrisse; hæc enim omnia damna ab horâ solùm nonâ, seu à prolatione diuinæ sententiæ, genus humanum participauit. (vt hactenus probatum est) Secundò asserimus cum communiori opinione, immediatè post præuaricationem Adami Christum vt mortalem in remedium peccati fuisse prædestinatum; cuius meritis & morte visis, Pater Deus, antequam Adamus impœnitens præcognosceretur, B. Mariam à pacto, & consequenter à periculo incidendi in peccatum, in quo cum reliquis inclusis in pacto versabatur, exemit. Ex quo duo clarè deducuntur: aliud B. Virginem fuisse verè & propriè per Christum redemptam; siquidem

dem per illum ab ingenti periculo, in quo iam erat, labendi in peccatum, iram Dei, & captiuitatem diaboli, fuit præseruata (vt infrà disp. 8. cap. 3. n. 11. ampliùs stabiliemus.) Aliud est, B. Virginem à peccato Adami, & eius debito fuisse prorsus immunem; quippe Adamus solùm in fecit naturam horâ v. g. nonâ, quando impœnitens à iudice inuentus est; & tunc perdidit iustitiam originalem posteris omnibus, qui in pacto inclusi adhuc perseuerabant: cùm autem B. Virgo ante dictum tempus fuerit per mortem filij à pacto vendicata; idcirco ei neque peccatum Adami fuit vllo modo imputatum; neque ea peccasse in Adamo, neque pœnas comminatas vllo modo incurrisse censetur, neque Adamus ei iustitiam originalem perdidisse. quod ampliùs infrà disput. citatâ cap. 2. declaratur.

40. *Via prædicta fulcitur.*

Huic nostro discursui forsan assentieris, si aduertas, ipsum tribus principijs satis firmis inniti. Primum est, conditionem adæquatam, sub quâ Adami peccatum inclusis in pacto imputandum erat, seu sub quâ Deus præfatis pœnam mortis corporalis, & spiritualis comminatus est; non fuisse solam præuaricationem Adami horâ v. g. tertiâ commissam; sed eandem vt coniunctam cum impœnitentiâ ipsius Adami durante vsque ad horam nonam, seu vsque ad prolationem diuinæ sententiæ. Vnde totâ horâ sextâ v. g. quæ inter præuaricationem & prædictam impœnitentiam interiacuit, inobedientia Adami neque posteros vllo modo infecit, neque eis fuit imputata, neque, vt illi vllam pœnam comminatam incurrerent, effecit. Præfatum principium, ex quo Marianam omnimodam immunitatem deducimus, esse satis firmum, rationes, testimonia Scripturæ, & Patrum in hâc & duabus disputationibus præcedentibus allata, valde probabiliter (ne ampliùs dicere audeam) persuadent. Secundum principium est, saltem Christum Dominum vt mortalem immediatè post præuaricationem Adami fuisse iam prædestinatum; hoc quoque principium solidum esse nemo negabit, cùm commune sit, & ei melior & maior pars Theologorum patrocinetur. Tertium principium, cui innitimur est, B. Virginem illo medio tempore inter præuaricationem Adami & eius impœnitentiam finalem explicatam interiecto, fuisse à pacto per Christum eductam. Hoc etiam principium firmum esse, non solùm pietas erga B. Virginem persuadet; sed etiam illud infrà disp. 9. cap. 1. rationibus, & auctoritatibus magis stabiliemus.

41. *Præfata via est plana.*

Accedit, nostrum discursum esse solidiorem ad liberandam B.

Virginem à peccato originali, & eius debito, quàm cæteri alij, qui communiter circumferuntur: Præfati enim Doctores in duas classes diuiduntur: alij enim (loquor solùm de his, qui Christum vt mortalem in signo post præuaricationem Adami præuisam immediato, prædestinatum fuisse sentiunt) vt B. Virginem à peccato originali & eius debito eximant, eam in pacto inito cum Adamo inclusam esse nolunt: alij in pacto eam inuolutam dicunt, quando peccauit Adamus; sed in signo aliquo antecedenti ad infectionem naturæ, eam per Christum præuentam addunt, ne originalem culpam contrahat: Priores Doctores, præterquam quòd gratis B. Mariam à pacto excludunt, valdè laborant, vt eam per Christi merita, verè & propriè redemptam esse propugnent. (vt vidimus dis. 3. ca. 4.) Posteriores, licèt B. Virginem à peccato liberent, eam debito peccati obnoxiam faciunt. Insuper hi Doctores satisfactionē Christi pro peccato Adami, aliquantulùm diminuunt; siquidem in ordinatione decretorum diuinorum, aliquod signum rationis admittunt, in quo Deus omnino liberaliter, & nō per Christum, culpam Adami posteris non imputauit; aiunt enim Vasquez 1. p. disp. 95. cap. 3. Becanus de Incarnat. cap. 1. q. 8. n. 3. Lugo ibidem disput. 7. & multi alij, Deum in signo, quo Adami peccatum præcognouit, non vidisse naturam humanam maculatam, aut in posteris peccatum iam contractū; sed veluti suspensum & cogitabundum extitisse; in secundo signo prædestinauit Christum vt mortalem, in tertio eius meritis iam præuisis, B. Virginem iam obnoxiam, sicut cæteros alios peccato, sanctam concipiendam statuit; & pariter cæteri alij in peccatum originale ceciderunt. Cùm autem illa suspensio diuina, quam habuit in signo illo primo, fuerit aliqua gratia, quâ genus humanum ob culpam Adami indignum erat; & insuper illa ei ex meritis Christi orta non fuerit, siqui dem Christus in illo signo adhuc non erat; sequitur satisfactionem Christi non fuisse omnino perfectam: siquidem interceſſit aliqua debiti condonatio, quod perfectionem rigorosæ satisfactionis aliqualiter diminuit, vt constat ex doctrinâ Vasquez 3. p disp. 2. cap. 5. n. 53.

Vasquez. Becanus. Lugo.

Vasquez.

Quibus omnibus incommodis secundùm nostrā doctrinā facilè liberamur. In primo enim signo v. g. Deus pactum iniuit cum Adamo de transfundendâ iustitiâ originali in posteros, casu quo non peccaret, aut si peccasset, horâ v. g. nonâ pœniteret. In secundo signo peccauit Adamus, tamen quia præfatum peccatum non erat conditio adæquata, sub qua Deus pœnas posteris comminatus est; neque infecit naturam, neque eam obnoxiam peccato reddidit; sed solùm in periculo magno peccandi illam constituit. In tertio signo mortuus est Christus. In quarto ob eius merita, sanctissima Virgo à pacto fuit eruta, & innumeris gratijs condecorata. In quinto signo ob merita Christi, & ob merita B. Virginis, primis parentibus fuit gratia collata, vt pœniterent, & sic ad statum pristinum reuocarentur. In sexto denique Adamus prædictis auxilijs abutens, impœnitens mansit; & omnes suos posteros inclusos in pacto maculauit. Sanè iuxta hunc discursum nulla debiti consurgentis ex Adami peccato, condonatio, plenè liberalis apparet; siquidem quidquid gratiæ concessum est hominibus post dictam præuaricationem, ex Christo dimanauit. Insuper iuxta hunc discursum, non solùm B. Virginem propriè redemptam & pariter à peccato & eius debito immunem rectè subsistit; sed etiam declaratur quomodo ea simul cum filio toties generis humani redemptrix fuerit, & omnis gratia primis parentibus, & reliquis hominibus post transgressionem Adami impensa, ex meritis Filij & Matris ortum duxerit: Vnde cùm iuxta nostram doctrinam, merita & satisfactio Christi, puritas, & officium redemptricis Matris extollantur; & aliunde satis probabilibus principijs innitatur; eam præ cæteris alijs doctrinis eligimus.

42. *Iuxta dictā viam decreta diuina designantur.*

CAPVT VI.

Nonnullis obiectionibus satisfit.

43. QVamuis aliquot argumenta, quæ contra nostram doctrinam opponi possunt, adduxerimus, & eis responderimus disp. 6. cap. 8. nihilominus, vt ea doctrina magis stabiliatur, & declaretur, illa iterū, & multa alia nunc opponere placet. Et antequam vlteriùs progrediar, aduerto, nos hanc doctrinam defendere iuxta opinionem asserentem posteros peccasse in Adamo, non esse eos moraliter ad eius peccatū cōcurrisse; sed Adamum meruisse, vt eius posteri iustitiâ denudarentur. (de quo latè disputaui suprà disp. 1. cap. 2. & 3.) An verò hæc doctrina propugnari valeat iuxta opinionem admittentem præfatos concursus morales posterorum in culpam Adami, attingam infrà disput. 10. cap. 6. à numero 38.

Obijcies primò, nos in Adamo peccasse est Adamum condignè meruisse vt iustitia originali denudati conciperemur (vt ostendi suprà disp. 1. cap. 3.) sed Adamus statim, ac fructū vetitū comedit

id meruit; ergo statim, ac Adamus deliquit, nos in ipso peccauimus; & consequenter pœnas comminatas incurrimus, & eius peccatum fuit nobis imputatum saltem euitabiliter. Neque satisfaciemus respondendo Adamum, non quando primò comedit, sed quando se excusauit, seu horâ nonâ impœnitens inuentus est; meruisse præfatas pœnas, vt Patres allegati suprà disput. 5. cap. 5. & 6. tradiderunt; nam Patres locuti sunt de pœnis quarum incursio esset ineuitabilis; illi enim eodem modo locuti sunt de Adam, & posteris; vnde sicut Adam peccauit, & pœnas euitabiliter incurrit, ita posteros tunc euitabiliter peccasse, & pœnas incurrisse, fateri necesse est.

45. *Responsio ad obiectionem.* Respondeo, Adamum non meruisse ante eius impœnitentiam præuisam, quando primò peccauit, vt eius posteri sanctitate, & iustitiâ originali priuarentur; sed horâ nonâ, quando impœnitens à iudice ferente sententiam, repertus est. Vnde ante horam nonam præfatam, neque nos tunc in Adamo peccasse censemur, neque tunc in illo debitum peccati incurrimus, neque eius peccatum tunc nobis imputatum fuit, vt constat ex illis verbis Pauli ad Rom. 5. *Peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset*, suprà cap. 2. explicatis. Ex quo apparet in nostra doctrina inuolui duas propositiones; alia est, nos, quando primò deliquit Adamus, non incurrimus pœnam priuationis iustitiæ originalis ineuitabiliter. Alia est, neque eam pœnam tum incurrimus euitabiliter: priorem propositionem stabiliuimus ex Patribus perspicuè asserentibus, illam pœnam ineuitabilem post excusationem Adami, imò post sententiam, incursam fuisse; at posteriorem propositionem, non ex præfatis Patrum testimonijs, sed ex Paulo asserente, quando Adamus peccauit, eius peccatum non fuisse tunc nobis imputatum; sed paulò post, quando lex vrgens pro posteris subintrauit, aut vrgebat.

46. *Secunda obiectio.* Secundò obijcies, de fide est, Adamum nobis sanctitatem, & iustitiam perdidisse, & promeruisse, vt miseri & in peccato conciperemur; & consequenter, vt nos in eo peccaremus, vt constat ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali can. 2. vnde aliquod tempus præcessit, in quo primus parens præfata mala nobis demeruit: inquiro vel Adamus ea meruit, quando præceptum violauit? vel quando impœniters horâ nonâ sententiam audiuit? si prius admittimus, à nostra doctrina recedimus; siquidem iam cogemur fateri peccatum Adami fuisse nobis imputatum, statim ac ipse præceptum transgressus est. Si verò posterius sentimus, iterum rogabo secundò, an impœnitentia illa concurrerit ad incursionem prædictarum pœnarum demeritoriè, seu vt peccaminosa formaliter? vel non, sed eo modo quo impœnitentia finalis reproborum, rationis ob stultitiam superuenientem expertium, multoties concurrit ad eorum reprobationem? Si hoc dicas, sequitur totum meritum Adami, ob quod punimur, præcessisse ante præfatam impœnitentiam; siquidem hæc non concurrit vt meritoria, seu vt peccaminosa, sicut in reprobis præfatis totum meritum suæ condemnationis æternæ, eorum impœnitentiam anteceſſit. Vnde si post impœnitentiam Adami primus parens meruit, vt castigaremur; etiam ante impœnitentiam præfatam, ipsum id meruisse oportet; siquidem per impœnitentiam, meritum peccati quoad eius posteros auctum non est. Si verò dicimus, impœnitentiam Adami concurrisse ad nostram miseriam vt peccaminosam; & meritum prioris peccati auxisse; & sic effecisse vt meritum transfusionis peccati originalis in posteros consurgeret; est falsum: quia (vt ostendimus disp. 4. cap. 4. & 5.) peccatum, quo Adamus meruit nostram perditionem, & in quo peccauimus, fuit vnicum numero, & specie, nempe sola gula.

47. *Notabile.* Vt argumento satisfaciam, in memoriam reduco, quod in materi de merito tradidimus ex communi sententia; nempe meritum formaliter consistere in moralitate relatiuâ ad pœnas promeritas, resultante ex peccato, ab eoque distinctâ & separabili; vnde cùm pœnæ, quibus peccator castigatur, variæ sint; præfata moralitas varios terminos respicit. Has omnes pœnas ad triplicem classem malorum reduco. Prima est pœna damni ipsius peccatoris, sub quâ intelligo priuationem gloriæ, sanctitatis, virtutum supernaturalium, & auxiliorum, quibus præfata dona comparantur. Secunda est pœna sensus, sub quâ comprehendo incommoda positiua ipsius peccatoris, vt cruciatus, tristitia, & dolores hominis condemnati. Tertia classis est malorum, quæ multoties peccator suo delicto alijs promeretur, vt colligitur ex Exodo cap. 20. n. 5. Ezechiele 18. de quo Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 7. q. 3. Suarez 1. 2. tract. de peccatis disput. 7. sect. 1. Vasquez 1. 2. disput. 135. bene tractant. Et licèt inter merita prædictarum pœnarum nullum discrimen Suarius suprà sect. 3. n. 11. Ægidius Conincs de pœn. disp. 2. dubio 18. n. 150. & non nulli alij Doctores, agnoscant; & ideo absolutè asserant, meritum peccati ex ipso peccato, & ordinatione positiuâ Dei consurgere. Tamen aliqui recentiores inter tertiam classem prædi-

Exodus. Ezechiel. Becanus. Suarez. Vasquez. Ægidius.

dictarum pœnarum, & duas priores, differentiam constituunt in materia de peccatis. Nam mala priuatiua primæ classis peccator per suam culpam grauem, ita sibi condignè promeretur, vt etiamsi nulla Dei ordinatio aut comminatio adesset, præfatus peccator dignus esset, vt ab amicitia Dei, & eius visione in æternum remoueretur, vt innuit Lugo de pœnit. disput. 10. sect. 1 n. 11. Vasquez 1. 2. tota disp. 214. agens de merito bonorum operum. Idem iudicium ferunt aliqui de pœnis aliquibus secundæ classis; siquidem peccator ob culpam grauem personalem, etiã ablatâ quacumque ordinatione diuinâ, dignus est vt aliquâ tristitiâ aut dolore in æternum affligatur. Vnde Vasquez 1. 2. disp. 134. Suarius 1. 2. tract. de peccatis disp. 9. sect. 6. S. Thomas in 2. dist. 33. q. 12. art. 2. Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 9. q. 12. & alij communiter, inter peccatum personale, & originale illam differentiam constituunt, quòd peccator, non per culpam originalem, sed solùm ob culpam personalem, dolore dignus est; quod discrimen, non ex ordinatione Dei, sed ex natura ipsorum peccatorum, Doctores præfati desumunt. Attamen meritum pœnarum tertiæ classis, vt consurgat, præter naturam ipsius peccati, ordinationem Dei præfatas pœnas designantis, exigit: vnde si omnis comminatio aut ordinatio diuina circa illas auferatur, tua peccata, vt alius puniatur, nullatenus formaliter promerebuntur. Quod supponunt omnes Theologi prærequirentes pactũ Dei cum Adamo, ad hoc vt eius peccatum nobis pœnas mereri posset; vnde præfata merita vt pullulent ex peccato, conditiones per ordinationem aut comminationem Dei ad eorum ortum designatas, poni prærequirent, vt sensit Ægidius suprà. Vnde antequam præfatæ conditiones existant, præfatum meritum ex peccato iam existente, non consurget, quæ doctrina bene intellecta vera est; & quam infrà n. 52. declarabimus.

Lugo. Vasquez.

Vasquez. Suarez. S. Thom. Becanus.

48. *Solutio secundæ obiectionis.*

Ex quo ad argumentum propositum suprà n. 46. respondeo, meritum Adami respectu posterorum, non solùm ex natura peccati, sed ex illo, & ordinatione, seu comminatione Dei, oriri; vnde cùm Deus decreuerit nos morte punire, si Adamus inobediens horâ v. g. nonâ non pœnituisset, ideo non fuisset illud meritum donec præfata impœnitentia Adami apponeretur (vt diximus) idcirco illud, non quando primò peccauit Adamus, sed quando horâ nonâ impœnitens repertus est, insurrexit: quare cùm nos peccasse in Adamo, fuerit Adamum nobis meruisse priuationem iustitiæ, & hanc ille post impœnitentiam formaliter nobis promeruit; ideo ante illam nos in Adamo peccasse non dicemur. Denique vt ad secundum quæsitum respondeam, subiungo impœnitentiam præfatam Adami non concurrisse necessariò ad prædictum meritum pœnarum posterorum vt peccaminosam, seu vt formaliter meritoriam (vt diximus suprà disputatio. 4. capite 8. numero 76.) neque auxisse meritum prioris peccati Adami; sed solùm concurrisse vt conditionem designatam à Deo, ad hoc vt præfatum meritum ex peccato præcedenti consurgeret: sicut impœnitentia finalis reproborum etiam nullatenus peccaminosa, ad eorum condemnationem multoties concurrit, licèt inter concursum impœnitentiæ finalis præfatorum reproborum ad eorum condemnationem, & concursum impœnitentiæ Adami ad pœnas posterorum, sit aliqua differentia; nam prædicta impœnitentia reproborum non est conditio ad hoc, vt peccata præcedentia sint meritoria pœnæ damni, & sensus; sed solùm ad hoc vt pœnæ iam demeritæ executioni mandentur; at impœnitentia præfata Adami, non solùm ad executionem pœnarum posteris comminatarum, sed etiam ad meritum formale illarum requirebatur: vnde illa meritum formale prædictarum pœnarum non præsuppositi, sed illud ipsam impœnitentiam subsecutum est; sicut condemnatio reproborum, impœnitentiam eorum præsupponit.

49. *Notabile in fauorem alterius obiectionis.*

Vt præfatam doctrinã conuellant aliqui Doctores notant ex Vasquez 1. 2. disp. 214. cap. 10. omne meritum peccati, non ex ordinatione diuina, sed solùm ex malitia & grauitate illius totaliter desumendam esse. Vnde si Deus aliquod malum, quo peccatum ex se dignum non esset, immitteret; illud malum non pœna peccati, sed solùm incommodum, aut malum esset. Addunt ex ipso Vasquez suprà n. 78. pactum initum cum Adamo, rationem meriti culpæ Adami non auxisse; sed materiam subministrasse, in qua Adamus nouiter puniretur: nam peccatum mortale ex se solo, & ablata quacumque ordinatione diuina, dignum est vt illud committens, omni dono & beneficio collato expolietur: cùm autẽ beneficium aliquod Adamo fit factum, in eo quòd ipse constitutus fuerit caput generis humani, per quod iustitia in posteros transfunderetur; & aliunde hoc beneficium ex pacto dimanarit, idcirco prædicta lex pacti meritum peccati Adami non auxit; sed materiam, in qua Adamus mulctaretur, subministrauit. Quare si Deus promisisset Adamo, se per ipsum iustitiam transmissurum in eius posteros,

Vasquez.

& non fuisset vllâ pœnâ comminatus; nihilominus culpa Proptaplasti digna esset, vt neq; Adamus neque eius posteri illo beneficio potirentur. Ex quo sic arguunt:

50. *Obiectio proponitur.* Omne peccatum graue ex se dignum est, vt eius auctor statim omnibus beneficijs à Deo eidem impensis, denudetur: sed beneficium Adami fuit, quòd iustitia originalis per ipsum fuisset in posteros deriuanda; ergo Adamus statim ac peccauit, promeruit ne præfata iustitia per ipsum in suam propaginem transfunderetur. Quapropter cùm iuxta pactum iustitia originalis per alium, quàm per Adamum non esset in posteros transmittenda; si Adamus meruit statim ac deliquit, ne per ipsum illa in suam stirpem dimanaret; planè consequitur ipsum quoque meruisse, vt eius filij iustitiâ præfatâ orbati, & consequenter maculati, conciperemur.

51. *Retorquetur.* Prædictum argumentum, sicut duo præcedentia, plus quam eius patroni volunt, persuaderet, si efficax esset; nempe Adamum per peccata, quæ ante comestionem, teste Augustino, perpetrauit, infecisse naturam, & meruisse, vt iustitia originali priuaremur, & culpa originalis transfunderetur; siquidem illa peccata etiam meruissent, vt Adamus beneficio transmittendi in posteros iustitiam, denudaretur; vnde licèt Adamus postea abstinuisset à ligno prohibito, nihilominus maculati conciperemur; quod vt ostendimus disp. 4. cap. 6. num. 42. à vera Theologia abhorret: quopropter auctores prædictæ obiectionis eidem respondere debent.

52. *Notabile.* Vt argumento respondeam, noto, ordinationem Dei non requiri ad rationem meriti, ex eo quòd ob illam meritum augeatur vel diminuatur; sed vt determinetur pœna numerica aut specifica, quâ peccator puniri meretur: nam cùm dignitas ad pœnam sit relatiua, & relatio terminem exposcat, ordinatio diuina, vt meritum ad talem pœnam determinetur, facit. Quod vt innotescat, noto ex doctrina S. Thomæ 1 2. q. 87. art. 4. (quem sequuntur Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 8. q. 6. Suarius 1. 2. tract. de peccatis disput. 7. sect. 3. Vasquez 1. 2. disput. 140. à n. 19. & alij communiter) nempe peccatum mortale non mereri pœnam intensiuè infinitam, seu cumulum omnium malorum possibilium; sed solùm aliquot mala ex illo cumulo, quæ Deus immittere voluerit in pœnam, proportionata tamen peccato; quibus semel à Deo designatis, peccatum cætera alia mala non meretur, vt accidit in peccato politico, aut ciuili, quod meretur solùm condignè vnam è duabus pœnis, vel pœnam v. g. pecuniariam, vel pœnam exilij. Sanè determinata per

S. Thom. Becanus. Suarez. Vasquez.

per legem pœnâ exilij, & executâ, iam præfatum peccatum pœnâ pecuniariâ indignum est; ita culpa mortalis præter pœnam damni est digna finitis alijs malis positiuis v. g. quatuor, quibus à Deo signatis & efficaciter decretis, culpa præfata non alijs malis, sed solùm illis quatuor digna erit. Vnde licèt ordinatio diuina neque augeat, neque meritum diminuat, tamen facit, vt meritum, quod eâ ablatâ esset indifferens ad has vel illas numero pœnas, determinetur ad has numero vel specie, & cæteras alias nullatenus respiciat. Ob hanc causam peccata mortalia, quæ ante comestionē commisit Adamus, non meruerunt, vt Adamus beneficio & gratiâ illi concessâ transfundendi in posteros iustitiam originalem, spoliaretur: nempe quia Deus eo ipso quòd soli comestioni Adami illam pœnam apposuit, alijs peccatis alias pœnas illis proportionatas designauit; & ideo illa non hanc pœnam, sed alia mala promeruerunt. Eadem ratione gula Adami non statim ac extitit, sed horâ nonâ, quando ei impœnitentia Adami sæpè repetita, adiuncta fuit, meruit vt Adamus præfato beneficio transfundendi iustitiam originalem in posteros, denudaretur; nempe quia Deus non comestioni soli, sed eidem vt coniunctæ cum impœnitentia, præfatam pœnam constituit. Vnde gula ante prædictam impœnitentiam, non transfusionem peccati originalis, aut priuationem dicti beneficij concessi Adamo, sed alias pœnas, quibus Deus illam, si impœnitentia non subsequeretur, castigare conditionaliter decreuerat, promeruit: in hoc sensu doctrinam aliquorum recentiorum relatam suprà n. 47. approbaui in materia de peccatis, quo posito,

53. *Obiectioni fit satis.* Ad argumentum propositum suprà n. 50. respondeo, peccatum graue ex se non esse determinatè dignum vt peccator spolietur omnibus beneficijs eidem concessis in vtilitatem aliorum; sed esse ex se indifferens ad hoc vt illâ pœnâ, vel aliâ æquiualenti puniri possit: vnde aliâ à Deo designatâ, iam peccatum peccatorem dignum non reddit, vt priuetur præfato beneficio; siquidem supposito decreto immittendi aliam pœnam priuationi præfati beneficij æquialenti, si peccator etiam beneficio illo priuaretur in pœnam, vltra meritum castigaretur. Cùm autem supposito decreto efficaci, quod Deus habuit priuandi Adamum potestate transfundendi in posteros iustitiam originalem, tantùm si comederet fructum prohibitum, & pariter horâ nonâ impœnitens reperiretur, idcirco soli peccato gulæ ab impœnitentiâ separato, alias pœnas designauit; quibus signatis, gula, dùm

ante impœnitentiam extitit, non priuatione prædicti beneficij, sed alijs pœnis digna fuit.

54. *Quarta obiectio.* Quartò obijcies, Adamus per violationem præcepti impositi, meruit de condigno, vt statim sanctitate, & omnibus auxilijs supernaturalibus ad illam recuperandam, spoliaretur, vt constat ex doctrina receptissima, & verissima Bernardi lib. de libro arbitrio circa medium, Prosperi ad capita Gallorum respons. 8. Cælestini epist. 1. cap. 4. quam Vasquez 3. p. disput. 2. n. 52. & alij amplectuntur: cùm autem ex negatione omnium auxiliorum supernaturalium necessariò impœnitentia peccati commissi, & ex impœnitentiâ Adami, corruptio totius generis humani sequatur, si Adamus statim ac deliquit, meruit vt omni auxilio supernaturali ipse priuaretur, eum suam impœnitentiam, & corruptionem naturæ humanæ promeruisse quoque necesse est.

S. Bern. Prosper. Cælestina. Vasquez.

55. *Notabile.* Hoc argumentum, sicut præcedentia, doctrinæ communi asserenti Adamum ante comestionem aliqua peccata grauia patrasse, aduersatur; siquidem si efficax esset, concluderet, Adamum per illa peccata antecedentia iam infecisse naturam (vt indicaui suprà n. 51.) Vnde vt respondeam, aduerto ex doctrina Cardinalis de Lugo de Incar. dis. 7. sect. 3. n. 31. aliud esse nos mereri aliquē effectū, & aliud aliqua ex effectu promerito dimanare: ad hoc enim vt aliquod bonum, vel malum sit præmium vel supplicium formale meriti, aut demeriti, opus est vt nostra Deum meritoriè moueant ad prædicti effectus productionem; attamen ad hoc vt aliqua res ex præmio vel supplicio promerito naturaliter deriuetur, non requiritur quòd illa supplicium aut præmium sit; siquidem illa formaliter ex merito non descendit, sed ex entitate physicâ præcedenti, quæ promerita fuit. Declaratur, aliquoties pluuia, triticum, & alia multa dona naturalia, per merita Christi, & preces Sanctorum nobis impertiuntur; & tamen licèt ex tritico promerito relationes identitatis, æqualitatis, inæqualitatis, & alij modi, imò alia innumera grana tritici nascātur, nemo tamen dicet Christum formaliter sua merita applicuisse, vt vinum v. g. impetratum à Virgine in nuptijs Cana Galileæ, relationem similitudinis, & dissimilitudinis mutuæ cum alijs entitatibus haberet; nempe quia Christus, & B. Virgo vinum produci solùm promeruerunt; quod autem inde relationes, & alij innumeri modi pullularent, non curarunt, neque petierunt.

Lugo.

56. *Obiectioni respondetur.* Ex dictis respondeo, Adamum per suam comestionem perdidisse sibi omnem sanctam cogitationem supernaturalē, & meruisse de

de condigno, vt ei auxilia ad pœnitendum denegarentur; nihilominus licèt ex eius impœnitentia corruptio naturæ humanæ necessariò sequeretur, eam tunc formaliter non meruit: nam meritum formale illius iuxta pactū erat oriturum ex gulâ Adami & impœnitentiâ dictâ, quæ cùm non fuisset horâ tertiâ, quando Adamus comedit, idcirco tunc prædictum meritum formale corruptionis naturæ non erupit. Neque obstat quod ex impœnitentia Adami promerita per peccatum præcedens, necessariò sequeretur; siquidem hoc non euincit illam fuisse tunc formaliter promeritam; sed solùm eam habuisse connexionem cum effectu, qui fuit promeritus, quod diuersum est & ad rationem pœnæ, & meriti non sufficit, vt suprà n. 55. adnotaui. Quod magis exemplo declaro: peccatum quodlibet graue personale de cōdigno meretur, vt eius auctor omnibus auxilijs congruis ad salutem denudetur, vt diximus, & tamen licèt ex illorum negatione peccata sequantur. Theologi negant secundum peccatum esse pœnam formalem prioris, nempe quia formalitas peccati secundi non fuit merita à priori peccato, sed solùm fuit effectus priuationis auxiliorum efficacium demeritæ; ita licèt perditio nostræ iustitiæ originalis ex impœnitentiâ promeritâ per gulam solam Adami emanaret, nihilominus prædicta corruptio naturæ tunc, quando Adamus primò peccauit, non pœna formaliter prædicti peccati, sed effectus impœnitentiæ, quæ erat promerita, esset.

57. *Obiectio ex Patribus.* Obijcies quintò, Patres, & Theologos communiter asserentes, non solùm nos peccasse in præuaricatione, seu gulâ Adami, sed etiam nos deliquisse in eo, quando ille comedit; & ne lectorem defatigem multitudine testimoniorum, aliqua solùm referā. Ansel. lib. 10. de Concep. Virginis, cap. 7. ait: *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit*, & iterum: Vbi *Adam peccauit, natura peccauit*. S. Auguſt. in Hypogno. ad art. 2. *Cùm verò peccauit homo, natura peccauit, & facta est natura iam peccatrix.* Ex quo sequitur Adamum, quando primò comedit, infecisse naturam, & nobis priuationem iustitiæ originalis promeruisse; alioquin si præfatū meritū post impœnitentiā dictam emanasset, non horâ tertiâ, quando Adamus peccauit; sed horâ nonâ, quando pœnitere noluit, naturam humanam infecisset; quod Patribus, & Theologis contradicit.

Ansel. Auguſt.

58. *Obiectio soluitur.* Respondeo, nos peccasse in Adamo, quando ille peccauit, non quia tunc peccauimus, vt tradidit Anselmus suprà; sed quia illud peccatum fuit fundamentū præcipuum, ex quo meritū formale Adami (ratione cuius nos peccasse in Adamo dicimur) resultauit;

quod sufficit ad præfatam denominationem: ex quo non sequitur, Adamum ante impœnitentiam infeciſſe naturam, aut pœnas comminatas nobis promeruiſſe; ſed ſolùm ſequitur, Adamum illas promeruiſſe, quando peccauit, dato quòd impœnitentia fuit ſubſecuta. quod exemplo ratihabitionis declaratur: Demus amicum anno præterito, & te inſcio, aliquem contractum tuo nomine effeciſſe, quem ſi hodie illum ratum habeas, cenſeris fictione iuris, illum, quando amicus contractum iniuit, celebraſſe; non quia tunc illum celebraſti; ſed quia poſitâ ratihabitione, contractus retrotrahitur fictione iuris, ad tempus quo amicus nomine tuo illum celebrauit. Vnde Molina. Molina de iuſtitia tract. 2. diſp. 337. n. 16. ait hoc adeo verum eſſe, vt ſi tempore, quo amicus contraxit tuo nomine, eras immunis ab onere ſoluendi alcaualam, ſeu tributum, etiamſi quando contractum factum ab amico ratum habes, præfatum priuilegium amiſiſſes, illam ſoluere non debeas, nempe quia per diſpoſitionem iuris ratihabitio taliter retrotrahitur, vt quando amicus pactum iniuit, tu quoque illum iniuiſſe dicaris: quod diſpoſitione iuris factum eſt in ratihabitione, fecit Dei ordinatio & diſpoſitio in impœnitentiâ Adami: nam ille decernendo ſe ſolum caſtigaturum poſteros Adami priuatione iuſtitiæ originalis, ſi Adamus, poſtquam fructum vetitum comediſſet, impœnitens vſque ad horam nonam v.g. perſeueraſſet, effecit, vt adueniente impœnitentia; meritum formale noſtrarum pœnarum erumperet, ratione cuius nos in Adamo, quando ille peccauit, deliquiſſe dicamur; non quia ante impœnitentiam in eo peccauerimus; ſed quia poſita impœnitentiâ, ſumus damnificati, ac ſi quando Adamus comedit, nos quoque comediſſemus.

Obijcies ſextò, lex illa Geneſ. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, Adamum vt perſonam publicam, ſeu ipſum, & eius poſteros comprehendit, vt omnes ſupponunt, vnde ſupplicium mortis Adamo, & poſteris ſub eadem conditione propoſitum eſt; ſiquidē abſurdū eſſet pœnā eiſdē verbis ſignificatam, & pluribus comminatam, reſpectu vnius diuerſimodè ac reſpectu aliorum, interpretari; ſed conditio adæquata prædictæ legis, vt ordinatæ ad perſonam Adami, eſt ſola illius præuaricatio; ergo conditio adæquata prædictæ legis, vt poſteros reſpicientis, etiam eſt prædicta tranſgreſſio. Quare ſicut Adamus immediatè ac deliquit, pœnas, & maculam, licèt euitabiliter incurrit; ita nos tunc temporis eas incurriſſe oportet. Enimuerò hoc argumentum ſupponit le- 59. *Explicantur verba Geneſis.*

legem illam comminatoriam eodem modo reſpectu Adami, ac poſterorum eſſe interpretandam: quod (vt diximus ſuprà diſput. 6. cap. 8. numero 53.) multi negant.

60 *Iterum obiectioni reſpondetur.* Verùm vt omnis ſcrupulus è medio tollatur, do legem pœnalem præfatam reſpectu Adami & poſterorum, eodem modo exponi debere; vnde ad incurſionem pœnæ in ea impoſitæ, eadem prorſus reſpectu Adami, & poſterorum conditio totalis, & adæquata eſt; nempe præuaricatio vt coniuncta cum impœnitentiâ ſæpe declarata. Pro cuius intelligentia in memoriam reduco, quod ſuprà diſput. 5. cap. 7. n. 4. & 5. tradidimus; nimirum pœnam mortis corporalis v.g. duplicem eſſe; alia Adamo euitabilis iuxta Dei prouidentiam ordinarium; & alia ei iuxta eandem prouidentiam, ineuitabilis fuit. Addo, pœnam mortis comminatam in prædicta lege Adamo vt perſonæ publicæ, ſeu ipſi & poſteris, fuiſſe mortem ipſi primo parenti & poſteris ineuitabilem (vt volunt etiam Doctores, qui in alijs propoſitionibus nobis contradicunt:) cùm autem conditio totalis & adæquata ad incurſionem ineuitabilem mortis ſpiritualis & corporalis, tam reſpectu Adami, quàm poſterorum, fuerit præuaricatio Adami, vt coniuncta cum impœnitentia toties repetita; idcircò idem ſupplicium ſub eadem conditione Adamo, & poſteris in prædictâ lege poſitum eſt: vnde ſicut poſteri Adami pœnas contentas in præfatâ lege ſtatim, ac peccauit Adamus, nō contraxerunt, ſed horâ v.g. nonâ, quādo Protoplaſtus à iudice impœnitens inuentus eſt; ita primus parens ſtatim ac comedit fructum prohibitum, pœnas vt comminatas in dicta lege, ſeu vt ineuitabiles, non incurrit, ſed quando horâ nonâ pœnitere noluit.

61. *Tridentinū Concilium explicatur.* Scio te oppoſiturum Concilium Tridentinum, ſeſ. 5. cap. de peccato originali, can. 1. definiens Adamum ſtatim, ac peccauit, non ſolùm incurriſſe iram & indignationem Dei, ſed etiam, *mortem* (verba ſunt Concilij) *quā antea illi comminatus erat Deus*; ſed mors antea comminata fuit ineuitabilis Adamo, vt paulò antea admiſimus; ergo hanc incurrit Adamus ſtatim ac comedit, & ideo ab illa per pœnitentiam liberari nequiuit. Reſpondeo aliud eſſe aliquam incurriſſe mortem in lege comminatam, & aliud eundem mortem incurriſſe, vt in lege comminatam: ad prioris propoſitionis veritatem ſufficit, quòd reus mortem ſubeat, licèt eam cum alijs extrinſecis grauaminibus contentis in lege non patiatur: at vt quis mortem vt comminatam incurriſſe dicatur, non ſufficit quod ille reus à carnifice occidatur;

tur; sed insuper requiritur, vt ea illi inferatur eo modo, & sub omnibus circumstantijs, quibus Princeps in sua lege mortem comminatus fuit: vnde cùm Adamus mortem corporalem, seu mortalitatem vitæ animalis, licèt euitabilem, statim ac fructum interdictum edit, incurrerit; ideo ipse statim ac præuaricatus est, mortem comminatam incurrisse censetur.

62. *Octaua obiectio proponitur, & eius solutio.*

Octauò instabis: Adamus horâ tertiâ, quando comedit, mortem corporis euitabilem, & horâ nonâ, quando impœnitens fuit, mortem corporis ineuitabilem incurrit; ergo Adamus, vt persona particularis, duplicem pœnam subijt ob suum peccatum, aliam mortis euitabilis, & aliam mortis ineuitabilis; quod absurdum videtur; tùm quia Deus bis eandem culpam non castigat, tùm quia posteri eodem peccato, ac Adam, peccauerunt; & tamen mortem euitabilem non incurrerunt, sed solùm ineuitabilem, quando impœnitens primus parens repertus est; ergo neque Adamus duplicem illam mortem euitabilem & ineuitabilem incurrit. Respondeo, mortem corporalem euitabilem, & ineuitabilem propriè non esse duplicem pœnam, sed eandem magis auctam; siquidem quando peccauit, mortalis factus est, ita vt, si vellet, immortalitatem vitæ animalis iterum consequeretur; at post impœnitentiam, illa potestas ablata est. Vnde in hac parte Adamus reprobis similis fuit: sicut enim hi per sua peccata mortalia meruerunt carere in æternum sanctitate, & amicitiâ Dei, & tamen ijdem statim iustitiâ ita denudantur, vt iterum eam ante mortem comparare valeant; at morte eorum subsecuta, præfatum supplicium ineuitabile, & æternum redditur. Eodem modo Adamus per suam præuaricationem promeruit, vt in æternum iustitiâ originali spoliaretur; at bonus Deus statim ac deliquit Adamus, ita eum iustitiâ originali spoliauit, vt iterum eam, si vellet, acquirere per pœnitentiam posset; verùm ipso non pœnitente, eum cum totâ posteritate præfato dono iustitiæ ineuitabiliter denudare statuit: in quo non duæ mortes Adami, seu mortalitates; sed vnica mortalitas diuersis accidentibus vestita, reperitur; alia, quam posset vitare, & eadem iam ineuitabilis.

63. *Alij obiectioni fit satis.*

Nonò adhuc instabis, nos posteri peccauimus in præuaricatione Adami, vt omnes Catholici supponunt; ergo sicut Adamus statim ac peccauit, pœnam euitabilem mortis incurrit, ita nos eandem tunc incurrisse necesse est. Respondeo, verum esse nos peccasse in præuaricatione Adami v. g. in comestione: attamen non peccauimus in illâ, quando Adamus edit, sed paulò post; quia (vt diximus ex Paulo suprà cap. 2. numero 21.) non erat tunc lex vrgens pro posteris; vnde tunc temporis pœnam comminatam non incurrimus; sed horâ v.g. nonâ, quando Protoplastus impœnitens fuit. Ex quo apparet magnum discrimẽ inter Adamum, & nos intercessisse: quippe cùm Adamus existeret, & haberet tunc propriam voluntatem ad hoc vt eius comestio ei in peccatum imputaretur, & esset; satis fuit, quòd voluntariè, & liberè operationẽ prohibitam physicè eliceret; at cùm nos tunc non extiterimus, neque propriâ voluntate physicè ad præfatam comestionem concurrerimus; euenit, vt comestione Adamo in peccatũ imputata, eadẽ nobis tunc temporis non imputaretur. Et ratio est, quia illa comestio erat nobis solùm imputanda in peccatum, iuxta naturam pacti; cùm autem pactum ad hoc vt culpa præfata moraliter attribueretur, præter ipsam, etiam impœnitentiam futuram, horâ v.g. nonâ, exigeret; & aliunde impœnitentia præfata, eo instanti quo Adamus deliquit, non esset; idcirco peccatum illud tunc temporis nobis imputatum non fuit, sed paulò post.

64. *Obiectio alia & ad eã responsio.*

Adhuc decimò vrgebis, Adamus quando fructũ prohibitũ degustauit, vt persona publica, seu nomine suorum posterũ operatus est; alioquin si vt persona particularis comedisset, eius culpa nullatenus in posteros transmitteretur, sicut alia peccata Euæ, imò ipsius Adami, in posteros non sunt transfusa; nempe quia illa à primis parentibus, vt personis particularibus, ortum duxerunt; sed quod nomine alterius fit, illi statim imputatur; vt contingit in tutore contractum aliquem celebrante nomine pupilli, qui contractus statim ac fit, pupillo adscribitur, & is statim illum effecisse censetur; ergo etiam nobis peccatum Adami statim, ac fuit commissum, imputatum est; siquidem nomine nostro fuit perpetratum. Respondeo, vt aliquid factum à persona publica, seu nomine alterius esse dicatur, non sufficit quòd persona quæ est publica aliquid agat; sed insuper requiritur, vt illud eo modo quo est iniunctum à Principe, efficiatur. Vnde si ad hoc vt contractus, initus à tutore, imputetur pupillo, requiritur aliqua solemnitas iuris, vt Scriptura, aut aliquid simile, etiam si celebrans præfatum contractum sit tutor, aut persona publica, nihilominus ille pupillo nullatenus adscribetur, donec scriptura sit confecta, ita licèt comestio Adami fuerit ab illo, qui erat persona publica, nihilominus, donec horâ v.g. nonâ, adfuit impœnitentia, prædictum peccatum posteris imputatum non est; nempe quia inter re-

requisita ad præfatam imputationem, impœnitentia quoque iuxta pactum requirebatur.

65. *Satisfactio ad aliam obiectionem,*

Obijcies vndecimò, ergo peccatum Adami vsque ad horam v.g. nonam, in qua eius impœnitentia visa fuit, non solùm naturam non infecit, sed etiam nullum nocumentum attulit. Respondeo, verum esse peccatum Adami vsque ad horam v.g. nonam non corrupisse naturam; nihilominus ei magno detrimento fuit; quia eam in magno periculo constituit amittendi iustitiam originalem, & incidendi in peccatum originale: nam cùm ad transmissionem iustitiæ originalis iuxta pactum, vt Adamus horâ illâ nonâ iustus & sanctus reperiretur, opus esset; & aliunde, supposito peccato, ad iterum comparandam sanctitatẽ mediâ pœnitentiâ, auxilia diuina, quibus per suâ culpâ factus fuerat indignus, requirerentur; fuit in magno periculo, ne illa in pœnam denegarentur: sicut de facto fuissent denegata, nisi Christus Dominus intercessisset. & ob hanc rationem possumus dicere, peccatum prædictum fuisse ab Adamo, vt persona publica, initiatiuè commissum; nempe quia licèt tunc naturam non infecerit, neque illud peccatum nobis tunc fuerit imputatum; nihilominus Adamus per illud nos omnes in magno periculo incidendi in culpam originalem, constituit, & nostræ perditionis initium aliquod posuit.

66. *Alij instantiæ respondetur.*

Iterum duodecimò instabis: Si Adamus tempore opportuno pœnituisset, nos in pristinum statum reduxisset; vnde illa pœnitentia nobis imputaretur, vtpote nomine nostro facta, & ita nos in Adamo pœnituisse diceremur, sicut modò in præuaricatione Adami deliquisse dicimur: vnde cùm omnis pœnitentia propria peccatum ipsius pœnitentis præsupponat (vt tradunt S.Thom. in 4. di. 17. q. 2. art. 2. & communiter Theologi) si posteri in casu hypothesis pœnitere censeremur; etiam peccatum commisisse dicemur. Respondeo, conditionem adæquatam ad transfusionem iustitiæ originalis fuisse propriè & rigorosè loquendo, obedientiam, aut sanctitatem Adami, vt durantem vsque ad horam nonam, seu vt in illa hora existentem; ita conditio adæquata ad transmissionem peccati, solùm fuit peccatum Adami, vt durans vsque ad dictam horam, seu vt in illa habitualiter existens: vnde impœnitentia, aut pœnitentia rigorosè loquendo, conditionem adæquatam pacti non intrarunt. Quod in pacto nobiscum inito à Deo in ordine ad beatitudinem acquirendam, vel perdendam, contingere videmus; iuxta illud enim, si rigorosè

S. Thom.

rosè & methaphysicè loquamur, impœnitentia conditionem adæquatam ad perdendam beatitudinem non intrat; sed vt quis in æternum damnetur, formaliter & rigorosè loquendo, sufficit peccatum graue vt durans vsque ad mortẽ, seu tunc tẽporis habitualiter vel actualiter existens, vt patet. Verùm quia semel amissa per peccatũ sanctitate, illam per pœnitentiam solùm, saltem extra Sacramenta, recuperare valemus; idcirco impœnitentiam communiter conditionem adæquatam ad damnationem æternam componere dicimus; nempe non quia rigorosè & formaliter loquendo, ea præfatam conditionem totalem ingrediatur; sed quia impedimentum est, ne sanctitas perdita comparetur, seu ne conditio totalis requisita ad beatitudinem acquirendam, apponatur. Ita quia impœnitentia Adami fuit veluti causa, ne Adamus tunc pœniteret, & sanctitatem amissam recuperaret, & sic sanctus & iustus horâ illâ nonâ reperiretur; conditionẽ adæquatam ad transmissionem peccati intrasse iuxta communem modũ loquendi, diximus; non quia ea sit formaliter & rigorosè loquendo pars prædictæ conditionis; sed quia impediuit, ne conditio adæquata pacti, nempe sanctitas Adami, illo tempore apponeretur, & esset. Quapropter Adamus in hac re tutori, bona pupilli dilapidanti similis esse videretur. Sicut enim tutor bonis præfatis per suam malitiam decoctis, si ea per ludum v. g. iterum acquirat; ille ludus pupillo non imputaretur, licèt fructum ex illo secutũ, nempe suum patrimonium, participaret; scilicet quia tutor non lusisset vt persona publica, seu nomine pupilli; ita licèt Adamus iustitiam amissam iterum per pœnitentiam sibi recuperaret, quamuis nos fructum ex illâ perciperemus, nihilominus pœnitentia illa nobis non imputaretur; quia nomine nostro non fuit facta. Et ratio est, quia conditio totalis apposita Adamo vt personæ publicæ ad iustitiæ transfusionem, fuit vt iustus, obediens, seu Deo amicus horâ v.g. nonâ reperiretur: cùm autem per pœnitentiam etiam ab eo vt personâ particulari elicitam, sanctitatem opportunè acquisiuisset; idcirco etiam si ille nomine nostro non pœnituisset, conditio totalis ad transmissionem iustitiæ appositа fuisset, & nos fructum illius participaremus.

DISPVTATIO OCTAVA.

An aliquis, vel aliqui ex inclusis in pacto, potuerint tempore inter præuaricationem Adami, & prolationem sententiæ interposito, ab eo diuinitus eximi intuitu meritorum Christi?

OStendimus suprà disp. 2. omnes homines possibiles sed conditione, si ex Adamo per propagationem seminalem orirentur, in pacto inito cum eo fuisse inuolutos & disp. 3. cap. 6. subiunximus, B. Virginem in eo quoque fuisse comprehensam. Insuper disp. 1. cap. 5. §. 1. tradidimus, Christū immediatè post comestionem Adami, fuisse prædestinatū, & eius merita præuisa; vnde omnes gratiæ, quæ hominibus ab instanti vel signo cōcessæ sunt, per merita Christi à Patre impendi potuerunt. Quapropter, si aliquis post præuisum Christū à pacto eripi valuit, præfatum beneficiū ex Christi morte dimanasse, in comperto est. Vnde solùm est difficultas, an illo tempore medio, quod inter præuaricationem Adami, seu Christum prædestinatum, & inter prolationē diuinæ sententiæ contra genus humanum interiecto, potuerit Deus diuinitus aliquē vel aliquos à prædicto pacto eruere.

CAPVT I.

Relatâ opinione contrariâ, verior sententia illustratur.

PRima sententia negat, Deum de facto, postquam semel iniuit pactum cum Adamo, potuisse aliquos in eo comprehensos, ab illo vēdicare; ita quotquot B. Virginē in peccato originali cōceptā esse volunt, quorū aliquos refert Vasquez 3. p. dis. 116. cap. 1 eidē sententiæ subscripserunt Salazar de Concep. cap. 24. n. 95. Bernal de Incar. disp. 16. sect. 3. & nonnulli alij recentiores existimantes B. Virginem pactum nō intrasse; fundamentum præcipuum huius sententiæ infrà n. 5. referemus. 2. *Prima sententia.* Vasquez. Salazar. Bernal.

Verissima & communissima sententia asserit, Deum quoscumque ex comprehensis in pacto, ab eo per suam potentiam absolutā eripere valuisse. Ita omnes, qui B. Virginem non culpam originalem, sed debitum illius contraxisse aiunt; & ideo nullum allegamus. Probatur: nam, vt bene Vasquez 3. p. disp. 115. n. 35. tam promissiones, quàm leges vniuersales imbibitam semper habent illam conditionem, nisi legislator cum aliquo dispensare; vel promittens ex causa à pacto resilire voluerit, vt constat ex materia de legibus, & ex materia de promissionibus. Quare & Princeps postquam legem vniuersalem tulit, cum quocumque ex comprehensis dispensare; & promittens etiam causa subsistente, sine vlla iniustitiæ, infidelitatis, aut mutabilitatis notâ, à promissione resilire valet. Cæterùm si in alijs legibus, & promissionibus prædictam conditionem implicitè subesse liquet; quo iure eam à lege, seu pacto inito cum Adamo, abesse asseretur? 3. *Verior probatur.* Vasquez.

Præterea Theologi diuinam potentiam, aut prouidentiam, in ordinariam, & extraordinariam, seu absolutam diuidere solent: & hac posteriore multa fieri volunt, quæ iuxta ordinariam aliter executioni mandarentur. Sanè si Deus quando aliquid iuxta legem ordinariam efficiendum sanxit, in prædicto decreto conditio illa, nempe si per potentiam, & prouidentiam meam extraordinariam aliud non decreuero, non imbiberetur; neque mortuos suscitare, neq; alia miracula patrare valeret. Itaque lex seu pactū initum cum Adamo, tale est. Si fueris, ô caput hominum, meo præcepto obediens, omnes tuos posteros iustitiâ originali beabo; sin verò conditionē appositam non obseruaueris, eos omnes (exceptis tantùm illis, quibuscum, iuxta potentiam, & prouidentiā extraordinariam meam dispensare voluerim) priuatione iustitiæ originalis ineuitabiliter mulctabo. Sic lex præfata alijs legibus vniuersalibus diuinis, & humanis similis est; sic latum ostium, per quod B. Virgo per merita Christi, ad iustitiam & sanctitatem introire, & à peccato originali præseruari possit, aperitur: sic denique prædicta lex prouidentiæ diuinæ extraordinariæ, & potentiæ absolutæ subiecta est. 4. *Eadem opinio stabilitur.*

Obijcies, Princeps humanus ideo in lege vniuersali dispensare, & contrahens, à pacto resilire valet; quia quando ille legem tulit, aut hic pactum iniuit, causam ob quam Princeps subditum à lege vindicat; & contrahens, ob quam postea à contractu resilit, ignorabant; si enim illam præcognouissent, neque legislator cum aliquo dispensare, neque contrahens à contractu resilire, sine multabilitatis notâ posset: sed Deus quando legem vniuersalem tulit, & pactum cum Adamo celebrauit, omnes circumstan- 5. *Obiectio.*

stantias futuras præcognouit ; & nihilominus omnes posteros Adami comprehendit, ergo postea sine notâ mutabilitatis, nullum ex inclusis in pacto ab eo eximere valuit.

6. *Obiectioni fit satis.* Hoc argumentum, si efficax esset, Deum mutabilem, & imperfectum redderet. Ionæ enim 3. Deus se ciuitatem Niniue intra quadraginta dies subuersurum, minatus est. Et Isaiæ 38. Rex Ezechias ex infirmitate, quâ laborabat, moriturus dicitur ; & tamen postea in his, & alijs pluribus exemplis, quibus scatet Scriptura, & refert Salmeron in epist. ad Rom. disput. 49. Deus postea dispensauit ; non ex eo quòd circumstantias aut causas venturas, quando subuersionem ciuitati Niniue, aut mortem Regi Ezechiæ immissurum promisit, ignorauerit ; sed quia per potentiam suam extraordinariam, in lege illâ dispensare voluit ; ob easdem causas, quas præuiderat, quando legem illam tulit. Ita dicimus, Deum posse quemlibet ex inclusis in pacto ab eo postea eximere ; non quia causam venturam, quando pactum iniuit, ignorauerit ; sed quia lex illa subiecta est potentiæ extraordinariæ diuinæ. Vnde sicut dispositionē rerum oriundam ex prouidentia ordinaria, aliquando potentia extraordinaria mutat & vertit ; nempe quia illa huic subijcitur, ita leges, & decreta orta ex potentia ordinaria, si potentia extraordinaria intercedat, effectum non habet ; in quo nulla imperfectio est : quippe illa decreta, & leges imbibitam habent illam conditionem, si Deus per diuinam & extraordinariam prouidentiam aliud non decreuerit, vt benè adnotauit Pereira ad illud Genes. 22. *Immola filium tuum*. quare si postea Deus ob suam diuinam potentiam aliquid aliud velit, quod fuerat determinatum per prouidentiam ordinariam, non sequetur ; non quia hæc debilis, aut mutabilis sit, sed quia quæ per talem prouidentiam decernuntur, sunt virtualiter conditionata, & quòd decretum conditionatum executioni non mandetur, quando conditio non verificatur, nullam imperfectionem includit. Asserimus ergo, Deum legem vniuersalem, & pactum iniuisse cum Adamo negandi gratiam omnibus, præter illos, quos postea per suam potentiam extrordinariam exemptos esse vellet, si Protoparens conditionem violaret ; nihilominus quia præfata lex & pactum duas ordinationes ad eius ineuitabilem executionem inuoluebat ; aliam præuaricationem coniunctam cum impœnitentiâ (vt ostendimus disp. 6. cap. 7. n. 44.) & aliam quòd Deus per potentiam extraordinariam aliquem non eximeret, vt pœna in præfata lege aut pacto

Ionas. Isaias. Salmeron. Pereira.

pacto imposita, executioni contra omnes mandaretur, vtraque conditio verificari debuit. Vnde sicut nulla imperfectio in Deo resultaret ex eo quòd Adamo non peccante, nullus puniretur ; ita imperfectio nulla est, quòd ipso per potentiam extraordinariam dispensante cum B. Virgine v.g. illa nullatenus puniatur ; siquidem vtraque conditio ad hoc vt pœna imposita per legem, effectum sortiretur, requirebatur ; ex quo etiam replicæ, & instantiæ, quas nonulli faciunt, euersæ manent.

CAPVT II.

An exemptus à pacto post præuaricationem, antequam impœnitentia Adami præuideretur, peccasset in Adamo, vel aliquam maculam originalem contraheret?

7. *Si aliquis immediatè post commissionem Adami à pacto eximeretur, non habuisset iustitiam originalem etiã si Adamus pœnituisset.* HOc caput plures inuoluit difficultates ; & ideo singulas seorsim examinari oportet. Primò inquiritur, an si aliquis à pacto inito cum Adamo, post præuaricationem, & ante præuisam primi parentis impœnitentiam, eximeretur ; præfatus homo ex vi pacti, iustitia originali condecoratus nasceretur? Et respondeo negatiuè : nam Deus, ex vi pacti, solùm tenebatur conferre iustitiam originalem posteris in eo inclusis, casu quo primus genitor conditionem impositam adimpleret ; quare cùm, quando hic à pacto eriperetur, conditio non fuisset adimpleta ; idcirco Deus ex vi pacti, eidem iustitiam conferre non debuisset ; an verò eam illi ex vi alterius decreti impertiuisset, latet ; cùm neque Patres, neque Scriptura de hac re aliquid insinuent.

8. *Præfatus exemptus corruptâ naturâ non macularetur.* Secundò petes, an præfatus homo à pacto ante visam impœnitentiam, vindicatus, delicto originali inquinatus prodiret? Respondeo negatiuè : nam peccatum originale est priuatio sanctitatis debitæ, seu cum ea coniunctum, vt omnes supponunt ; sed præfato homini sanctitas debita non esset ; ergo etiam si illâ spoliatus nasceretur, peccatum originale non haberet. Minor probatur : nam sanctitas seu iustitia originalis solùm fuit promissa eis, qui tempore, quo conditio, sub quâ Deus illam promisit, adimplenda erat, in pacto inclusi permanerent, vt liquet, & suprà tetigimus. Vnde cùm præfatus homo exemptus horâ v.g. nonâ, quando conditio erat adimplenda, in pacto non fuisset ; idcirco ei sanctitas non deberetur ; & consequenter etiam si eâ nudus conciperetur, non spoliatus sanctitate debita, sed indebitâ diceretur.

Tertiò quæres, an præfatus homo

9. *Prædictus exemptus non peccaret in Adamo.*

homo exemptus peccauisset in Adamo, & respondeo negatiuè: nam omnes, qui peccarunt in Adamo, si nudi sanctitate concipiantur, peccatum contrahunt originale, vt omnes supponunt; at præfatus homo, etiam si in suâ conceptione careret sanctitate, maculatus non esset (vt dixi suprà n. 8.) ergo homo præfatus in Adamo non peccasset. Et ratio est: nam (vt ostendi suprà disp. 1. cap. 3.) peccare in Adam, solùm est, quòd peccatum Adami iuxta pactum meretur, vt sanctitate & iustitiâ spoliemur; sed peccatum Adami non meretur vt præfatus homo exemptus, dictâ pœnâ mulctaretur; ergo præfatus homo exemptus in Adamo non peccasset. Minor probatur, quia Adami peccatum solùm ijs pœnam meruit, qui quando conditio totalis violaretur, in pacto continerentur (vt colligitur ex dictis suprà disput. 6. cap. 7.) Cùm autem præfatus homo antequam conditio adæquata violaretur, fuisset exemptus; idcirco, vt ille mulctaretur, præuaricatio Adami non meruisset.

10. *Præfatus exemptus debitum peccati non contraxisset.*

Quartò inquires, an præfatus homo exemptus saltem debitum peccati originalis contraxisset? & respondeo negatiuè: nam (vt dixi disp. 1. cap. 4.) debitum duplex est, aliud remotum, seu actiuum in Adamo, & aliud proximum in nobis existens. Illud est peccatum Adami, quo iuxta pactum meruit, vt omnes posteri iustitiâ priuati conciperentur: hoc est, denominatio quædam extrinseca orta ex illo peccato, quo obnoxij pœnæ, & peccato dicimur, & sumus. Quapropter illi, quibus Adamus non meruit, vt iustitia spoliarentur, debitum passiuum non incurrerunt. Equidem Adamus iuxta pactum, non meruit, vt illi, qui à pacto exclusi fuissent ante eius impœnitentiam, mulctarentur; (vt suprà ostendi) quare cùm præfatus homo exemptus in pacto illo horâ v. g. nonâ iam non fuisset inclusus; ideo illi nihil Adamus demeruisset; & consequenter nullum debitum incurrisset.

CAPVT III.

An præfatus homo exemptus à pacto per merita Christi, fuisset verè & propriè redemptus ab Adami peccato?

11. *Præfatus exemptus fuisset propriè redemptus per Christum.* S. Thom. Suarez.

NEgabunt sine dubio omnes, qui ad veram & propriam redemptionem, redimendum, verè captiuum, & inquinatum fuisse prærequirunt, quales sunt S. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. & multi Thomistæ teste Suario, tom. 2. in 3. p. disput. 3. sect. 4. Verùm longè probabilior sententia est, quæ affirmat, præfatum hominem exemptum futurum fuisse verè & propriè per merita Christi à peccato Adami verè & propriè redemptum. Ita Salazar de Concept. cap. 16. & 17. Granados de Incar. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 25. & quotquot possibilitatem, aut periculum remotissimum peccati, ad redemptionem sufficere arbitrantur. Et probatur: nam vt quis propriè redemptus à captiuitate censeatur, non est necessarium vt redimendus captiuus sit; sed sufficit quòd in proximo periculo illius per aliquod peccatum proprium, vel alienum, constitutus fuerit; vt bene probat Granados suprà ex Augustin. lib. de natura & gratia cap. 67. & in Psalm. 75. ad illa verba: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et patet exemplo eius, qui penitus exarmatus, in terra inimicorum, & ab illis obsessus esset: sanè si præfatum hominem à captiuitate iam imminenti, vel pretio, vel armis liberares, & in tutum reduceres; eum redemisse dicereris. Sanè Adamus per præuaricationem omnes inclusos in pacto constituit in periculo proximo; imò certò peccandi, & contrahendi culpam originalem; siquidè cùm Adamus non solùm amiserit iustitiam propriam originalem; sed etiam perdiderit omnem sanctam cogitationem, quâ pœniteret, & consequenter vt ipse cum posteritate in pristinam libertatem rediret (vt diximus suprà disp. 7. à n. 54.) idcirco omne genus humanum in maximo, & proximo periculo incurrendi captiuitatem & peccatū constituit; à quo periculo cùm Christus eximendo aliquē à pacto eripuisset (vt vidimus ca. precedēti) ea propter præfatus homo exēptus verè & propriè redemptus censeretur.

Salazar. Granados. Augustin. Psalm.

12. *Obiectio, & eiusdem solutio.* S. Aug.

Obijcies, ad veram redemptionem prærequiritur, vt redimendus fuerit antea captiuus verè, vt constat ex Augustino epist. 156. cuius verba retulimus suprà disput. 3. cap. 4. numero 22. sed præfatus homo exemptus non præcessisset captiuus (vt ostendimus in hac dis. cap. 2.) ergo præfatus homo redemptus nō fuisset. Verùm si hoc argumentū efficax esset, conuinceret B. Virginē culpæ originali maculatam fuisse, vt eadē redempta censeretur, quod iam communi sensui Doctorum refragatur. Quapropter respondeo, redemptionē esse duplicem, præseruatiuā, & nō præseruatiuā (vt tradidimus ex Augustin. suprà disp. 3. cap. 4. n. 22.) ad hanc, peccatum; attamen ad illam, periculū proximū illius præsupponitur, vt loco citato dicebamus. Vnde quando Aug. & alij Patres, ad redemptionē, peccatum prærequirunt, loquuntur de redemptione communi, & non præseruatiua, vt bene Granad. suprà adnotauit.

13. *Alij obiectioni satisfit.*

Obijcies secundò, quando Deus pactum iniuit cum Adamo, suâ scientiâ conditionali præcognouerat ipsum peccaturū, & consequenter eum omnes inclusos in pacto maculaturum;

vnde etiam præcognouit omnes homines possibiles esse in periculo intrandi in pactum, & consequenter incurrendi captiuitatem; quod periculum non fuit satis ad hoc vt homo ab eo liberatus, redimeretur; & ideo suprà disput. 3. cap. 4. vt B. Virgo redimi posset, eam in pacto comprehensam fuisse tradidimus; ergo etiam ad redemptionem non sufficiet, quòd quis post præuaricationem Adami, à pacto vindicetur; siquidem vtrobique solum periculum captiuitatis est. Respondeo, esse discrimen: nam periculum in quo ante præuaricationem Adami versabamur, fuit sola peccabilitas, seu possibilitas valde remota, & ex peccato præcedenti nullatenus orta; quam ad redemptionem de qua Patres, & Scriptura agit, satis non esse, ostendimus, disput. 3. cap. 4. At periculum, in quo Adamus per suam culpam nos constituit: fuit ortum ex peccato, vt liquet; & insuper fuit maximum, & valde proximum; siquidem ad hoc vt per Adamum à periculo eriperemur, pœnitentia illius erat necessaria, quam ex se agere non poterat, quia ob suam culpam omnia auxilia supernaturalia perdiderat (vt dicebamus suprà disput. 7. capite 8. à numero 54.) vnde hoc periculum, & non illud satis est ad redemptionem.

DISPVTATIO NONA.

An Beata Virgo tempore inter præuaricationem Adami, & inter illius impœnitentiam, interiecto, fuerit à pacto exclusa per Christum?

1. *Pactum initum cum Adamo præmium & pœnam involuebat.*

PActum initum cum Adamo, promissionem præmij, si Adamus conditionem appositam obseruaret; & comminationem pœnæ, si illam violaret, inuoluisse, tradidimus suprà disp. 1. n. 7. Vnde Deus inclusos in pacto potuit prædicto tempore ab eo quoad pœnam & præmium, vel quoad pœnam solùm eripere. Inter quos fuisset magnum discrimen: nam à pacto quoad solam pœnam vendicati, licèt Adamo impœnitente perseuerante, neque peccassent in eo, neque culpam originalem, aut eius

eius debitum incurrissent, vt suprà disp. 8. cap. 2. monsteaui. At si Adamus opportuno tempore pœnituisset, & in pristinum statum iustitiæ redijsset, ipsi quoque fructum pœnitentiæ Adami participassent. Attamen ereptos à pacto quoad præmium & pœnam, neque infelicitas orta ex impœnitentia Adami, neque felicitas oriunda ex eius pœnitentia, tetigisset; & ita mansissent eodem prorsus modo, ac si in pacto nullatenus fuissent involuti. Nam sicut Deus comminatus est pœnam omnibus, qui vsque ad horam nonam v. g. in pacto inuoluti perseuerassent, si Adamus tunc inobediens reperiretur; ita promisit felicitatem eis, qui inclusi in pacto perstitissent vsque ad dictum tempus, si tunc Adamus iustus inventus fuisset, vt constat ex dictis. Vnde sicut excluſi à pacto quoad pœnam, à peccato & eius debito immunes fuissent; ita ab eo quoad præmium educti, fructu pœnitentiæ Adami non potirentur.

2. *B. Virgo non fuit educta à pacto quoad præmium.* Vasquez.

Et mihi certum est, Beatam Virginem à pacto quoad præmium, non fuisse vendicatam. Ita Vasquez. 3. p. disp. 115. cap. 3. & omnes, qui eam à prædicto pacto quoad pœnam ereptam esse nolunt. Insuper præfatæ sententiæ assentiuntur plures Theologi, qui Beatam Virginem à pacto, quoad pœnam, eductam fuisse, propugnant, vt Granados de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 26. numero 314. Granados. Serlogus ad cap. 1. Cantic. versu. 8. numero 43. Serlogus. Lezana apologia de Concep. cap. 36. §. *ad quintum*, & alij apud ipsos. Lezana. Et probatur: tum quia non est fundamentum ad concedendum prædictam excluſionem: tum quia excluſio à pacto quoad præmium, non est fauor, sed nocumentum: tum quia si Beata virgo à pacto quoad præmium fuisset educta; sequeretur ipsam, si Adamus pœnituisset, & in pristinum statum cum suâ prole redijsset, non participaturam præmium pœnitentiæ Adami, quod absurdum esse docet Vasquez suprà. (& nos tradidimus disput. 3. cap. 3. n. 14.) Vasquez.

Vnde solùm est difficultas, an Beata Virgo prædicto tempore intermedio, à pacto quoad pœnas fuerit per merita Filij vendicata. De quo cap. sequenti disputabimus. 3.

CAPVT VNICVM.

Beatam Virginem, priusquam impœnitentia Adami, & consequēter priusquam corruptio naturæ præuideretur, fuisse exclusam à pacto quoad pœnas comminatas, ostenditur.

4. *Christus immediatè post comestionem Adami fuit prædestinatus.*

VT argumentum primum proponam, in memoriam reduco id quod ex communi Theologorū doctrina suprà disp. 1. cap. 5. n. 91. stabilitū suppositum: nempe Christum Dominum, vt mortalem, immediatè post comestionē Adami fuisse prædestinatū; vnde antequam impœnitentia finalis Adami, vt personæ publicæ, seu priùs quàm natura corrumperetur, & peccato obnoxia redderetur, mors Christi Domini iam erat præuisa, & ideo ob illam Pater æternus permotus, auxilia sufficientia contulit Adamo iam præuaricatori; quibus, si vellet, ante infectionem naturæ pœnitere, & cum suâ prole in pristinū statum iustitiæ originalis redire, posset (vt latè ostendimus suprà disp. 6. cap. 3. & 4. & 5.)

5. *Deus potuit immediatè post comestionem Adami per Christum B. Virginem à pacto eximere.*

Præterea suppono, illo medio tempore inter comestionē Adami, (quâ genus humanum in periculo peccandi fuit constitutū) & impœnitentiam ipsius (quâ illud fuit corruptum) interiacente, Deum potuisse diuinitus Beatam Virginem, & quemlibet alium ex inclusis in pacto, ab eo per merita Christi iam præuisi, extrahere. Quod, licèt probatum sit suprà disput. 8. cap. 1. probatur secundò: nam inter fines saltem secundarios, ob quos Verbum carnem assumpsit, vnus fuit, nos ab omni lege, siue naturali, siue cæremoniali, siue positiuâ liberare. Sic enim Vasquez 1. 2. disput. 166. cap. 2. & disputatio. 189. cap. 4. multi interpretes caput. 3. & 4. ad Galatas (vbi Christus, vt nos à lege, vel à maledicto legis liberaret, aduenisse dicitur) interpretantur. Cæterùm (vt bene Vasquez suprà, & Maldonatus ad illud Matthæi. 5. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem*) duobus modis Christus ab aliqua lege nos vendicare valuit, nempe vel illam abrogando, seu nos ab eius obligatione eximendo; vel conferendo auxilia & vires, quibus eam perseuerantem in suo vigore obseruare possimus. Priori modo Christus nos à lege veteri cæremoniali Mosaicâ; & posteriori à lege naturali, & quacumque alia siue naturali siue positiuâ liberauit; siquidem illam abrogauit, & ad huius obseruationem nobis auxilia saltem sufficientia promeruit. Ex quo infero, Deum diuinitus ob mortem Christi iam præuisam, potuisse nos vtroque modo dicto à lege pacti post Adami præuaricatio-

Vasquez.

Vasquez. Maldonat.

cationem, eripere, scilicet vel nobis conferendo auxilia, saltem sufficientia in Adamo, quibus pristinum statum, si vellemus in Adamo, adquireremus; vel abstrahendo nos à lege pacti, seu legem abrogando. Prius effecit (vt disputatio. 6. capite 3. 4. & 5. ostendimus) posterius licèt Christus nō obtinuerit, vt patet, (siquidem nos pactum illud fregisse, & in Adamo tandem peccasse fides docet) tamen obtinere potuit. Quis hoc negabit? cùm id implicationem non inuoluat (vt liquet ex dictis disputatio. 8. capite 1.) & aliunde, quòd Deus diuinitus efficere potuerit ob merita Christi, quod fieri non implicabat, certum sit. Manet ergo firmum & stabile, Deum potuisse diuinitus ante impœnitentiam Adami, seu ante corruptionem naturæ, Beatam Virginem, seu quemlibet ex inclusis in pacto, ab eo totaliter, vel solùm quoad pœnas comminatas eruere. Quo posito, argumentum sic efformo:

6. *B. Virginem fuisse extractam à pacto ante visam impœnitentiā Adami suadetur.*

Deus in illo medio tempore inter comestionem Adami, & eius impœnitentiam interlabente, potuit diuinitus ob merita Christi iam præuisi, Beatam Virginem à periculo peccandi, in quo ob præuaricationem Adami versabatur, liberare, extrahendo illam à pacto quoad pœnas comminatas, vt nunc suppo-

Anſel.

Nogarol.

Granados.

sui; ergo de facto Deus illam ob merita filij à prædicto periculo & pacto extraxit. Consequentia probatur ex diuo Anselmo, qui (vt habetur in Sermone eiusdem relato in officio composito à Nogarolo, & approbato à Sixto quarto, nempe in sexta lectione quintæ diei de Concep. & in Breuiario Diæcesis Hispalensis, vt videre poteris in Granados tom. de Incarnat. contro. 2. tract. 1. disputatio. 3. numero 144. & 145.) ex eo, quòd Deus potuit Beatam Virginem ab incursione peccati originalis liberare, eam peccatum de facto non incurrisse, conuincit: quæ sanè illatio, si bona est, nostram quoque esse legitimam persuadet, vt consideranti patebit, & constat ex his quæ adducit Granados suprà n. 227. & 266. Confirmatur: nam quod honorificum & glorioſum est Beatæ Virgini, si illud Deus ob merita Christi diuinitus conferre potuit, de facto fuisse illi impensum, fateri debemus: sed illustre & glorioſum fuisset Virgini, si ante impœnitentiam Adami præuisam, à pacto extraheretur, & sic per merita Filij à periculo peccandi in Adamo, in quo per eius comestionem versabatur, eriperetur; ergo cùm id possibile fuerit, vt hactenus ostendimus; de facto Beatæ Virgini fuisse impertitum, fateri oportet. Consequentia est legitima. Minor est

euidens. Maior inter Patres & Theologos receptissima esse videtur. Porrò Basilius de Seleucia Orat. de Incarn. ait : *Hæc illa, de quâ qui omnia illustria & gloriosa dixerit, nunquam à veritatis scopo aberrauit.* Hoc nixi fundamento Beatam Virginem iam redemptricem generis humani, iam causam meritoriam omnium gratiarum & prædestinationum, iam omnibus hominibus & Angelis sanctiorem Patres appellant : iam eam alijs innumeris encomijs honorant, iam plurima alia priuilegia ei concessa fuisse deprædicant : nempe quia ea sunt Virgini gloriosa; & insuper ea ex meritis Christi proueniſſe non repugnat. Vnde piè & doctè Petrus Cælensis. lib. 9. epist. 9. affirmauit, omnia priuilegia concedenda esse Beatæ Virgini, quæ ei negata fuisse, positiuè & efficaciter non probantur : *Multa* (eius verba refero) *præsumuntur de Virgine, quæ nunquam leguntur, & præsumptionibus est standum, donec probetur contrarium.* Sanè cùm probari nequeat, vt constabit ex solutione argumentorum, hoc priuilegium Beatæ Virgini denegatum, eam fuisse in dicto tempore ereptam à pacto per merita sui Filij, prædicare expedit.

Basilius.

Cælensis.

7. *Notabile.* Præterea, vt aliud argumentum conficiam, quo suprà efformatum magis illustretur, suppono duas propositiones : aliam certam, & aliam non ita certam, licèt veram. Propositio certissima est, Beatam Virginem ante impœnitentiam Adami, præcognitam fuisse iam absolutè futuram. Propositio non ita certa, licèt vera, est : Beatam Virginem per merita Christi transisse ex statu possibilitatis ad futuritionem & existentiam. Hanc posteriorem tradit Bernal de Incarn. disput. 16. sect. 3. & eam bene probat Salazar de Concept. cap. 20. ex Scripturâ & Patribus. Et insuper probatur : nam (vt ostendimus suprà disput. 2. cap. 2.) saltem aliqui ob merita Christi, seu preces Sanctorum sunt futuri; ergo & Beata Virgo; siquidem, vt ait Bernardus epist. 175. & sapientissimus Idiota lib. de Contemplat. Virginis cap. 2. quidquid fauoris & priuilegij alijs etiam paucis concessum est per Christum, id suæ matri Christus obtinuit. Prior propositio erat, Beata Virgo ante impœnitentiam, seu excusationem Adami, fuit iam præuisa absolutè futura. Hanc propositionem certissimam esse supponunt Patres relati infrà n. 10. dum asserunt Beatam Virginem meruisse (nempe de congruo) omnem gratiam hominibus collatam; & etiam Adamo, ad hoc vt non se excusaret, sed suam præuaricationem humiliter confiteretur, de illaque perfectè pœniteret : nam omnis causa meritoria

Bernal.

Salazar.

Ber.

toria ante largitionem præmij, iam absolutè futura, imò existens præuideri debet, vt bene conuincunt Cardinalis de Lugo de de Incarnat. disput. 8. sect. 2. & Vasquez 3. p. disput. 21. cap. 5. Vnde cùm Beata Virgo iuxta Patres fuerit causa meritoria saltem de congruo, vt Adamus post præuaricationem fuerit auxilijs, ad non se excusandum, sed ad pœnitendum, præmunitus; eam ante prædictam excusationem fuisse absolutè futuram, opus est. Cæterùm Christus dicto medio tempore inter comestionem Adami, & eius impœnitentiam, interiecto, potuit duobus modis Matri suæ futuritionem absolutam efficaciter impetrare; nempe vel eruendo illam à pacto quoad pœnas comminatas, in quo sicut reliqui erat inclusi; vel eâ in præfato pacto etiam quoad pœnas comprehensam relinquendo. Etenim si Christus hoc posteriori modo cum suâ matre se gessit, illam in certissimo periculo peccandi in Adamo, & contrahendi peccatum originale, & eius debitum, dereliquit. Attamen si Beata Virgo fuit priori modo decreta futura, longè maius beneficium fuisset illi concessum; siquidem per præfatam à pacto extractionem, ipsa ex prædicto periculo fuisset educta & per suum filium in tuto constituta, vt constat ex dictis suprà disput. 8. cap. 2.

Lugo.

Vasquez.

8 *Conclusio aliter probatur.* Ex quo probo, Christum de facto futuritionem Beatæ Virginis exemptam à pacto quoad pœnas comminatas à Patre obtinuisse. quippe maiestatem Filij, & eius pietatem erga Matrem decet, vt ipse Matri maius beneficium, quo illa purior & illustrior digniſſimaque eius mater & regina Angelorum conderetur, impetrarit; sed Beata Virgo per futuritionem ereptam à pacto quoad pœnas comminatas, longè purior & illustrior digniorque mater Dei & regina Angelorum esset, quàm si in pacto inclusa statueretur futura, vt liquet, (siquidem ipsa permanens inclusa in pacto, vt minimum peccaret in Adamo, & debitum culpæ contraheret, dignaque esset saltem in Adamo, vt pœnis comminatis mulctaretur) ergo Christus Dominus, vt eius sanctissima Genitrix futura, & pariter tunc à pacto quoad pœnas exempta decerneretur, effecit. Discursus præfatus testimonio Patrum inniti videtur. Sanctus Bernardus homil. 1. super missus est, sic fatur : *Proinde factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Sanè Filium non decuit, neque placere potuit, vt eius mater, quam facile ab illo liberare valuit, in certo periculo peccandi

Bernardus.

in

in Adamo, & contrahendi culpam, aut eius debitum permaneret. Nam si, teste diuo Anselmo lib. de Concept. Virginis, *decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo niteret*; & aliunde perseuerantia in periculo certo peccandi in Adamo, & contrahendi culpam, aut eius debitum, non sit maior, sed longè minor puritas, quàm liberatio à tali periculo; eam per Filium ab illo fuisse vindicatam, asseueramus. Anſel.

9. *Euasioni occurritur.*

Forsan respondebis, si hoc argumentum & præcedens efficax esset, etiam conuinceret Beatam Virginem in primâ pacti initione, in eo non fuisse comprehensam; siquidem per illam inclusionem fuit in periculo, ne Adamus, sicut reapse contigit, præuaricaretur, & eidem, sicut reliquis posteris, iustitiam originalem amitteret: & aliunde fuisse extra dictum periculum magis illustre & glorioſum Beatæ Virgini, quàm in eo versari fuisset. Contra hoc est, nam inter periculum, in quo ante præuaricationem Adami, & inter periculum, in quo post ipsam comestionem versabamur, est magnum discrimen: nam dum eramus in priori, non solùm Adamus iustitiâ originali, sed etiam auxilijs ad obseruationem conditionis appositæ ad transfusionem iustitiæ originalis, erat præmunitus. Vnde Adamus, si vellet, poterat facilè posteros felices reddere. Quare periculum illud peccandi in Adamo, erat possibilitas peccandi; cùm autem possibilitas peccandi non sit imperfectio indecens puræ creaturæ; cùm illam ex se necessariò consequatur; idcirco Beatam Virginem per inclusionem in pacto, periculum prædictum subire oportuit. Attamen cùm Adamus per comestionem iustitiâ originali fuerit denudatus, & captiuitatem diaboli incurrerit, amiseritque omne auxilium, præcipuè supernaturale, seu indignus fuerit, vt ei auxilium ad pœnitentiam, quâ mediâ posteri in pristinum statum reuocaremur, conferretur (vt ostendi suprà disput. 7. cap. 6. à numero 54.) idcirco præfatum periculum non fuit sola possibilitas peccandi, & propria puræ creaturæ rationalis, sed quid accidentale, impossibile, seu valde difficile, superatu, & ortum ex culpa primi Parentis; & consequenter magnam inuoluens imperfectionem: quapropter non hoc periculum, sed illud Dei Genitricem subiisse propugnamus. Accedit, quòd omne priuilegium Marianum ex Christi morte procedit; & est gratia redemptionis; cùm autem ereptio à prima inclusione pacti, neque fuerit per Christum, neque gratia redemptionis, vt ostendi suprà disput. 3. cap. 1. idcirco inclusione pacti Beatæ Virginis admissâ, eam

eam post comestionem ab illo vendicatam fuisse defendimus, vt suprà disputatio. 3. cap. 1. dicebamus.

10. *Aliud notabile.*

Vt tertium argumentum satis efficax conficiamus, iterum moneo, quod sine reprehensione nemo negare potest, vt bene Alarcon 1. p. tract. 4. disputatio. 3. capite 6. adnotauit; nempe Beatam Virginem meruisse saltem de congruo omnem gratiam, quæ hactenus post comestionem Adami primis parentibus, & eorum proli per Christum impensa est. Quis infitias ibit, cùm id Patres vna ore fateantur. Sanctus Irenæus libro 3. capite 33. sic ait: *Virgo sibi & vniuerso generi humano causa facta est salutis* (& inferiùs). *Quod alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Epiphanius sermone de laudibus Virginis: *Quæ lapsum Euam erexit, & Adamum è paradiso deiectum ad cœlum misit.* Bernardus sermone de Aquæductu: *Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam.* Eidem sententiæ subscripserunt alij Patres, quorum verba refert Salazar de Concept. capite 20. Et ratio est, nam sicut Adam & Eua, licèt diuerso modo totum genus humanum destruxerunt; ita decens erat, vt secundus Adam & Virgo Deipara diuerso quoque modo illud repararent; nempe Christus de condigno, & Beata Virgo de congruo, merendo quidquid primi parentes decoxerunt. Et ideo Anselmus de excel. Virginis capite 9. & 11. Ephrem de laudibus Virginis. Basilius de Seleucia sermone de Incarnat. Bernardus sermone de verbis Apocal. & alij, quorum verba affert Salazar suprà capite 21. Beatam Virginem redemptricem seu generis humani reparatricem appellant; nempe, quia illa simul cum Christo, omnium gratiarum, quæ hominibus post comestionem Adami concessæ sunt, fuit causa meritoria. Ex quo sequitur Beatâ Virginē, antequam Adamus se excusans, aut impœnitens præuideretur, fuisse iam absolutè præuisam, vt sanctam, & Deo amicam; non quàcumque sanctitate, sed perpetuâ, & ex vi præsentis decreti indefectibili, vt bene Suarius 1. 2. tract. de peccatis disput. 9. sect. 4. numero 30. nam causa meritoria in mente diuinâ, præmio prior est, vt bene probant Vasquez 3. p. disp. 22. & Lugo de Incarnat. disputatio. 8. sect. 22. & 24. cùm autem Beata Virgo de facto meruerit, vt Adamo auxilia saltem sufficientia, ad non se excusandum, sed pœnitendum de peccato commisso, impertirentur; idcirco eam ante collationem prædictorum auxiliorum;

Anſel. Ephren. Basilius. Bernardus. Irenæus. Alarcon. Salazar. Suarez. Vasquez. Lugo.

liorum ; & consequenter ante excusationem , seu impœnitentiam Adami , fuisse iam sanctam, & vt reparatricem generis humani præuisam,necesse est. Neque obstat si dicas,ad meritum de congruo non requiri sanctitatem in operante ; sed sufficere, vt opus sit honestum. Vnde ex eo quòd Beata Virgo meruerit prædicta auxilia,non sequi eam fuisse iam sanctam ante dictam impœnitentiam. Hoc,inquam,non obstat , tum quia, vt bene probant Vasquez & Lugo suprà, merita præcedunt præmia in mente diuina , eo modo quo sunt à parte rei ; vnde cùm merita Beatæ Virginis, ab ea,vt sanctâ, dimanarint , indeuque laudabilitatem sumpserint ; idcirco si merita Beatæ Virginis ante impœnitentiam & excusationem Adami præuisa sunt , eam quoque iam sanctam ante dictam excusationem,præcognitam fuisse oportet. Tum quia opera Beatæ Virginis , quæ redemptionem totius generis humani de congruo promeruerunt , non sunt meritoria vtcumque seu valdè imperfectè (sicut Deo inimicus per opus bonum gratiam alteri mereri solet) sed quadam prærogatiuâ & excellentiâ præ alijs singulari, vt liquet. Cùm autem hæc excellentia in meritis Marianis resultare nequiuerit, nisi ea à Beata Virgine iam sanctâ, imo sanctissimâ proficiscerentur ; ideo ea, vt orta à Beata Virgine iam sancta , excusationē & impœnitentiam Adami præcessisse debuerunt.quo posito,sic arguo:

Vasquez. Lugo.

Beata Virgo ante impœnitentiam Adami ; & consequenter ante corruptionem naturæ(nempe illo tempore intermedio , in quo peccatum Adami nobis non imputabatur) fuit præuisa non solùm sancta , sed indefectibiliter sancta : ergo Beata Virgo in prædicto tempore fuit extracta à pacto , saltem quoad pœnas.Consequentia probatur: nam si Beata Virgo in pacto inclusa perdurasset , fuisset in periculo peccandi in Adamo, & perdendi sanctitatem, & contrahendi peccatum originale , sicut cæteri,qui in pacto inclusi permanserunt, vt liquet ; sed hoc implicat ; ergo & antecedens. Minor probatur: nam semel posito , quòd Deus aliquid efficaciter statuit, & præuidit absolutè futurum , verificari necesse est; vnde si Deus ante impœnitentiam Adami statuit efficaciter , & præcognouit Beatam Virginem sanctam indefectibiliter , ea ante dictam impœnitentiam in periculo peccandi in Adamo , & amittendi sanctitatem manere non potuit : alioquin scientia diuina , in periculo falsitatis ; & decretum efficax diuinum , in periculo non habendi effectum , versaretur. quod implicat.

11. *Deiparam à pacto eductâ fuisse iterum adstruitur.*

Respondebis ex doctrina Suarez

12. *Responsio refertur.*

Suarez suprà: licèt præuisio sanctitatis perpetuæ Beatæ Virginis non bene subsistat cum incursione peccati originalis ; at eam cum permanentia inclusionis in pacto , & cum incursione debiti culpæ originalis , & cum hoc quod est peccasse in Adamo,bene cohærere posse. nam aliquem peccasse in Adamo , & debitum culpæ habere , non opponitur sanctitati & amicitiæ Dei , (& ideo multi Theologi cum Suario tom.2.in 3.p.disp.3. sect. 4. supponunt Deum posse hominem in primo instanti suæ conceptionis sanctificare , etiamsi tunc , idem peccasse in Adamo, & debitum culpæ incurrisse dicatur) vnde licèt Beata Virgo præsuppositio dicto decreto , & præuisione suæ sanctitatis indefectibilis , non fuerit in periculo carendi sanctitate , & contrahendi culpam originalem , potuit tamen permanere inclusa in pacto , & consequenter in periculo peccandi in Adamo & incurrendi debitum culpæ originalis ; siquidem hoc præfato decreto & scientiæ diuinæ non contradicit.

Suarez.

13. *Impugnatio responsi allati.*

Verùm prædicta solutio multis meritò non arridet. Supponit enim Deum homines ante eorum merita præuisa , imò antequam ipse præcognouerit peccatum Adami,& corruptionem naturæ, ad gloriam & sanctitatem elegisse , quod falsum est (vt ostendi in materia de prædestinatione) nam, vt bene probant Vasquez 1.p.disp 89. & 99. Molina 1.p. q. 14. art. 13. disp.8. Lessius in peculiari disp. de prædestina. Frize 1.p. disput. 23. Alarcon 1. p. tract. 4. disp. 1. cap. 8. & alij apud ipsos , Deus antequam homines eligat ad sanctitatem & gloriam , non solùm eorum merita præuidit ; sed etiam præcognouit peccatum Adami , & an ipsi peccauerint , vel non peccauerint in illo , & an ijdem incurrerint culpam originalem,& eius debitum , vel non incurrerint: cùm hæc omnia ad collationem sanctitatis de facto præcedant. Vnde cùm Deus in signo , in quo præuidit Beatam Virginem iam indeffectibiliter sanctam , & totius generis humani redemptricem , non potuerit scientiâ suâ absolutâ præcognoscere , an illa esset peccatura in Adamo, & debitum culpæ contractura; siquidem Adamus adhuc non corruperat naturam. Idcirco eius prædestinatio ab exclusione eiusdem à pacto,incipere debuit: sicut reliquorum posterorum Adami prædestinatio, ortum ducit à prima gratia,eis post incursionem culpæ originalis , & eius debiti collata , vt innuit Vasquez 3.p.disp.116.cap. 3.

Vasquez, Molina. Lessius. Frize.

14. *Iterum responsio adducta depellitur.*

Sed quidquid sit de hoc , inquiro , an Deus illo signo , quo præuidit Beatam Virginem sanctam & meritoriè influentem in

auxilia collata Adamo ad pœnitendum ; & consequenter ad redeundum cum suâ prole ad statum pristinum iustitiæ originalis ; permanserit in differens ad priuandum Beatam Virginem sanctitate , casu quo Adamus pœnitere noluisset ? vel non ? Prius non dices , siquidem eo ipso , quòd Deus ante prædictam impœnitentiam , & consequenter antequam peccauissemus in Adamo, seu (quod idē est) antequam Adamus formaliter præfatā pœnam de condigno & formaliter meritus fuisset, præcognouit suam Genitricem perpetuò sanctam, non potuit eam iustitiâ , & sanctitate denudare , cùm hoc illi præuisioni manifestè opponeretur. Fuit ergo Deus ante præuisam prædictam impœnitentiam Adami , & consequenter ante corruptionem naturæ , à se determinatus ad non puniendam Beatam Virginem prædicta priuatione , etiam si Adamus postea non pœnituisset. Cæterùm Deus duobus modis ad non puniendam Beatam Mariam , etiam si Adamus non pœniteret , potuit esse determinatus ; nempe vel per exclusionem illius à pacto, restringendo pœnam antea omnibus comminatam, ad reliquos posteros Adami , & nullatenus ad Beatam Mariam ; vel per decretum, quo Deus statuit , eam perseuerantem in pacto , & consequenter subiectam præfatæ pœnæ, non punire, etiam si Adamus non pœniteret , & omnes prædicto supplicio obnoxios reddidisset. Ex his duobus modis , priorem vt veriorem eligo ; tum quia posterior non est necessarius ad redemptionem Beatæ Virginis, neque ad aliquid aliud ; siquidem redemptio Beatæ Virginis per solam exclusionem à pacto , in quo antea continebatur , bene saluatur (vt constat ex dictis suprà disputatio 8. cap. 3. numero 11.) tum quia ille prior modus est honorificentior Virgini & Christo, quàm posterior. Siquidem maior gloria Virginis est, quòd illa à pacto tunc fuisset excluſa per Filium , quàm quòd in pacto ita inclusa permaneret , vt peccaret in Adamo ; licèt postea ab incursione pœnæ promeritæ liberaretur , vt liquet. Huic discursui fauet Augustinus relatus infrà disputatio. 11. numero 55. August.

15. *Confirmatio.*

Confirmatur nam Beata Virgo fuit redemptrix & totius generis humani reparatrix , vt Patres relati suprà numero 10. perspicuè testantur ; ergo prædicto tempore inter præuaricationem Adami & eius impœnitentiam interiecto , fuit Beata Virgo à pacto excluſa ; siquidem perseuerantia eius in pacto cum præfato officio redemptricis non bene cohæret. Si enim teste Paulo, redemptor generis humani innocens , impollutus, segregatus à peccatoribus , & excelsior cœlis factus , esse debuit ; eius corredemptricem etiam innocentem, impollutam , & segregatam à peccatoribus fuisse oportuit. Cùm autem posteri omnes inclusi in pacto post præuaricationem Adami , in periculo proximo peccandi fuerimus constituti , vt constat ex dictis suprà disputatio. 7. capite 6. numero 11. idcirco Beatam Virginem tunc segregatam à peccatoribus , seu exemptam à pacto sentimus.

16. *Conclusio aliter suadatur.*

Denique probatur, nam Beata Virgo neque peccauit in Adamo, neq; debitū originalis culpæ contraxit , vt ostendemus infrà disputatio. 10. cap. 2. & sequentibus: ergo fuit à pacto quoad pœnas in prædicto tempore intermedio excluſa : siquidem si in pacto inuoluta perduraſſet , ipsa sicut reliqui alij in Adamo deliquisset, & debitum culpæ originalis incurrisset, vt patet.

DISPVTATIO DECIMA.

An Beata Virgo peccauerit in Adamo , & culpam originalem , aut eius debitum incurrerit ?

QVamquam ex hactenus dictis, Deiparam neque peccasse in Adamo , neque culpam originalem, neque eius debitum incurrisse , facilè deduci possit ; nihilominus præfatam illationem ex iactis principijs elicere placet , vt quilibet præiactæ doctrinæ connexionem cum omnimoda puritate Mariana intueri valeat. Priùs tamen aliorum referam opiniones , & nostram sententiam varijs auctoritatibus illustrabo ; & postea , nempe capite 5. eam ex iactis fundamentis persuadere conabor.

CAPVT I.

Variæ sententiæ circa præsentem quæstionem referuntur.

2. *Primæ sententia.*

PRima sententia asserit Beatam Virginem peccasse in Adamo , & peccatum originale

& eius debitum contraxisse. ita Sanctus Thomas 3. p. q. 27. art. 2. Bonauen. Albertus, Richardus, Durandus in 3. dist. 3. & sequuntur ex Dominicanis.

S. Thom. Bonaven. Albertus. Richardus. Durandus.

3. *Secunda sententia.*

Secunda sententia, licèt Beatam Virginem ab incursione peccati originalis liberam fuisse propugnet; tamen eam peccasse in Adamo, & consequenter debitum culpæ originalis contraxisse censet. Ita Vasquez 3. p. disp. 115. cap. 3. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 2. & 5. Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 9. q. 10. & alij communiter.

Vasquez. Suarez.

4. *Vera sententia.*

Tertia sententia, quæ mihi semper verior visa fuit, affirmat, Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, neque eius debitum, siue proximum, siue remotum, incurrisse. ita Salazar de Concept. cap. 15. Granados tom. de Incarn. controuersia. 2. tract 1. disput. 3. sect. 22. qui pro hac parte citat Cardinalem Nicolaum de Cusa, Ambrosium Catharinum, Franciscum Turrianum, & Salmeronem: eam sequitur Cardinalis de Lugo de Incar. disput. 7. sect. 3. Ludouicus de Ponte lib. 7. in Cant. exhort. 20. §. 3. n. 5. Lezana in Apologetico pro immaculatâ Concept. cap. 32. Ægidius de concept. q. 4. art. 3. & plures alij.

Granados. Lugo. Ponte. Lezana. Ægidius.

CAPVT II.

Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, neque eius debitum contraxisse, ex Paulo suadetur.

A Postolus ad Rom. 5. v. 14. Adamū, *formam futuri*, seu Christo similem fuisse perhibuit, dum ait: *Qui est forma futuri*; vnde inter Adamum & Christum similitudinem intercessisse oportet. Verùm non est alia similitudo inter Adamū & Christum à Paulo intenta, nisi quòd, sicut Adamus ex terra nondum maledictâ formatus fuit; ita Christus ex Matre maledictioni nunquam subiectâ, fuerit generatus, vt benè Becanus suprà: ergo Beata Virgo neque peccauit in Adamo, neque culpam originalem, neque eius debitum contraxit: alioquin si peccauisset in Adamo, maledictioni obnoxia fuisset: & consequenter similitudo intenta à Paulo inter Adamum & Christum, non bene aptaretur. Hanc figuram notauit Sanctus Andreas Apostolus, vt referunt Presbyteri Achaiæ in libro de passione ipsius Apostoli: *Sicut de terrâ immaculatâ* (ait S. Andreas) *factus fuerat primus homo; ita necesse erat, vt de immaculata Virgine Christus nasceretur*: Hanc

5. *Probatur ex Paulo.*

Andreas.

Hanc eandem sententiam hausérunt sine dubio ex Sancto Andrea duo insignes illustrium religionum fundatores, nempe Sanctus Bruno, & Sanctus Dominicus, quorum verba refert Granados suprà n. 157.

Bruno. Domin. Granados.

6. *Euasio præcluditur.*

Respondent aliqui, Adamum Christo similem fuisse in eo, quòd, sicut ille in fecit naturam, & suos filios in captiuitatem Diaboli immisit; ita Christus eos redemit, & liberauit. Verùm responsio prædicta textui non conuenit: nam Paulus in hoc loco intendit persuadere, inter Christum, & Adamum esse maximam dissimilitudinem circa infectionem, & redemptionem, vt patet; subiungit enim: *Non sicut delictum ita & donum*: ergo Paulus in hoc loco similitudinem in meritis & demeritis inter Christum & Adamum non constituit. Neque satisfaçies respondendo cum nostro Cornelio hîc, Adamum in contrarium sensum (vt Scripturæ familiare est) formam Christi nominari; nam licèt Scriptura soleat aliquando in contrarium sensum aliquem alterius, valde dissimilis, formam appellare; negari non potest quin stylus prædictus sit contra communiorem modum loquendi; & consequenter non ita visitatum: vnde, si ad id contextus non obliget, vt hîc accidit, non est facilè admittendus. Præterea prædicta solutio non solùm aliquam vim infert textui; sed illum euertere videtur: quippe si Apostolus, quia primus Parens dissimilis fuit Christo, eum à contrario sensu formam Christi absolutè vocauit; ita quia delictum Adami diuerso modo posteritati nocuit, ac Christi passio eidem profuit; illud formam passionis eadem proprietate cognominare potuisset; & ita negatione expunctâ, scribere valuisset: *Sicut delictum, ita & donum*: quod quidem Paulus non fecit; sed quia inter merita Christi & Adami dissimilitudo intercedit, totus est vt inter ea discrimen esse declaret: ita si inter Adamum & Christum, non aliquam veram similitudinem, sed oppositionem & contrarietatem innuere vellet; eam non illis vocibus, *Qui est forma futuri*, sed alijs diuersitatem denotantibus, insinuaret. Denique impugnatur præfata responsio: nam licèt multoties in Scriptura voces à propriâ ad impropriam transferantur significationem, id solùm est, quando cædem in propria significatione acceptę, vel verum sensum non reddunt, vel si verum, contextui non aptantur. At si voces, vt sonant, sumptæ, sensum verum, & contextui magis consentaneum efficiant, absque dubio tunc improprietates vitare debemus. Cæterùm falsum non est Christum & Adamum in eo verè similes fuisse, quòd sicut Adamus ex terra non ma-

maledicta formatus fuit, ita Christus ex Genitrice non maledicta, sed semper benedicta & immaculata prodijt : siquidem hanc similitudinem expressit Sanctus Andreas Apostolus (vt vidimus suprà numero 5.) Insuper, si illis verbis, *Qui est forma futuri*, præfata similitudo innuitur, antecedentia, & prædictas voces consequentia, benè connectuntur, & contextus sibi bene cohæret; (vt ostendam infrà cap.n.20.) cùm ergo iuxta hanc expositionem omnia verba propriè &, vt sonant, accipiantur, & iuxta eam aliquot digressiones factæ à Paulo in hoc capite 5. bene intelligantur, & causa cur interpositæ fuerint assignetur (vt videbimus infrà cap.3.) idcirco nostra interpretatio vti germanior & verior amplecti debet.

CAPVT III.

Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam, aut eius debitum incurrisse, iterum Paulus significare videtur.

7. *Pauli locus adducitur.*

APostolus ad Rom. 5. explicatis malis, quæ in genus humanum ex peccato Adami profluxerunt, incipit à versu 15. extollere dona, & gratiam, quæ nobis per Christum communicata sunt; & ea longè potentiora & validiora esse ad libertatem, quàm damna deriuata ex Adamo, demonstrat; & sic ait: *Sed non sicut delictum ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratiâ vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit* : quibus verbis Paulus (vt suprà disp. 6. capite 5. ostendimus) merita Christi non solùm quoad dignitatem, & valorem ; sed etiam quoad effectus & gratiam, in omnes homines deriuatam, cum delicto Adami, & eius effectibus comparat : & in illis Christum Adamo longè superiorem, fuisse testatur.

8. Modò addimus comparationem prædictam inter Christum & Adamum, non solùm esse in valore meritorum vtriusque, sed etiam in multitudine personarum, quibus merita Christi profuerunt, & demerita Adami nocuerunt; & in hoc quoque Adamum à Christo superatum fuisse. Siquidem iuxta Paulum, merita & gratia Christi ad plures numero personas, ac damnum secutum ex Adamo, se extenderunt. Hoc enim illæ voces comparatiuæ, *In plures abundauit*, si, vt sonant, accipantur, denotare videntur. Vnde præfatum excessum nobiles interpretes & Theologi agnoscunt; nempe Salmeron in epist. ad Rom. disputatio. 41. Salmeron. Cornelius à Lapide hîc. Alarcon 1. p. tract. 4. disputatio. 5. cap. 9. Cornelius. Alarcon.

Herice Celada.

Herice 1. p. disputatio. 5. capite 9. Didacus de Celada in Iudith figurata §. 31. & alij multi recentiores. Fauent huic expositioni Origenes lib. 5. ad prædicta verba, Pseudo-Ambrosius in commentarijs super epistolam ad Rom. Strabus Fuldensis hîc, qui adiectiuum illud, *plures*, comparationem importare aiunt.

Origenes. Ambros. Fuldensis.

9. *Omni modo puritas B. Virginis deducitur.*

Ex quo sequitur, Beatam Virginem, neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, aut eius debitum contraxisse. Nam secundùm Paulum, saltem aliqua persona est, quam Adami culpa nullatenus tetigit ; & tamen eadem meritum & fructum meritorum Christi participauit : alioquin, si dicta persona non daretur, merita Christi *pluribus* numero personis, quàm fuerunt, quas culpa Adami tetigit, non profuissent, vt liquet. Sed nulla alia persona præter Beatam Virginem, quæ intacta à delicto Adami, fructus redemptionis participauerit, assignari potest: siquidem cæteros omnes homines ex Adamo per seminalem propagationem descendentes, peccasse in Adamo, & peccatum originale, & eius debitum incurrisse, Paulus ad Rom. 5. & Tridentinum sess. 5. capite de Peccato originali, can. 2. asseuerant : ergo delictum Adami nullatenus Beatam Virginem tetigit ; & consequenter illa neque deliquit in Adamo, neque culpam originalem, aut eius debitum incurrit. Hoc argumento ante aliquot annos Valentinus de Herice, & Didacus de Alarcon perstrictim vsi sunt, vt inde Beatam Virginem immunem à peccato originali fuisse stabilirent. Quod nuper eruditus & subtilis sacræ Scripturæ Interpres, Pater Didacus de Celada loco suprà citato, valde illustrauit, & argumentis in contrarium adductis abundè satisfecit. Verùm præfatus discursus, quem solidum autumo, etiam persuadet, Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque debitum culpæ originalis contraxisse ; siquidem si prædicta culpa Beatæ Virgini aliquo modo imputata fuisset in peccatum, aut eam obnoxiam peccato reddidisset, easdem omnino personas, ad quas merita Christi se extendunt, comprehendisset, quod Paulo (vt vidimus) aduersatur. Celada.

Paulus. Trident.

10. *Responsio.*

Huic argumento tot solutiones, quot prædicti testimonij sunt interpretationes, adhiberi solent ; quas breuiter referre, & refellere placet, vt vires nostri discursus magis appareant. Primò aliqui per illa verba, *multi mortui sunt*, vnam partem hominum, nempe idololatras, vel reprobos, vel adultos intelligunt; & per illa, *in plures abundauit*,

eosdem cum reliquis hominibus interpretantur. Vnde cùm reprobi & prædestinati simul iuncti, numero excedant solùm reprobos v. g. significatos illis verbis, *multi mortui sunt*; idcirco bene Paulus asseruit liberatos per gratiam Christi esse *plures*, quàm damnatos per Adamum. Ita Origenes, Pseudo-Ambrosius suprà, fauent Pereira, & Toletus, & aliqui recentiores.

Origenes. Ambros. Periera. Toletus.

Hanc expositionem refellimus suprà disputatio. 6. numero 25. vbi ostendi tam illa verba, *multi mortui sunt*, quàm illa, *in plures abundauit*, non ad partem hominum; sed ad omnes & singulos filios Adami maculatos, vt minimùm extendi; & ideo eis significari, validiorem fuisse gratiam ortam ex meritus Christi ad omnes, quotquot ex Adamo nascuntur, liberandum, quàm fuit Adami peccatum ad eorundem omnium perditionem. Præfatam quoque expositionem bene refutat Celada suprà, & ideo ad alias solutiones propero.

11. *Depulsio.*

12. *Alia solutio refertur.*

Secundò alij, qui nobiscum sentiunt, per illa verba, *multi mortui sunt*, omnes & singulos filios Adami infectos innui; illudque adiectiuum *plures* comparatiuum esse volunt; & asserunt illo denotari merita & gratiam Christi ad multò *plures* numero personas extendi, quàm Adamus maculauit: quippe Adami peccatum solùm omnes homines per seminalem propagationem generatos tetigit; attamen Christi gratia, non solùm eosdem; sed etiam Angelos comprehendit. Vnde numerus eorum, quibus Christi merita & gratia profuerunt, numerum eorum, quibus Adamus nocuit, longè superat, & excedit. Ita Salmeron, Cornelius, Pereira suprà, & multi recentiores.

Salmeron. Cornelius. Pereira.

Hanc quoque solutionem optimè refutat noster Celada §. 31. citato, numero 170. Nam Paulus in hoc loco agit de gratia Christi redemptrice, seu liberatiua à captiuitate diaboli; vt verba ipsa præseferunt, & tres summi Pontifices (nempe Sanctus Caius epist. decretali, Sanctus Agapitus epist. 1. & Sanctus Leo serm. 12. de passione) tradiderunt: sed Angeli non sunt venustati redemptrici gratia, vt Vasq. 3. p. disp. 49. cap. 2. Lugo de Incarnat. disput. 27. sect. 3. Suarez ibidem, disput. 42. sect. 2. & alij Theologi communiter docent: ergo ob merita Christi ad Angelos extensa eius gratia, nempe redemptrix, in *plures* numero personas, quàm peccatum Adami infecit, redundare non dicetur. Præterea, admisso Angelos per Christum redemptos fuisse; solutio non euacuat difficultatem; nam antithesis & comparatio inter *multos* per Adamum mortuos, & *plures* per Christum liberatos, non Angelos,

13. *Reiicitur.*

Caius. Agapitus. S. Leo.

Vasquez. Lugo.

Suarez.

los, sed homines includit; cuius sunt plura fundamenta, primum, totus contextus capitis quinti ad Rom. nobis fauet: ibi enim Apostolus præfatam repetit comparationem, & semper de hominibus se loqui innuit; neque est vllum verbum, quo de Angelis sermonem fuisse denotetur, vt legenti constabit. Secundò quia tres Pontifices citati tam in priori, quàm in posteriori parte comparationis prædictæ, Paulum egisse de filijs Adami supponunt: aiunt enim: *Et cùm sub peccati præiudicio nati, potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis.* Tertiò innumeri interpretes tam antiqui, quàm moderni, quos idem Celada suprà eruditè recenset; antithesim prædictam inter homines & homines esse supponunt. tum quia subiectum illius adiectiui, *multi*, non Angeli sed homines sunt, vt patet: ergo etiam subiectum illius adiectiui, *plures*, non Angeli, sed solùm homines esse debent. hoc enim series verborum exigere videtur. quod adhuc ex dicendis capite sequenti apparebit.

Celada.

14. *Tertia responsio ad argumentũ adductum.*

Tertiò forsan respondebis, Euam non peccatum Adami, sed solùm meritum & gratiã Christi participasse: vnde etiam si Beata Virgo peccato maculata fuisset, fructus passionis Christi in plures numero personas, ac culpa Adami, redundaret; siquidem omnes, quotquot Adamus infecit, & insuper Eua, sub meritis Christi comprehenderentur.

Sanè prædicta responsio meritò defensoribus destituta est: tum quia (vt dixi suprà numero antecedenti) Paulus de filijs Adami sermonem instituit; vnde aliqui, vel aliquis ex posteris Adami assignandus est, quem, non peccatum, aut damnum illius; sed solùm gratia Christi tetigerit. Tum quia licèt Euam culpa Adami non infecerit; tamen ea damnum & mortem corporis ex peccato Adami deriuatam, formalissimè participauit: siquidem, si Adamus non deliquisset, ipsa post suam præuaricationem ad immortalitatem corporis, & statum iustitiæ originalis mediâ pœnitentiâ redijsset, vt communiter sentiunt Doctores, & nos tradidimus suprà disput. 5. cap. 7. numero 45. Vnde quòd Eua tandem ineuitabiliter mortua fuerit, & subiecta doloribus, & alijs miserijs perdurauerit, fuit etiam pœna peccati Adami. quapropter alia persona est assignanda præter Euam, cui solùm merita Christi profuerint; siquidem delictum Adami quoad prædictam pœnam, Euam tetigisse ostendimus.

15. *Impugnatur.*

16. *Quarta solutio refertur.*

Denique alij, vt nostrum argumentum pro immaculatâ conceptione, penitus euertant; ne-

gant adiectiuum, *plures*, comparationem importare, cuius potissimum fundamentum est textus Pauli Græcus, vbi eadem vox *pollous* illi hemistichio, *in plures abundauit*, ac illi alteri, *multi mortui sunt*, correspondet. Vnde sicut vox *pollous*, in illis vocibus, *multi mortui sunt*, est absoluta, & nomen positiuum; ita eadē vox *pollous*, loco cuius Vulgatus, *plures*, legit, nomen positiuum, & nullatenus comparatiuum erit. Et ideo sensus germanus prædicti testimonij est: *Sicut vnius delicto multi*, id est omnes homines, *mortui sunt; multò magis in multos*, id est eosdem, *gratia Christi abundauit*. Ita hunc locum interpretati sunt plurimi, & nobiles expositores, tam antiqui, quàm moderni, quos in Celada suprà, numero 151. nominatos reperies.

Celada.

17. *Quarta solutionis depulsio.*

Equidem quamuis præfata solutio ob nobiles Patronos, quos habet, probabilissima sit; tamen, si textum Pauli solùm inspiciamus, eidem non ita propriè, ac nostra aptatur. Enimverò fateor tam vocem Græcam *pollous*, quàm latinam, *plures* multoties idem, ac vocem *multi*, valere: tamen nemo, qui Latinam & Græcam linguam à limine salutauerit, negare poterit, tam vocem *plures*, quàm vocem *pollous*, etiā multoties comparationem importare, vt varijs exemplis noster Celada suprà §. 31. n. 155. perspicuè demonstrat. Vnde, vt ipse auctor optimè animaduertit, an præfata adiectiua sint positiua, vel comparatiua, ex contextu colligi debet. Si enim vox Græca *pollous*, & Latina *plures*, aliquod adiectiuum subsequatur, eique opponatur, importat comparationem; si verò præfatā vocē adiectiuum non præcedat, ea idem ac vocabulum *multi*, valet & significat. Vnde quando communiter asseritur, *Plures hoc docent*; quia nullum adiectiuum præcessit, illa phrasi, *multos illud docuisse*, solùm significamus. At si diceremus, *Plures vel multi hanc sententiam v. g. affirmatiuam tradunt; sed plures contrariam negatiuam sequuntur*; quia aduersatiuæ propositioni adiectiuum *multi*, vel *plures* præcessit; planè comparatio denotaretur, & sensus esset, licet *multi* affirmatiuam sententiam sentiant; *plures* tamen numero negatiuam amplectuntur. Cæterùm in illo priori hemistichio, *Sicut enim vnius delicto multi mortui sun*; neque voci Græcæ *pollous*, neque vocē Latinā, *multi* aut *plures*, adiectiuum præcessit: sicut præfatas voces anteceſſit adiectiuum *multi* vel *plures* in illo posteriori hemistichio, *Sed multò magis gratia in plures abundauit*. Quapropter adiectiuum Latinum, *plures*, & Græcum *pollous*, non in priori hemistichio, sed solū in posteriori comparatiuum est, & *plures*, nu-

numero gratiā Christi, quā delictū Adami, participare significat.

Præterea, vt robur argumenti facti pro immaculata conceptione, magis appareat, libenter admitto, Paulum illo adiectiuo, tam Græco, quàm Latino, *in plures*, seu *pollous* abdūauit, in posteriore parte præfati versus posito, solùm idem, ac *multos* denotari posse; dummodo aduersarij quoque admittant, quod omnibus notū & euidens est; nempe Paulum etiam eadem præfata adiectiuà, *in plures* seu *pollous abūauit*, comparatiuè accipere voluisse, & eisdem innuere numerum passionem Christi participantium, quàm numerum mortuorum per Adamum, maiorē esse. Quis hoc, nisi planè vtriusque linguæ ignarus, infitias ibit? Lis ergo erit cum aduersarijs, an Paulus præfatam vocem Græcam *pollous*, comparatiuè, vel positiuè acceperit. Et si roges aduersarios, cur præfatam vocem in posteriori hemistichio idē, ac *multos*, sonare velint, solum duo respondere possunt: aliud eandem vocem in priori hemistichio adiectiuum positiuum esse, & idem, ac *multi*, significare; aliud ita Patres & nobiles interpretes præfatam vocem *pollus*, interpretatos fuisse. Profectò neutra solutio satisfacit; non prior, cùm inter vocem *pollous*, in priori parte versus positam, & eandem in posteriori repetitam, magnum discrimen intercedat, vt ostendimus suprà n. 17. Non posterior: nam comparationem prædictum vocabulū *pollous*, in hoc loco importare etiam, multi & graues interpretes admittunt.

19. *Fundamenta auctoris validiora videntur.*

Enimverò nostræ interpretationis fundamenta validiora sunt. primò authoritas Vulgatæ editionis, cuius verba, si, vt sonant, accipiantur, adiectiuum Græcum *pollous*, in secundà parte comparationis, positum, idem, ac comparatiuum *plures*, hîc significare præseferunt. Secundò iuxta nostram explicationem merita, & gratia Christi magis extolluntur; siquidem iuxta eam, passio Christi plures numero homines, quàm Adami peccatum comprehendit. Tertiò nostra explicatio Beatæ Virgini fauet; & in dubijs illa expositio, quæ Christi, & eius Genitricis honorem magis promouet, præferri debet. Quartò, verba immediatè præcedentia adiectiuū *plures*, nempe *multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit*, adiectiuum illud *plures*, sumi cōparatiuè, suadent. Siquidē aliter comparatio intenta à Paulo, non subsisteret. Neque obstat si dicas, Paulum intendisse merita & gratiam Christi, solùm in intensione & valore, cum demeritis Adami comparare; non verò in extensione. Hoc, inquam, non obest: tum quia cùm præfata verba tam intensiuam quàm extensiuam comparationē

præseferant ; sine fundamento ad intensiuam restringentur. Tum quia si Paulus merita & gratiam Christi solùm quoad intensionem, & nullatenus quoad extensionem, cum peccato Adami composuisset, adiectiuum illud *in plures*, superfluum fuisset, & mentem Pauli obscurasset ; siquidem ad significandum merita & gratiam Christi esse intensiuè validiora peccato Adami, sufficisset dicere : *Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratiâ vnius hominis Iesu Christi abundauit.* Vnde interpositio adiectiui *plures*, etiam in extensione fuisse factam comparationem, adstruit. Tum quia Paulus infrà versu 16. excessum intensiuum meritorum Christi, præ meritis Adami explicuit ; ait enim : *Et non sicut peccatum, ita & donum : nam iudicium quidem ex vno in condemnationem ; gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* & versu 17. pergit: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per vnum Iesu Christum*, quod arguit Apostolum in versu 15. merita & gratiam Christi, cum meritis Adami in intensione, & præcipuè in extensione composuisse: sic enim repetitio eiusdem sententiæ vitatur, & textus sibi bene cohæret : siquidem suppositò vniuersatim Adamum à Christo intensione & extensione meritorum superatum fuisse ; optimè descendit Apostolus in versibus sequentibus ad explicandum excessum intensiuum meritorum Christi.

20. *Iuxta dictæ explicationē contextus benè concatenatur.*

Denique iuxta nostram expositionem, tam versus antecedentes, quàm præfatum testimonium subsequentes, connectuntur ; & digressionum, quas facit Paulus, optima ratio assignatur. Apostolus enim postquam versu 12. tradiderat, Adamum per suum peccatum in mundum mortem induxisse ; & effecisse vt omnes in eo peccaremus, subiunxit versu 13. immediato, inter prædictum peccatum, & infectionem naturæ, seu introductionem mortis in suos posteros, interiacuisse tempus, in quo præfatum delictum nobis neque quoad pœnam, neque quoad culpam vllatenus imputabatur; nempe quia illo medio tempore lex pacti pro posteris non vrgebat : hoc enim significant illa verba, *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset* (vt latè ostendimus suprà disputatio. 7. cap. 2. à numero 21.) Vnde Paulus designauit tempus post præuaricationem Adami, in quo Deus potuit quemlibet ex inclusis in pacto, ab illo ita vendicare, vt peccatum Adami postea, quando incœpisset posteris

ris imputari, ei nullo modo noceret. Verùm quia Adamus ob suam obstinationem perseuerauit in peccato ; etiam quando iam lex pro posteris instabat; corrupit naturam, & morti in omnes homines, etiam paruulos, qui eum imitari nequeunt, dominatum tradidit. hoc enim significant illa verba versus 14. *Sed regnauit mors ab Adamo vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ* ; superaddit, *Qui est forma futuri* ; nempe in eo quòd, sicut Adamus fuit formatus ex terra nondum maledicta, ita Christus ex matre maledictioni nullo modo subiecta generatus fuit (vt diximus suprà cap. 2. à n. 5.) alioquin illa digressio, *qui est forma futuri*, frigeret, imò superflua esset. Ex quo iam Apostolus, vt fidelium spem in Christum erigat, eosque consoletur, infert; merita, & damna Adami, non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè à meritis & gratiâ Christi longè superari : siquidem peccatum fuit puri hominis, & solùm comprehendit eos omnes, qui in pacto semper manserunt inclusi; & merita Christi fuerunt hominis Dei, & ad prædictos, & insuper ad Beatam Virginem, quæ prædicto medio tempore à pacto fuit exclusa, extenduntur: & ita ait : *Non sicut delictum ita & donum : si enim vnius delicto multi mortui sunt*, nempe omnes, qui in pacto inito cum Adamo inclusi permanserunt ; *multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit* ; siquidem Christus sua merita & gratiam, non solùm omnibus in pacto perseuerantibus, sed etiam Virgini à pacto exclusæ de facto applicuit. Deinde Paulus explicatâ maiori extensione meritorum Christi, pergit versibus sequentibus explanare eorũ maiorẽ præ Adami demerito, intensionem, & robur; & ita ait versu 16. *Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum; nam iudicium quidem ex vno in condemnationem ; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum ; multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitia accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Denique Paulus explicatâ dissimilitudine, quæ inter Adami peccatum & gratiam Christi intercedit; similitudinem, quæ inter eos reperitur exponit, vt bene adnotauit Salmeron in epist. ad Rom. disputatio. 42. nempe quod sicut per peccatum Adami omnes homines (scilicet perseuerantes in pacto vsque ad corruptionem naturæ, de quibus iam solùm est sermo) mortem corporalem & spiritualem incurrunt ; ita per Christum ijdem omnes libertatem & gratiam acquirunt, & ita subnectit : *Igitur sicut per vnius de-*

Salmeron.

delictum in omnes homines, nempe perdurantes in pacto, *in condemnationem, & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationē vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituuntur multi.* Ex quo concludit Apostolus, per ingressū legis pacti initi cū Adamo, vrgentis pro posteris, delicta superabundasse (vt explicui suprà disput. 7. n. 20.) siquidem ex illo tempore genus humanum corruptum fuit, & peccato originali, & alijs miserijs subiectum, & ideo asserit: *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ex quo tandem deduco, nostram expositionem præferendam esse; siquidem iuxta illam tropi & figuræ & violentiæ absunt: & omnia verba, vt sonant, vsurpantur; & antecedentia, & consequentia bene cohærent. quod in alijs explicationibus non facilè inuenietur.

CAPVT IV.

Eadem immunitas Beatæ Virginis à peccato originali, & eius debito, ex alys auctoritatibus comprobatur.

21. *Immunitas Mariana ex Geneſi adſtruitur.*

PRodeant primo loco illa verba Genes. 3. quæ Deus, ante infectionem naturæ, seu antequam peccauissemus in Adamo (vt constat ex dictis disput. 7. cap. 1. à numero 5.) serpenti dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conferet caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* vbi per mulierem, quæ caput diaboli erat contritura, Beatam Virginem intelligunt, non solùm nobiles interpretes, sed etiam insignes Ecclesiæ Patres, vt Cornelius, ad hunc locum, vt Viegas in Apocal cap. 12. comment. 3. sect. 3. & 4. & 5. adnotarunt. Ex quo non solùm deduco, Beatam Virginem immunem fuisse à peccato originali, vt inferunt Suarez tom. 2. in 3. p. disput. 3. sect. 5. Becanus 12. tract. 2. cap. 9. q. 10. & alij communiter; sed etiam eam neque peccasse in Adamo, neque debitum peccati contraxisse. Cuius illationis vires aliqua suadent. Primò cùm præfata verba dicta sint serpenti ante impœnitentiam finalem Adami, vt personæ publicæ, seu antequam

quam peccauissemus in Adamo, seu debitum peccati originalis resultasset; valde probabile est, Beatam Virginem tunc temporis iam exemptam fuisse à pacto (vt ostendimus suprà disputatio. 9. capite 1.) & consequenter ab omnibus pœnis, quæ deinceps ob impœnitentiam Adami, seu post prolationem diuinæ sententiæ contra Adamum & eius posteros pullularunt, liberam fuisse. Secundò præfatis verbis innuitur, Beatam Virginem de Diabolo perfectam Victoriam reportaturam, vt verba præseferunt. Sanè si Beata Virgo peccasset in Adamo, aut debitum peccati originalis contraxisset, ipsa serpentem perfectè non vicisset; siquidem diabolus post prolationem prædictorum verborum, adhuc effecisset, vt ipsa peccasset in Adamo; & peccato, & alijs miserijs subiecta fuisset.

22. *Idem ex Patribus roboratur.*

Præterea prædictam thesim Patres stabiliunt. Sanctus Cyprianus sermone de Natiuitate, sic fatur: *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis, scilicet Virgo Maria, communibus lasaretur iniurijs.* & Sanctus Thesiphon Martyr, (vt refertur in libris repertis in monte sancto Granatensi) ait: *Mariam non tetigit primum peccatum.* Insuper in Sermone de Deiparâ, qui inter opera Sancti Athanasij circumfertur, hæc verba leguntur: *Dicimus eam iterum, atque iterum, & semper, & vndequaque Beatissimam.* Origenes homil. 1. de Deipara, relatus in Breuiario Romano edito Lugduni, & in officio Nogaroli, ait: *Virginem neque serpentis persuasione deceptam fuisse, neque eius venenosis afflatibus infectam.* & Beatus Iuo Episcopus Carnotensis, sermone de Natiuitat. Domini, cuius verba refert Salazar de Concept. capite 42. Sæculo 11. tradit, in B. Virgine omnem næuum culpæ originalis, & actualis deletum fuisse. Et in Liturgia Sancti Iacobi Apostoli, hæc habentur: *Dignum est te verè beatam dicamus, Deiparam semper beatam, & omnibus modis irreprehensam.* Ex quo concludo, Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam originalem, aut eius debitum incurrisse: alioquin si peccauisset in Adamo, aut saltem debitum contraxisset, communibus lassata fuisset iniurijs, eamque primum peccatum aliquo modo tetigisset; & non vndequaque Beatissima, sed serpentis persuasione decepta, eiusque afflatibus venenosis infecta, & aliquo modo reprehensibilis extitisset; quod præfatis testimonijs planè aduersatur. Accedit Sanctus Anselmus, qui, vt refertur in officio

Cyprian. Thesiphon. Athanas. Origenes. Iuo. Iacobus. Ansel.

Nogaroli approbato à Sixto 4. lectione 1. officij Conceptionis, ita loquitur: *Vas electionis sanctus Paulus, omnes homines in Adam peccasse fatetur; vera vtique sententia, & cui contradici nefas est; sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te Maria Virgo considero; sicut te non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor; ita te non lege naturæ aliorum, in tua Conceptione deuictam esse opinor.* Quid clarius adduci potest? siquidem Anselmus perspicuè negat Beatam Virginem sub illâ vniuersali propositione, *Omnes in Adam peccauerunt*, fuisse comprehensam. Consonat sanctus Damascenus Orat. 2. de dormit. Virginis, parum à principio, comparans Virginem cum paradiso, ita scribit: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit.* Equidem si Beata Virgo deliquisset in Adamo, aut saltem debitum originalis culpæ incurrisset; ad illam serpens aliquem aditum habuisset, vt liquet.

Nogaroli

S. Damas.

Præterea idem assumptum probatur ex sancto Augustino tom. 10. serm. 11. in Natali Domini, vbi hæc habet: *Cùm dixit Angelus, Aue, salutem illi cælestem exhibuit. Cùm dixit, Gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Sanè si Beata Virgo peccasset in Adamo, aut culpam originalem, aut eius debitum habuisset: non gratiâ plena benedictionis, sed diminuta fuisset illi restituta. Idem sanctus Hieronymus, vt refertur in Breuiario Hispalensi, in festo Conceptionis, lect. 1. secundæ diei: *Quidquid* (ait) *in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit.* Et in quodam serm. relato in secundo nocturno officij fratrum Minorum, approbati pro illis, & Monialibus à Pio 5. asserit, Beatam Virginem fuisse, *nitè candidiorem, immaculatam, & in nullo corruptam.* & in Commentarijs super Psalmos, ad illud Psalmi 77. *Adduxit eos in nube diei*, ait: *Illa enim nubes nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Equidem si Beata Virgo peccasset in Adamo, & debitum peccati habuisset; neque quidquid in ea gestum est, totum gratia & puritas; neque ipsa in nullo corrupta, neque nubes semper in luce censeretur.

23. *Fauet Augustinus.*

Hieronym.

Pius V.

Deinde Richardus de sancto Victore, relatus in Breuiario Romano edito Lugduni anno 1544. cum priuilegio summi Pontificis, in lect. 6. festi Conceptionis, ait: *Non decuit, vt caro Mariæ qualicumque foret obnoxia culpæ.* fauet B. Petrus Damianus in serm. de Natiuit. Virginis, negans peccatum potuisse habere locum in Maria. quod idè tradit Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus in serm. de Sancta Maria, qui habetur tom. 7. Bibliot. veterum

24. *Nonnulli alij Patres idem innuunt.*

Richardus.

Damian.

Chrysippus.

German. terum Patrum; & Germanus Patriarcha in serm. de fascijs; quem refert Surius in die 31. mensis Augusti, Beatam Virginem *puritate omnibus antecellentem, nulli penitus culpæ affinem*, appellat. Ergo Beata Virgo nec peccauit in Adamo, neque peccatum aut eius debitum contraxit; alioquin illa *affinis* & obnoxia peccato fuisset; in eaque peccatum locum habere posset.

25. *Idem amplius roboratur.* Theodor. S. Jacobus. German. Surius. Hilar. Ansel. Granados.

Confirmatur tum ex Theodoreto lib. 3. in Cant. prope finem: tum ex liturgia sancti Iacobi Apostoli; tum ex Germano Patriarcha in Sermone de fascijs, relato à Surio die 31. mensis Augusti; tum ex Hilario & Anselmo relatis à Granados suprà n. 140. tum ex Epiphanio Serm. de laudibus Mariæ, asserentibus Angelos & Cherubim à Beata Virgine in puritate longè superari: Ergo Beata Virgo non solùm ab originali culpa immunis fuit; sed etiam ipsa neque peccauit in Adamo, neque debitum culpæ contraxit; alioquin ipsa ab Angelis superaretur. Huic

Ansel. placito consonat Anselmus lib. de Concept. Virginis, cap. 18. dum ait: *Decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo intelligi nequit, Virgo illa niteret.* Equidem cùm maior puritas sit immunitas à debito peccati originalis, quàm incursio præfati debiti; & non peccasse in Adamo, quàm in eo deliquisse; idcirco Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam, aut eius debitum incurrisse, fateri oportet.

26. *Idem ex communi*

Insuper probatur: quidquid gloriosum & illustre est Virgini Deiparæ, si aliunde non repugnet, ei concessum fuisse [illegible] dignitas Matris Dei, tum pietas erga ipsam, tum auctoritas Patrum relatorum suprà disp. 8. n. 6. persuadet: sed gloriosum & illustre est Virgini, quòd ipsa neque peccauerit in Adamo, neque culpam originalem, aut debitum illius contraxerit; & aliunde præfata priuilegia ei impensa fuisse, non repugnat. Ergo Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam, aut eius debitum incurrisse, fateri debemus. Consequentia est legitima: maiorem probauimus suprà disp. 9. n. & 6. ei assentiuntur saltem omnes Doctores, qui Beatam Virginem à peccato originali liberam fuisse volunt. Minor, in qua est difficultas, duas continet propositiones: aliam, gloriosum & illustre alicui esse in Adamo non peccasse, & carere culpa originali, & debito illius. Aliam, id concedi alicui neque repugnare, neque alicui decreto diuino contrauenire. Sanè priorem propositionem nemo negare potest: cùm clarè constet, non solùm culpam originalem, sed etiam eius debitum, aut pec-

casse in Adamo, aliquam imperfectionem importare (vt bene Salazar de Concept. capite 15. demonstrat.) Vnde omnes id Christo Domino adscribere, meritò abhorrent. Posterior propositio præfatæ minoris (scilicet non repugnare quòd asseratur, Beatam Virginem non peccasse in Adamo, aut peccatum, seu eius debitum non contraxisse) constabit ex solutione argumentorum, & ex dicendis infrà capite quinto. Confirmatur: Deus potuit Beatam Virginem ex meritis Christi, post præuaricationem primorum Parentum iam præuisi, à peccati originalis & eius debiti incursione liberare, & efficere ne ipsa in Adamo peccaret: ergo Deus de facto præfata priuilegia suæ Matri concessit.

Ansel. Nogarol. Consequentia est Sancti Anselmi relati in officio compositio à Nogarolo, & approbato à Sixto 4. de cuius auctoritate vide Granados, tom. de Incarn. controu. 2. tract. 1. disput. 3. n. 144. vbi probat Beatam Virginem à peccato fuisse præseruatam, ex eo quòd Deus illam liberare potuit. quod

Granados. argumentum Granados suprà n. 229. & n. 266. optimè deducit. Vnde solum antecedens probo; quia in eo non apparet implicatio, vt ex solutione argumentorum constabit.

27. *Alia probatio.* Idem suadent, tum alia testimonia, ex illis quæ infrà disp. 11. cap. 2. à n. 7. referemus in fauorem puræ Conceptionis Marianæ. Tum omnes coniecturæ, & congruentiæ, quibus Salmeron, Granados, Suarez, Vasquez, & alij relari suprà numero 3. & 4. Beatam Virginem à peccato originali liberam fuisse volunt. Siquidem, vt bene aduertit Granados de Incar. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 22. n. 262. præfatæ congruentiæ etiam suadent Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque debitum peccati contraxisse: quas, quia obuiæ sunt, omitto. Neque obstat si dicas, peccatum originale esse longè maius malum, quàm debitum illius, aut peccasse in Adamo: & ideo non debitum, aut non peccasse in Adamo, sed culpam orlginalem esse Dei Genitrici denegandam. Hoc, inquam, non obest: nam licèt delictum originale maius malum, & indecentia sit, quàm debitum illius, & deliquisse in Adamo; tamen id non tollit, quin debitum peccati, & deliquisse in Adamo, sit etiam malum quoddam, & indecentia, vt bene Salazar de Concept. capite 15. Salazar. Adhæc debitum peccati, & peccasse in Adamo, est maius malum, & indecentia quàm fomes peccati, seu rebellio appetitus sensitiui contra rationem; cùm non fomes peccati, sed debitum culpæ iuxta prouidentiam Dei ordinariam, necessariò inducat culpam & inimicitiam Dei.

Salmeron, Granados, Suarez. Vasquez.

Vnde

Vnde si dignitas Matris Dei, & excellentia Virginea mouet Doctores ad asserendum Beatam Virginem habuisse appetitum rationi subiectum, & fomite peccati caruisse; etiam eadem dignitas & excellentia suadet Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque debitum culpæ incurrisse.

28. *Fauet Tridentinum* Finem huic capiti imponat Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, vbi, postquam definiuit omnes posteros Adami in eo peccasse, & peccatum originale contraxisse, ait: *Non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam:* quibus verbis, vt bene Granados suprà numero 255. insinuat Concilium, Beatam Virginem in illa Pauli propositione, *Omnes in Adam peccauerunt*, non fuisse comprehensam; cùm autem qui in illa non includuntur, neque peccarint in Adamo, neque culpam, aut eius debitum incurrerint, vt liquet; idcirco tam culpam originalem, & eius debitum, quàm peccasse in Adamo, à Beatâ Virgine longè abfuisse, sentimus.

CAPVT V.

Via noua, quâ propugnatur Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam, aut eius debitum incurrisse, aperitur, & roboratur.

29. *Multipliciter propugnari solet puritas Mariana.* QVamuis recentiores communiter, Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque delictum originale, aut eius debitum contraxisse, nobiscum fateantur; tamẽ in principijs, ex quibus præfatam immunitatem deducunt, valde dissentiunt. Ferè triginta modi, quibus Dei Genitrix à peccato, & eius debito liberatur, excogitati numerantur. Nec mirum, nam prædicti Theologi, non tam de modo, quo Beata Virgo de facto à peccato, & eius debito præseruata fuit, quàm de modo, quo Deus eam à prædictis imperfectionibus per suam omnipotentiam eripere valuit, disputare videntur. Quapropter cùm Dei omnipotentia ampliſſima sit, & innumeros modos liberandi Beatam Virginem à peccato, & eius debito, comprehendat; idcirco Doctores varios modos propugnandi omnimodam Dei Genitricis puritatem excogitant, & quotidie nobis proponunt. Verùm quia, vt ait Sanctus Thom. 3. p. q. 1. art. 3. *ea quæ*

ex sola Dei voluntate proueniunt, supra omne debitum creaturæ nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam diuina voluntas nobis innotescit; ideo præfatis modis omissis, vtpote incertis, aliter prædictam veritatem stabilire, & declarare placet.

30. *Adamus per comestionem vt coniunctam cum impœnitentia infecit naturam.*

Quare in memoriam reduco, quod probauimus suprà disput. 7. numero 65. Adamum per solam transgressionem, non inficisse naturam, neque illam peccato subiecisse; sed solum illam in periculo incurrendi delictum constituisse: siquidem si ille iam iustitiâ originali denudatus, horâ v. g. nonâ ante prolationem sententiæ, non pœniteret, omnes in ipso delinqueremus. Quod præuidens misericors Deus, in remedium tanti mali suum Filium mortalem prædeterminauit; cuius morte visa ob eam & auxilia sufficientia Adamo impertiuit, quibus, si vellet, ad pristinum statum cum sua stirpe reuocari posset (vt ostendimus suprà disput. 6. cap. 3. 4. & 5.) & insuper suam Genitricem à pacto exemit: & consequenter à periculo in quo versabatur, liberauit (vt vidimus suprà disputatio. 9. cap. 1. à numero 4.)

Ex quo sequitur, Beatam Virginam neque peccasse in Adamo, neque culpam, aut illius debitum contraxisse: nam solùm peccare potuerunt in Adamo, & debitum illius delicti incurrere, qui in pacto vsque ad horam v. g. nonam inclusi permanserunt, quando Adamus iustitiam in posteros transfundere iuxta pactum, tenebatur; & conditio totalis violata fuit, sub quâ ineuitabiliter culpam incurrimus (vt monstrauimus suprà disput. 6. & 7.) sed Beata Virgo ante præfatam nonam, fuit à pacto liberata (vt etiam ostendi suprà disput. 9. cap. 1.) ergo Beata Virgo neque peccauit in Adamo, neque peccatum, aut illius debitum incurrit.

31. *Aperitur modus defendendi B. Virginem neque peccasse in Adamo, neque debitum incurrisse.*

Modum præfatum liberandi Beatam Virginem à peccato, & eius debito, esse præstantiorem, quàm omnes alios hactenus excogitatos, liquet ex eo quòd clarior & solidior videtur: præfata enim Theologia tribus principijs innititur, Primum est, Adamum non per solam præuaricationem; sed per eandem vt coniunctam cum impœnitentia, futuram ante prolationem sententiæ, genus humanum infecisse. Secundum principium est, Christum vt mortalem immediatè post transgressionem primi Parentis fuisse prædestinatum, nempe quando natura humana adhuc in Adamo non peccauerat, sed in periculo delinquendi versabatur. Tertium principium est, tunc Deum ob merita Filij sui Beatam Virginem

32. *Modus præfatus alij præfertur.*

nem à pacto eripuisse. Quæ omnia principia, non gratis, vt forsan alij, assumimus; sed ratione & auctoritate probamus. Primum enim principium, nempe genus humanum per transgressionem Adami, vt coniunctam cum impœnitentiâ explicatâ, naturam corrupisse, suprà disput. 5. 6. & 7. in Scriptura & Patribus contineri, ostendimus. Secundum principium, scilicet Christum vt mortalem, immediatè post esum Adami fuisse præuisum, est doctrina sancti Thomæ, & quidem receptissima. Tertium principium, nempe Beatam Virginem fuisse tunc per Filij mortem à periculo, in quo versabatur vindicatam; ratio ipsa, & ea, quæ suprà disputatio 9. capite 1. tradidimus, persuadent.

CAPVT VI.

Duo argumenta contra præfatum modum propugnandi, Beatæ Mariæ à debito peccati immunitatem, dissoluuntur,

33. *Obiectio.*

OBjiciunt aliqui recentiores: licèt iuxta hanc Theologiam bene intelligatur, Beatam Virginem neque peccasse in Adamo, neque peccato originali, aut eius debito innodatam fuisse; nihilominus tamen iuxta eam Beata Virgo in magno periculo peccandi in Adamo, constituta fuit; quod dignitas Matris Dei, & immensa Beatæ Mariæ puritas admittere vetat. quod absurdum non incurrunt, qui eam in pacto inclusam fuisse negant. Confirmatur, licèt debitum peccati neque sit culpa, neque subiectum Deo inimicum reddat; nihilominus, quia est aliqua imperfectio, illud Beatæ Virgini non attribuimus. Cùm autem esse in periculo ingenti peccandi in Adamo, sit etiam imperfectio, illud à Dei Genitrice remouere debemus.

34. *Notabile.*

Vt argumento præfato satisfaciam, aduerto: periculum, quoad præsens attinet institutum, duplex est; aliud remotum, & aliud proximum. Per remotum intelligo potentiam ad peccandum, seu ipsam naturam humanam, quæ ex se peccabilis est. Periculum proximum præter hanc remotam peccabilitatem, includit aliquam aliam occasionem vel circumstantiam, quâ præfata potentia ad actum peccati magis accedit. hac de causa, quia lex occasio peccati est, per illam peccato proximiores quàm antea eramus, reddimur. Præterea aduerto, hanc occasionem naturæ superadditam, quâ in periculo minus remoto, seu proximo peccati constituimur, posse à nobis, vel ab alio oriri. Ab alio oritur, quando nobis inuitis, vel nihil agentibus, alius eam immit-

mittit; vt accidit, quando Princeps legem, aut præceptum imponit; aut quando alius virum cum fœminâ in cubiculo per vim includit, vt cum sanctis martyribus olim Tyranni effecerunt. At si occasiones similes nos ipsi velimus, & eligamus; periculum proximum peccati inde ortum, à nobis proueniet. Insuper animaduerto, duobus præcipuè modis in periculum aliquod proximum peccati voluntariè & liberè nos incidere posse, nempe ex causa rationabili, & sine illa, vt liquet. Causa rationabilis est, quando charitas in proximum, aut aliquod aliud magnum bonum vrget ad hoc vt in periculo aliquo peccati constituamur; vt ParochoSacramenta pœnitentiæ fœminis administranti, aliquando accidit. At si nulla causa rationabili intercedente; sed solùm ob meram voluntatem, quis periculum aliquod peccati subeat, is se in periculo illo sine causa constituere dicetur. Addo periculum remotum peccandi, quod in sola peccabilitate consistit, imperfectionem Dei Genitrice indignam non esse; cùm hæc ipsam indifferentiam voluntatis comitetur, aut sequatur. Quare Christo vt homini eam Scotus attribuit. Etiam imperfectio non est periculum proximum peccati ortum ex alio. Quis enim sanctas Virgines vllo modo dehonestari putet, ex eo, quòd à tyrannis tentatæ, vel ad lupanar vi deductæ fuerint? Equidem iuxta opinionem Scoti asserentis, Christum esse peccabilem, per tentationem immissam à diabolo, in aliquo periculo peccandi, in quo antea non erat, positus fuit, & tamen illud periculum, quia ab alio immissum cum puritate infinita Christi cohæsit. Dein etiam non imperfectio, sed laus est, quòd quis ex maxima causa aliquod periculum peccati subeat; & ideo religiones, quæ, vt proximorum salutem spiritualem promoueant; etiam si adsit aliquod periculum, cum sæcularibus agunt, extollimus, & laudamus. Quo posito,

35. *Respondetur obiectioni.*

Ad argumentum factum respondeo, periculum illud peccati, in quo post præuaricationem Adami Beata Virgo versabatur, duas conditiones habuisse, quæ illud Virgini non indecens, sed planè decens reddunt. Primò, fuit ab alio, nempe Adamo causatum; & periculum proximum ab alio immissum, nostra imperfectio non est. Secundò Beata Virgo ex magna causa illud periculum intrauit; nam eidem, & alijs omnibus hominibus donum iustitiæ originalis, & gloria æterna, quæ illis prorsus indebita erant, promittebantur, si primus parens facilem conditionem adimpleret. Quæ causa intrandi pactum, adeo rationabilis

bilis erat, vt imprudenter à quocumque reiiceretur. Vnde etiamsi Beata Virgo tunc esset existens, illam conditionem eligeret; & consequenter periculum, in quod post Adami præuaricationem, incurrit, ei nullo modo vt næuus imputaretur. Declaratur. Finge, Deum produxisse ante pactum humanitatem Christi, diuinitate denudatam; & ei proposuisse, an vellet ea conditione in pactum initum cum Adamo intrare, vt si præfata conditio adimpleretur, ipsa ad vnionem hypostaticam assumeretur; sin minùs ea ei denegaretur absque dubio humanitas pactum ingredi vellet. Vnde etiam si postea peccaret Adamus, & sic ipsa periculum amittendi sanctitatem & diuinitatem incurreret, non ideo humanitas, si tunc à pacto eximeretur, indigna nexu ad Verbum redderetur; nempe quia vt intraret pactum, causa vrgens fuit, & periculum, in quo post Adami inobedientiam versaretur, non ab ipsa sed ab alio dimanasset. Pari ratione asséro præfatum periculum dignitatem Matris Dei non dedecere; quia magna causa intrandi pactum adfuit; & insuper periculum non ex ipsa, sed ex alio dimanauit. Accedit, præfatum periculum fuisse necessarium ad hoc vt Beata Virgo verè & propriè redimeretur. (vt suprà disputatio. 8. capite 3. adnotabamus) Vnde casu dato, sed non concesso, quòd præfatum periculum aliqua imperfectio esset, nihilominus illi attribui deberet.

36. *Solutio ad confirmationem.*

Ex quo ad confirmationem relatam suprà numero 33. respondeo, esse magnum discrimen inter debitum peccati & periculum quod nos constituimus: nam debitum peccati supponit verè in Adamo peccasse, & aliquas alias indecentias (vt dicebamus suprà disputatio. 9. capite 1. numero 9.) Et insuper illud non est necessarium ad hoc vt quis redemptus esse dicatur (vt ostendi suprà disputatio. 8. capite 3. à numero 11.) At periculum peccati præfatum non est vlla indecentia, & insuper est necessarium ad hoc, vt Beata Virgo redimi posset. Vnde non debitum, sed solùm periculum peccati Beatæ Virgini attribuo.

37. *Alia Obiectio.*

Secundò obijcies, opinio valde communis inter recentiores, tradit, nos peccasse in Adamo, esse nos, vtpote diuinitus alligatos voluntati Adami, ad eius præuaricationem moraliter concurrisse (vt vidimus suprà disputatio. 1. capite 2. numero 22.) iuxta quam opinionem modus præfatus defendendi immunitatem Beatæ Virginis à debito, non subsistit. Ergo modus prædictus admittendus

non est : siquidem (vt bene adnotauit Suarius. 1. 2. tract. de peccatis disput. 9. sect. 4. n. 29.) veritas omnimodæ puritatis Marianæ ita defendi debet , vt ea iuxta alias opiniones receptissimas propugnari possit. Et ideo plures modos ad prædictum effectum excogitatos reiecimus: nempe quia illi cum opinione valde communi de prædestinatione Christi post peccatum Adami, non cohærent. Quod autem præfatus modus defendendi immunitatem Beatæ Virginis à debito peccati non connectatur cum prædicto concursu morali inclusorum in pacto in culpam Adami, patet : nam cùm iuxta prædictam opinionem nos peccasse in Adamo , seu nos concurrisse moraliter ad culpam illius, sit Adamum habentem nostras voluntates sibi alligatas , physicè fructum vetitum comedisse ; eo ipso quòd fructum prædictum deglutiuit, omnes inclusos in pacto ad prædictam comestionem moraliter concurrisse, necesse est: cùm autem Beata Virgo fuerit in pacto inclusa, sicut cæteri omnes , & consequenter eius voluntas in Adamo constituta, quando ipse præceptum violauit, consequitur ipsam moraliter influxisse in præuaricationem Adami, & consequenter peccasse in primo parente. Confirmatur, vel iuxta prædictam opinionem admittentem concursus morales posterorum in præuaricationem Adami ; inclusi in pacto concurrerunt moraliter in delictum Adami in instanti temporis , quo ille comedit ? vel non, sed postea v. g. quando impœnitens repertus fuit ? Hoc posterius dici nequit ; quia horâ v.g. nonâ, quando Adamus se excusauit , & impœnitens inuentus fuit, non comedebat fructum vetitum : vnde cùm posteri solùm moraliter comederint per comestionem physicam Adami ; ideo tunc ipsi moraliter edere nequiuerunt ; comedimus ergo fructum vetitum horâ v.g. tertiâ, quando Adamus illum physicè manducauit. Quare cùm Beata Virgo tunc fuerit in pacto inclusa; siquidem adhuc Christus, per quem fuit à pacto erepta, non erat prædestinatus ; eam tunc moraliter comedisse , & sicut cæteros omnes , in Adamo peccasse, necesse est.

38. *Obiectioni fit satis.*

Prædictæ obiectioni respondeo, non esse argumentum falsitatis alicuius placiti , quod illud defendi non possit iuxta principia omnium opinionum , etiam probabilissimarum , vt patet. Quod præcipuè verum est , quando opinio , cui placitum illud opponitur, est noua , & consensu Patrum destituta , qualis est sententia de concursu morali posterorum in culpam Adami. Quare licèt noster modus defendendi immunitatem Marianam

nam à debito culpæ originalis, cum præfata opinione de concursu morali, non subsistat ; illum esse falsum , argumentum non est. Neque paritas allata de alijs opinionibus vim habet ; nam modos alios defendendi puritatem prædictam Beatæ Virginis incompatibiles cum prædestinatione Redemptoris post præuaricationem Adami , meritò reiecimus ; quia opinioni communissimæ, & Patribus , & Scripturâ munitæ, contradicunt. Verùm cùm præfatum concursum moralem neque Patres , neque Scriptura insinuent ; sed solùm à recentioribus sit excogitatus , vt essentiam peccati originalis declarent ; ideo quòd nostra sententia ei opponatur parum refert. Tamen in gratiam eorum, qui concursum moralem posterorum in culpam Adami pro viribus stabiliunt ; vnam , vel aliam viam , quo vtraque sententia connectatur , insinuare placet.

39. *Alia oppugnatio.*

Primò, aliqui recentiores Complutenses prædictum modum defendendi immunitatem Beatæ Virginis à debito peccati, cum prædicta opinione de concursu morali posterorum in culpam Adami , subsistere posse autumant. Aiunt enim, non comestionem Adami , sed solam eius excusationem aut impœnitentiam fuisse peccatum naturæ ; & ideo in illa inclusos in pacto tantùm peccasse : cùm autem quando Adamus se excusauit, aut pœnitere noluit , iam Beata Virgo ab illo fuerit erepta ; idcirco illa in Adamo non peccauit, neque debitum peccati incurrit.

40. *Responsio.*

Verùm quia prædicta doctrina inidonea est , vt ostendimus suprà disput. 4. à numero 44. ideo alij recentiores cum Cardinali de Lugo relato disput. 3. cap. 5. tradunt peccasse in Adamo , non esse nos ad eius peccatum verè & liberè concurrisse; sed ita nos, quando concipimur, haberi , ac si verè , & physicè in dictam culpam influxissemus. Vnde qui perinde se habet in sua conceptione , ac si physicè cum Adamo comediisset , ad dictum peccatum per æquiualentiam & moraliter concurrisse censetur. Cùm autem B. Virgo, eo ipso quòd ante infectionem naturæ , à pacto fuit extracta, non se habuerit eodem modo in sua conceptione, ac se habuisset, si physicè ad delictum Adami concurrisset ; idcirco illa , licèt tempore comestionis in pacto inclusa permanserit, in præfatum delictum moraliter non influxit. Declaratur : Deus , teste Lugo suprà , inclusit in pacto omnes fœminas, quæ in matrem Dei non essent eligendæ , non determinando, an ipse esset, peccante Adamo , aliquam ad præfatam dignitatem assumpturus.

Lugo.

Lugo.

Ex quo infert, fœminas inclusas in pacto, non intelligi peccasse in Adamo, in signo quo ille deliquit, sed in signis subsecutis, nempe quando post Christum prædestinatum Beata Virgo ad dignitatem Matris Dei eleuata fuit: in illo enim posteriori signo, ait Cardinalis de Lugo suprà, fœminas peccasse per æquiualentiam, nempe quia eodem modo se habent, ac si physicè deliquissent. Attamen quia Beata Virgo per electionem prædictam peccatum Adami, imo decretum mittendi Christum, subsecutam, non se habuit eodem modo, ac si physicè comedisset; ideo illam præfatus Cardinalis moraliter ad dictum peccatum concurrisse negat. Ita posset quis dicere, Beatam Virginem, sicut reliquos posteros Adami, in pacto inclusam fuisse, quando Adamus fructum vetitum deglutiuit; tamen quia ipsa per sui exclusionem à pacto, antequam tota natura inficeretur, non se habuit eodem modo, ac si physicè concurrisset ad culpam Adami, ideo non illa, sed solùm reliqui posteri primorum parentum, statim ac Adamus horâ v. g. nonâ impœnitens repertus est, moraliter ad præfatam comestionem concurrisse censentur. Vide Cardinalem de Lugo de Incarnat. disputatio. 7. sect. 3. & 4. vbi argumentis, quæ contra suam doctrinam, & consequenter contra præfatam solutionem obiiciuntur, respondere conatur. Vnde iuxta modum, quo Cardinalis de Lugo defendit concursum moralem posterorum in culpam Adami, poteris modum designatum defendendi omnimodam puritatem Marianam componere, & vtramque opinionem tueri. Lugo.

Denique nonnulli Recentiores Complutenses nostro discursu excitati, alium modum propugnandi, nostram sententiã inuenerunt, & suo iudicio faciliorem, quem apponere placet. Qui primò notant conditionem adæquatam ex vi pacti necessariò requisitam ad transmissionem peccati originalis, non fuisse solam voluntatem primorum parentum comedendi pomum interdictum; sed eandem vt simul coniunctam cum comestione externa pomi vetiti: vnde si Adamus illud edere efficaciter determinasset, imò accepisset, & masticasset; & tamen notabilem partem illius non transmisisset ad stomachum, omnes iustitia originali condecorati nasceremur (vt tradidimus suprà disputatio. 4. numero 27.) Ex quo apparet inter voluntatem efficacem Adami comedendi pomum vetitum, & esum præfati pomi, interfuisse aliquod medium tempus, in quo 41. *Alia Obiectio.*

quo Adamus accepit pomum, ori admouit, momordit, & illud masticauit: siquidem præfatæ actiones tempus aliquod consumpsisse necesse est. Addunt præfati recentiores, in medio illo tempore interiacente inter voluntatem efficacem Adami comedendi pomum prohibitum, & deglutionem illius, extitisse peccatum Adami nobis non imputatum: siquidem adhuc non erat deglutio requisita ex vi pacti, ad hoc vt prædicta voluntas interna & peccaminosa Adami, nobis imputaretur. Secundò notant Deum in hoc medio tempore, inter præfatam voluntatem Adami & deglutionem pomi interiacente, efficaciter decreuisse mittere Christum mortalem in remedium generis humani, nondum maculati, sed in periculo peccandi in primo parente constituti. Quod periculum Deus præuidens, ob merita Christi mortalis iam præcognita, B. Virginem à pacto exemit, priusquam pomum prohibitum præintelligeretur deglutitum ab Adamo. Quo factum est, vt postea primo parente deglutiente pomum, non Beata Virgo, sed reliqui posteri peccarint in Adamo, & culpæ obnoxij redderentur. Siquidem solùm deliquerunt in Adamo, qui tempore deglutionis pomi in pacto erant inuoluti; & aliunde non Beata Virgo, sed reliqui posteri tunc temporis in illo perseuerabant inclusi.

Fateor iuxta hanc Theologiam nostræ affinem, liberari Dei Genitricem à peccato originali, & eius debito. Nihilominus prædictus discursus non arridet. Primò præfatus modus defendendi omnimodam puritatem Marianam, aliquot principijs incertis innititur. Supponit enim comestionem externam seu deglutionem pomi, fuisse ex vi pacti requisitam ad transmissionem peccati originalis, & infectionem naturæ; quod, licèt verisimilius sit, tamen est valde dubium, & à multis negatum (vt vidimus suprà disputatio. 4. numero 27.) Secundò præfata opinio supponit Christum immediatè post præfatam voluntatem internam Adami, & ante comestionem seu deglutionem pomi, fuisse prædestinatum mortalem; quod etiam dubium est, & forsan falsum; cùm Patres & Ecclesia aduentum & prædestinationem Christi, comestioni externæ Adami attribuere videantur (vt tetigi suprà disputatio. 1. capite 5. à numero 102.) Tertiò supponit præfata opinio viam Adamo vt personæ publicæ concessam ad transmissionem iustitiæ aut peccati originalis, deglutione pomi ve- 42. *Obiectio dissoluitur.*

titi fuisse terminatam: quod falsum est; siquidem, vt ostendi suprà disput. 5. cap. 2. & sequentibus, Adamus viator publicus fuit vsque ad excusationem sui peccati; imò vsque ad horam nonam, in qua Deus contra primos parentes sententiam pronunciauit. Quartò supponit præfata sententia Adamum, postquam pomum deglutiuit, non potuisse mediâ pœnitentiâ sibi & suæ proli iustitiam originalem recuperare: quod Patribus & Scripturæ aduersari videtur (vt latè ostendi suprà disp. 6.) Quintò iuxta præfatam opinionem peccatum consummatū Adami, validius esset ad nostram captiuitatem & perditionem, quàm fuit gratia & donum ortum ex morte consummata Christi ad nostram libertatem; siquidem post peccatum consummatū Adami, nulla auxilia per Christum fuerunt Adamo collata, quibus, si vellet, ad pristinum statum iustitiæ originalis cum sua prole redire posset. quod Paulo ad Rom. 5. contradicit (vt constat ex dictis suprà disput. 6. cap. 5.) denique spatium temporis, in quo extitit peccatum Adami, antequam posteris imputaretur, iuxta præfatam opinionem, breuius esse videtur, quàm denotant verba Pauli ponderata suprà disput. 7. cap. 2. siquidem præfatum spatium solùm durauit à voluntate efficaci Adami comedendi pomum inhibitum, vsque ad eius deglutionem; & aliunde modus loquendi Pauli innuit, illud spatium fuisse longius, & non nouo aduentu seu extensione malitiæ; sed ob legem instantem pro posteris, fuisse terminatum (vt vidimus disp. 7. cap. 2. citato.) Quapropter hac opinione missa, nostram solidiorem iudicamus.

Paulus.

CAPVT VII.

Alia argumenta contra omnimodam immunitatem Beatæ Virginis, à peccato, & eius debito, soluuntur.

HActenus argumenta protulimus contra modum specialem, quo Beatæ Virginis immunitatem à peccato, & eius debito vindicauimus; modò superest respondere alijs obiectionibus, quæ eam vel peccasse in Adamo, vel saltem debitum peccati originalis incurrisse, suadent. 43.

Obijcies primò illa locá scripturæ, in quibus omnes in Adamo peccasse dicuntur, quale est illud ad Rom. 3. *Causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse.* (& infrà) *Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei* (& ad Rom. 5.) *In quo* (nempe Adamo) *omnes peccauerunt.* & sæpe alibi. Ve- 44. *Paulus explicatur.*

Verùm si similes propositiones vniuersales, Beatam Virginem debitum contraxisse, persuaderent; etiam euincerent eam peccatum originale, imò actualia commisisse. Nam, vt bene aduertit Granados de Incarnat. controu. 2 tract. 1. disp. 3. sect. 23. numero 271. etiam Scriptura vniuersaliter ait: *Omnis homo mendax* (& alibi) *Omnes quærunt, quæ sua sunt.* (& alibi) *Septies in die cadit iustus.* Quare missis alijs solutionibus, respondeo iuxta regulam Sancti Augustini lib. de Nat. & gratia cap. 36. quam videtur approbasse Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali: quoties Scriptura agit de peccato, etiamsi propositionibus vniuersalibus vtatur, suæ intentionis non fuisse, Beatam Virginem in eis, quoad illam partem comprehendere. Vnde in illis propositionibus, *Omnes in Adam peccauerunt*, & similibus, subintelligendum est, præter Beatam Virginem, vt in suo decreto vniuersali de peccato originali, expressè animaduertit Tridentinum.

Granados. S. Aug.

45. *Obiectio.*

Secundò obijcies, illa loca Scripturæ, in quibus peccatum Adami, omnes, ad quos merita Christi se extenderunt, comprehendisse dicitur. quale est illud, 1. Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* (& ad Rom. 5.) *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem.* Sed Christi merita ad Beatam Virginem se extenderunt; ergo & Adami peccatum illam comprehendit. Præfatum argumentum eodem vitio ac præcedens laborat, vt bene Granados suprà, & Vasquez in 3. p. disp. 115. cap. 3. adnotarunt; siquidem si vires haberet, etiam euinceret Beatam Virginem maculatam fuisse.

Ad Corin. Ad Rom. Vasquez.

Vt argumento respondeam, & testimonia relata declarem, præmoneo, peccatum Adami triplici aut quadruplici modo ad homines pertinere, eosque comprehendere potuisse. Primò, peccatum Adami, antequam ipse impœnitens reperiretur, omnes puros homines, nullo excepto, in periculo peccandi in Adamo, & incurrendi pœnas comminatas, & eorum debitum constituit (vt diximus disput. 7. capite sexto n. 65.) Secundò, idem peccatum vt coniunctum cum impœnitentia finali Adami, vt personæ publicæ, omnes perseuerantes inclusos in pacto, obnoxios peccato reddidit; eosque, vt in Adamo peccassent, effecit. Tertiò, idem peccatum, quando primò anima nostra corpori vnitur, nos inficit, & Deo inimicos reddit. Quo posito: 46. *Notabile.*

Ad argumentum respondeo, peccatum Adami aliquo ex tribus modis relatis ad omnes puros homines, nullo prorsus excepto; 47. *Obiectioni respondetur.*

cepto, comprehensos sub meritis Christi, se extendit, vt loca citata significant. Ex hoc tamen non sequitur, Beatam Virginem peccasse in Adamo, aut culpam, & eius debitum contraxisse; sed saltem illam per peccatum Adami in ingenti periculo peccandi, & contrahendi maculam originalem extitisse. quod libenter admitto.

48. *Instantia satisfit.* Paul.

Instabis, Paulus locis citatis non egit de periculo peccandi, in quo omnes per peccatum Adami ante eius impœnitentiam versabamur; sed de peccato Adami iam transfuso; siquidem ait, *Sicut in Adam omnes moriuntur:* & ait peccatum Adami transfusum fuisse in omnes, ad quos merita Christi extenduntur; Respondeo, Paulum non loqui solùm de peccato Adami in posteros transfuso; sed de illo vt sic, seu, vt poterat transfundi, vt interpretantur omnes, qui Beatam Virginem immaculatam fuisse defendunt. Vnde cùm peccatum Adami, quando omnes in periculo peccandi constituit, potuerit transfundi, sicut postea adueniente impœnitentia Adami transfusum est; ideo Paulus ab illo etiam, prout erat in illo statu, sermonem instituit. Neque refert, quòd Paulus, omnes qui merita Christi participant, mortuos, & condemnatos appellet. nam iuxta phrasim communem Scripturæ, ad hoc vt aliquod prædicatum omnibus attribuatur, sufficit quòd illud maiori parti conueniat; & ideo in Psal. 13. dicitur: *Omnes declinauerunt. Non est qui faciat bonum*; & tamen aliqui tunc sancti reperiebantur, vt bene Granados suprà. Ita quia omnes homines, præter Virginem, fuerunt maculati, omnes fuisse mortui absolutè dicuntur. Vel, si placet, respondeiuxta communem modum loquendi, non solùm qui animam efflarunt, sed qui in magno periculo mortis sunt constituti, mortuos censeri; & quia omnes post peccatum Adami, in ingenti periculo mortis erant; ideo eos (vt suprà disput. 6. cap. 5. numero 40. animaduerti) mortuos appellauit. Psalm.

49. *Alia oppugnatio.*

Quartò obijcies alia loca Scripturæ, in quibus Apostolus, ex eo quòd Christus pro omnibus mortuus est, omnes posteros Adami mortuos esse infert. quæ illatio mala esset, si aliquis non mortuus daretur, pro quo Christus suam vitam amisisset, vt patet. Ita Paulus argumentatus est 2. ad Corint. 5. dum ait: *Si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt*, & ad Galatas 3. *Concluſit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi omnibus daretur credentibus.* Paulus.

50. *Responsio.*

Respondeo argumentum Pauli firmissimum esse. Nam per vocem *Mortuos* non solùm formaliter

liter inquinati aut mortui, sed etiã virtualiter mortui, seu qui in magno mortis periculo fuerunt constituti, vt suprà n. 46. dicebamus. Vnde cùm omnes posteri Adami cum B. Virgine vel fuerint reapse mortui spiritualiter, vel in periculo mortis; idcirco Paulus ex eo, quòd Christus pro omnibus hominibus mortuus fuerit, optimè deducit omnes posteros Adami, etiam B. Virginem, mortuos fuisse, nempe formaliter, aut virtualiter.

51. *Alia obiectio.*

Quintò objicies illa loca Scripturæ, in quibus omnes, etiam Beata Virgo, per Christum redempti esse dicimur; vnde cùm redemptio captiuitatem præsupponat; ideo Beatam Virginem, vt redempta fuerit, peccasse in Adamo necesse est. Verùm hoc argumentum satis superque dilutum est suprà disputatio. 8. capite 3. numero 11. vnde ad alia propero.

52. *Responsio ad aliam obiectionem.*

Sextò objicies, Beata Virgo caruit iustitiâ originali promissa omnibus posteris Adami: ergo Beata Virgo eam perdidit in Adamo; & consequenter peccauit in eo. Respondeo iustitiam originalem tria dona inuoluisse, aliud ad animam, aliud ad appetitum sensitiuum, & aliud ad vitam animalem, seu corpus pertinentia (vt explicuimus suprà dis. 1. cap 1. n. 3.) Et licèt Beata Virgo non habuerit iustitiam originalem, prout ea immortalitatem corporalem, & negationem molestiarum & dolorum includebat; attamen habuit iustitiam originalem, prout includebat alia dona; & ideo Beata Virgo in suâ conceptione, non solùm sanctitatem, & reliquas virtutes eam comitantes; sed etiam appetitum rationi subiectum habuit, vt bene Granados, de Incarn. controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 26. Sherlogus ad cap. 1. Canticorum, ver. 8. n. 43. Leza-na, Apologia de Concept. cap. 36. §. *ad quintum.* Fauent huic parti innumeri Doctores, qui Beatam Virginem ita sanctam fuisse volunt, vt ea fomitem peccati nullatenus vnquam habuerit. ita Vasquez in 3. p. disp. 118. cap. 4. Suarius ibidem to. 2. disp. 4. sect. 5. Salazar de Concep. cap. 28. §. 2. qui & id bene probant, & plures alios allegant. Granados. Sherlogus. Lezana. Vasquez. Salazar.

53. *Alia obiectio.*

Objicies septimò, cùm mors corporalis & spiritualis, sub eadem conditione comminatæ fuerint (vt diximus suprà disputatio. 5. cap. 5. n. 33.) cui Adamus perdidit vitam animalem immortalem, & impassibilem, eidem illum amisisse sanctitatem & subiectionem appetitus, necesse est; sed Adamus perdidit Beatæ Virgini immortalitatem, & impassibilitatem corporis, vt patet; siquidem illam morti corporali, doloribus & alijs molestijs subiectam esse, scimus: ergo etiam primus parens amisit

Beatæ Virgini sanctitatem, & subiectionem appetitus ad rationem.

54. Solutio. Respondeo, licèt Beata Virgo fuerit mortalis, & laboribus subiecta; nihilominus neque prædicta incommoda fuerunt in ipsa supplicium, aut pœna peccati Adami; neque Adamus eam pœnam ipsi meruit; & consequenter ille eidem immortalitatem aut impassibilitatem non amisit: hæc enim nocumenta orta fuerunt ex speciali Dei prouidentia, quâ Deus voluit priuare Beatam Virginem immortalitate, & impassibilitate corporis, vt Filio mortali & passibili similior euaderet; & sic cum ipso totius mundi corredemptrix esset, vt bene Granados suprà n. 320. Vnde sicut mortalitas, & passibilitas Christi, ortum non duxit ex eo quòd ipse in Adamo peccauerit, vel eam in eo amiserit; sed ex alio decreto, quo voluit Deus, vt Christus per mortem, dolores, & molestiam, mundum redimeret; ita mortalitas & passibilitas Beatæ Virginis, non traxit originem ex eo quòd Adamus eam illi meruerit; sed ex alio decreto, quo Deus voluit, vt Beata Virgo, licèt omni pœnâ & supplicio prorsus indigna, redemptioni generis humani, per mortem & labores proprios cooperaretur. Neque contra hoc militat illud Augustini Concione secunda in Psal. August.

34. *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ*; nam solùm voluit Augustinus, peccatum Adæ fuisse occasionem mortis Mariæ, non vt pœnæ, sed vt remedij posterorum; sicut idem peccatum vt Christus moreretur, occasio fuit.

55. Obiectio. Vasquez. Obijcies octauò ex Vasquez in 3.p.disput.115.cap.3. Si Beata Virgo neque peccauit in Adamo, neque debitum peccati contraxit; sequitur eam non fuisse habituram peccatum originale; etiam si concepta fuisset sine gratiâ sanctificante: siquidem prædicta priuatio sanctitatis non fuisset pœna, sed conditio naturæ, & effectus diuinæ prouidentiæ. Consequens autem esse impossibile, patet: nam fuisset in Beata Virgine priuatio sanctitatis debitæ, seu promissæ, vnde cùm priuatio prædicta, vel sit peccatum originale, vel ipsum comitetur, si ea fuisset in Beata Virgine, peccatum quoque in ea futurum fuisse, necesse est.

56. Solutio. Respondeo, si Deus per possibile vel impossibile, Beatam Virginem sanctitate denudatam produxisset, eam carituram fuisse peccato, & habituram puram naturam; nam eo ipso quòd Beata Virgo fuisset simpliciter erepta à pacto, ante impletam conditionem appositam Adamo ad transfusionem iustitiæ originalis; iustitia, quæ fuit promissa Adamo, pro Beata Virgine non manserat ei debita, & promissa in Adamo; & ita priuatio sanctitatis resultans in Virgine, ex eo quòd ei sanctitas in prædicto casu denegaretur, non priuatio sanctitatis debitæ, sed prorsus indebitæ fuisset, vt adnotaui suprà disput.8. cap. 2. n. 8. Addit bene Granados suprà hypothesim de facto, aut ex vi pacti esse impossibilem: nam eo ipso Deus ex vi pacti naturam humanam in finem supernaturalem gratiæ & gloriæ ordinauit; debuit Beatam Virginem, non in pura natura; sed in gratia, aut peccato creare; vnde cùm Beata Virgo si sanctitate spoliaretur, fuisset in purâ naturâ, vt dixi, eam cum gratia & sanctitate producere debuisset.

57. Alia argumenta contra præfatam doctrinam adduci solent, verùm quia ea Beatam Virginem peccatum originale incurrisse suadent, illa ad disputationem sequentem remitto.

DISPVTATIO VNDECIMA.

Iterum B. Virginem sine peccato originali conceptam fuisse adstruitur.

1. DIsputatione præcedenti tres simul propositiones persuadere studuimus, nempe B. Virginem neque peccasse in Adamo, neque debitum peccati originalis contraxisse, neque in sua conceptione fuisse culpa originali maculatam; modò (quidquid sit de illis duabus quæstionibus, an, inquam, Beata Maria peccauerit in Adamo, & an debitum peccati incurrerit) Dei Genitricem à peccato originali semper immunem, & in instanti, quo eius sanctissima anima fuit creata, & corpori vnita, puram, Deoque amicam extitisse, euincere conabimur.

CAPVT I.

B. Virginem non contraxisse peccatum originale, ex Scriptura probatur.

2. Conclusio probatur ex Genesi. PRæter testimonia Scripturæ supra disput. 10. cap. 2. & 3. discussa sunt alia, quæ causam in-

innocentiæ Marianæ valde promouent. Primum sint illa verba Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*; à Deo contra diabolum pronuntiata. Sanè mulierem, quæ caput serpentis dicitur contritura, fuisse Beatam Virginem nobiles Interpretes, & Theologi significant. Ita Viegas in cap. 12. Apocal. comment. 3. sect. 3. & 4. Becanus 1. 2. tract. 2. cap. 9. q. 10. numero 5. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tractatu 1. disputa. 3. numero 67. qui citat Lipomannum, Salazar de Concept. cap. 19. numero 8. Perlin. in Apolog. pro magna Matre dist. 5. capite 1. Cornelius ad prædicta verba, & multi alij. Idem tradiderunt Patres veteres, vt ex citatis Doctoribus adnotarunt aliqui: accipe modò vnum vel alterum. S. enim Cyprianus, teste Salazar de Conceptione capite 19. numero 8. sic illa commentatur: *Inimicitas ponam inter te, non dicit, pono, ne ad Euam pertinere videretur; sed ponam, id est, suscitabo mulierem, quæ, repudiata facilitate credendi, non solùm te non audiat; sed ab ipso etiam Gabriele deferente Verbum, rationem de promissorum exigat nouitate.* Et Sanctus Epiphanius libro 3. aduersus hæreses: *Nusquam autem reperitur semen solius mulieris, nisi in Maria; proinde non potest totum in Eua impleri.* Ex quo infero Beatam Virginem à peccato immunem fuisse: alioquin si ea illud incurrisset, non contritura caput serpentis, sed ab eo conterenda diceretur. Vnde Dionysius Carthus. in 3. distin. 3. q. 1. in fine, sic ex præfato loco concludit: *Horremus mulierem, quæ caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam fuisse Matrem Domini fateri.*

Viegas. Becanus. Granados. Salazar. Perlin. Cornelius. Cyprian. Epiphan. Carthus.

Secundò probatur ex illo Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quem locum non solùm Patres, sed ipsa Ecclesia Virgini adscribit: sapientissimus enim Idiota libro de Contemplat. Virgin. capite 2. sic ait: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis, non est in te, nec vnquam fuit, vel erit.* Et Ecclesia in quadam antiphona officij de Conceptio. compositi à Leonardo de Nogaroli Clerico Veronensi, & approbati à Sixto 4. auctoritate Apostolicâ, *Statuimus* (sic habet) *Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te.* Vbi iuxta regulam Sancti Bernardi sermone 3. de Natiuitat. Virg. (si suppositititius non est) nomen illud *Maria*, & verba illa, *macula*

3. *Idem ex libro Cantiorum suadetur.* Nogarol. Sixtus IV. Bern.

la originalis sacris vocibus interposita, illarum sensum declarant. Accedit Sancta Birgitta, quæ libro 5. Reuelat. 13. prædicto loco immunitatem Marianam ob omni peccato significari, fuisse diuinitus sibi reuelatum asseuerat.

4. *Obiectioni occurritur.* Vasquez.

Scio aduersarios respondisse, sensum præfatum esse mysticum, & ideo inutilem ad dogma comprobandum. Verùm prædicta solutio facilè euanescit. Quippe licèt argumentum sumptum ex sensu mystico Scripturæ sit infirmum; id tamen euenit, quando ignoramus, an ille sensus mysticus fuerit à Spiritu Sancto intentus: quapropter si nobis constiterit Spiritum Sanctum illum sensum mysticum intendisse; inde argumentum efficax ad dogmatis comprobationem deduci potest, vt bene Vasquez 1. p. disput. 17. cap. 5. obseruauit; siquidem Spiritus Sanctus sensum falsum, quamtumuis mysticum, intendere nequit. Cæterùm ex quadruplici capite possumus agnoscere, an Spiritus Sanctus aliquem sensum mysticum voluerit significare; nempe ex Scriptoribus canonicis, vel ex communi Patrum consensu, vel Ecclesiæ interpretatione, vel ex reuelatione facta particularibus Sanctis. Enimuerò quamuis nullus Scriptor canonicus prædicta verba Canticorum, Beatæ Virgini attribuerit, attamen B. Birgitta hunc sensum fuisse ab Spiritu Sancto intentum in prædicto loco, sibi reuelatum innuit. Insuper non solùm Patres communi calculo præfata verba Beatæ Mariæ, vel Ecclesiæ adscribunt; sed etiam ipsa Ecclesia de immaculatæ Virginis conceptione loco citato interpretatur. Præterea argumentum Canticorum iuxta sensum litteralem esse amorem, & verba reciproca Christi ad Ecclesiam, vt interpretes communiter fatentur; etiam illi, qui sponsum Salomonem, & filiam Pharaonis, vel aliam sponsam, scopum prædicti libri esse autumant; vt videri potest in Sherlogo Antelo- Sherlog. quio 1. sect. 4. & 5. Quare illa verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, in sensu litterali saltem Ecclesiæ dicta esse oportet: vnde ea de aliqua persona humana debent verificari. Etenim cùm cæteri omnes præter Beatam Virginem, neque toti mundi fuerint, neque macula originali caruerint, vt præfatum encomium Ecclesiæ verè & absolutè, & sine aliqua restrictione conueniat, Beatam Virginem ab omni labe etiam originali præseruatam fuisse opus est.

5. *Eadem conclusio ex Luca adstruitur.*

Tertiò probatur ex illis verbis Gabrielis Archangeli, Lucæ 1. Lucas.

Aue gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ B. Virginem non solùm tempore Incarnationis, sed etiam reliquo tempore Incarnationem præcedenti, semper gratiâ plenam extitisse, denotant. Vnde Concilium Claremontanum præfata verba Archangeli de tempore retroacto etiam intelligens, definiuit, B. Mariam neque mortale, neque habituale peccatum vnquam commisisse, ne vnquam aliquod tempus, in quo B. Virgo fuisset gratiæ vacua designaretur. Quapropter optimè Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 5. numero 68. ex hoc loco infert B. Virginem peccatum originale non incurrisse, ne aliquod tempus, nempe instans primum sui esse, diceretur, in quo ipsa non gratiâ plena, sed vacua diceretur. Prædictam expositionem esse germanam, vt ab Archangelo intentam, constat ex Sancto Thesipho. Thesiphone Martyre, S. Iacobi discipulo, qui, vt habetur in libro illius reperto in monte sancto Granatensi, sic scripsit: *Nequaquam Angelus Virgini diceret, gratiâ plena, si in originali peccato concepta fuisset.* Idem innuit Sapientissimus Idiota in hunc locum, vbi explicans illud *Inuenisti gratiam apud Deum*, annectit: *Inuenisti Maria gratiam cœlestem, quia fuerunt in te ab originali labe præseruatio, Spiritus Sancti superuentio, & filij Dei conceptio.*

Concil. Clarem.

Granados.

Thesipho.

Idiota.

Alia loca Scripturæ in fauorem piæ opinionis adducunt Granados, Salmeron, & Suarius suprà, quæ cum hactenus expensis coniuncta, nostram opinionem verisimiliorem reddunt. Sed illis prætermissis, solùm addam alium locum Scripturæ, qui adiunctis Patrum testimonijs, nostram opinionem mirificè promouet, nempe illud Matth. 1. *De quâ natus est Iesus, qui vocatur Christus*, in quo B. Virginem veram Dei Matrem fuisse significatur. Enimuero Patres communi consensu dignitatem prædictam ita extollunt, vt ex ea Deiparam iam Virginem, iam pulchram corpore, iam immunem à peccato etiam veniali deducant (vt videbimus infrà cap. 8.) nempe quia eo ipso quod ea in sacro textu Mater Dei declaratur, eam Virginem, pulchram, sine fomite peccati, puram & liberam ab omni peccato etiam veniali, innuitur. Cùm autem peccatum originale turpius sit, & fœminam Deum parituram magis deceat; ideo sicut prædictæ prærogatiuæ in loco Scripturæ citato virtualiter includuntur; ita immunitatem eiusdem ab originali, in eo denotari necesse est; vt loco citato ampliùs confirmabimus: vbi respondebimus solutioni, quæ huic discursui adhiberi potest.

6. *Idem confirmatur ex Matthæo.* Granados. Salmeron. Suarez. S. Matth.

CA-

CAPVT. II.

Eadem pia opinio auctoritate Patrum promouetur, & amplius roboratur.

7. TEstimonia Patrum ad duas classes referuntur: alia est Patrum, qui B. Virginem puram, & omnis culpæ expertem deprædicant; & alia eorum, qui expressè Dei Genitricem à delicto originali excipiunt; & vtraque testimonia breuiter recensebo; quia Salazar de Concept. cap. 31. Granados de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 7. Vasquez in 3. p. disput. 117. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. ea ad longum referunt, & optimè expendunt.

Salazar. Granados. Vasquez. Suarez.

8. *Pia opinio ex Patribus stabilitur.* Proclus. Sophron. Synod. VI. Bonifa. August.

Primò ergo Patres B. Virginem puram & omnino immaculatam absolutè vocitarunt. Proclus in Concilio Ephesino, quod fuit secundum generale, *Impollutum & purum virginitatis thesaurum* nominat. Sophronius in epistola ad Sergium in 6. Synodo, immunem & liberam appellat, & in 7. Synodo act. 6. *Irreprehensibilem & immaculatam* vocat. Franco-Ferdiensis in epistola ad Episcopos Hispaniæ, *Omnis maculæ expertem & prorsus puram.* Bonifacius 9. constitutione 2. *Vas cœlestis gratiæ plenum, atque mundissimum.* S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 36. *Excepta semper Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccato agitur, habere volumus mentionem; quia perfectè vicit peccatum.* S. Chrysostomus tom. 5. in sua liturgia: *Semper beatissimam, & nunquam maculatâ nominat.* Athanas. to. 3. serm. de S. Maria: *Abundantem in omni gratiâ.* Cyprianus: *Immunem à communibus iniurijs.* Epiphanius serm. de laudibus Mariæ: *Puriorem ipsis Cherubim, atque omni exercitu Angelorum.* Ambrosius in Psalm. 118. *Integram ab omni peccati labe.* Hieronymus in Psam. 77. *Nubem semper in luce, & nunquam in tenebris*, & idem Sanctus Doctor vt refertur in Breuiario Hispalensi, in festo Conceptionis, lect. 1. secundæ diei: *Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit*, & in serm. eius S. Doctoris, qui recitatur in secundo nocturno Officij Fratum Minorum, approbato pro illis & monialibus, in honorem immaculatæ Conceptionis à Pio quinto 25. Maij anno 1569. *Erat enim candidata Maria multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior; & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Thaumaturgus in expos. salutat. Angelicæ: *Impollutam corpore, & spiritu* appellat. Petrus Damianus serm. 3. de Natiuit. Virg. *Nullum patientem defectum iustitiæ, sanctitatis, aut perfectionis.* Chrysologus serm. de

Chrys. Athanas. Cyprian. Ambros. Hieronym. Breuiar.

Annunt. *Habentem omnem gratiæ plenitudinem.* Quæ omnia, & alia similia testimonia, quæ euoluenti Sanctos Patres passim obuia sunt, satis apertè innuunt Beatam Virginem semper puram, & nulla macula actuali, vel originali vnquam inquinatam fuisse. Quippe si iuxta regulam communem (quam varijs exemplis probat Alexander Raudi in tract. de Analogis) quando verba sunt æquiuoca, &, attento contextu, duplicis sensus æquè capacia, in significatione excellentiori & honorabiliori accipiuntur; profectò encomia prædicta Patrum, quæ non solùm sunt indifferentia ad insinuandam immunitatem à peccato actuali, vel originali; sed etiam in significationem Virgini honorabiliorem, magis propendent, ea sic vsurpari debere, pietas erga Dei Genitricem, & ratio suadet.

Raudi.

9. *Alia Patrũ testimonia.*

Testimonia secundæ classis ad piam opinionem adstruendam magis vrgent; siquidem Patres B. Virginem sine labe vlla conceptam fuisse aiunt. Cyrillus Alexandrinus libro 6. in Ioannem, capite 15. *Omnes homines exceptis Christo, & Virgine, cum peccato originali nascimur.* Vbi Cyrillus non de natiuitate Virginis ex ventre, sed de natiuitate in ventre Annæ seu conceptione locutus fuit; alioquin turpiter erraret; siquidem saltem Ioannem Baptistam ex ventre suæ matris sanctum prodiisse, omnes supponunt. Proclus homil. de Natiuit. *Quam sine vlla labe Deus formauerat.* Hesychius homil. 2. de sex Virg. *Hæc gloria luti nostri, quæ Euam pudore, Adamum commination liberauit, audaciam draconis contriuit.* Basilius Seleuciæ Orat. de Incarnat. Verbi: *Hæc illa, de qua qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, numquam à veritatis scopo aberrauit.* Damascenus homil. 2. parum à principio: *Quam à peccati labe puram seruasti*, insuper idem S. Damascenus Orat. de Natiuit. Virg. *Natura gratia fœtum anteuertere minimè ausa est; sed paulisper expectauit, dum gratia suum fœtum produxisset.* S. Maximus sermone de Assumpt: *Operante diuina prouidentia ex radice vitiata sine vitio prodijt virga, quæ est Virgo Maria.* Anselmus libro de Conceptu Virg. cap. 18. *Decebat vt illius hominis conceptio, de matre purissima fieret, nempe decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* & idem Anselmus, vt refertur in Breuiario diœcesis Hispalensis, in tertia die infrà octauam Conceptionis: *Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit; illud propagantium, non propagata fuit.* & in officio Conceptionis ordinato à Nogarolo, & approbato à Sixto quarto, nempe in lectione prima sexti diei octauæ Conceptionis, sequentia D. Anselmi verba referuntur: *Te igitur Domina minimè credere queo, te morte peccati in tuo conceptu potuisse prægrauari: considerare animus hoc vetat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.* Alia testimonia similia adducunt, & expendunt Granados, Salazar, Vasquez, Suarius suprà; sed dicta sufficiant, solùm addam illa verba perspicua Sancti Idelfonsi, libro de purit. Virgin. tom. 8. Bibliot. vet. Pat. *Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse.* Præfatis Sanctis clarissimè subscripserunt noster Sanctus Pater Ignatius, Sanctus Franciscus Xauerius, dum accipientes gradum magistri Parisijs, iuxta morem illius Vniuersitatis, se purissimam Cõceptionem Marianam defensuros iurarunt.

Cyril. Alexandr. — Hesychius. — Basilius. — S. Damasc. — Max'm. — Ansel.

Granados. Salazar. Vasquez. — Idelfondus.

10. *Traditio fauet,*

His robur addit traditio perpetua huius mysterij ab exordio Ecclesiæ vsque in hodiernum diem perseuerans. Vnde in omnibus sæculis præteritis fuerunt aliquot insignes viri, per quorum manus ea in nostrum sæculum deriuata est, vt bene probant Salazar de Concept. capite 42. & Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disputatio. 3. sectione 16. Confirmatur; nam vt infrà numero 48. ex probatis auctoribus ostendemus, à tempore Apostolorum in Hispania, Armenia, & nonnullis alijs pro-

Salazar Granados.

uincijs festiuitas Conceptionis Marianæ colebatur. Hanc in Græcia viguisse ante mille annos, bene ostendit noster Spinelus de B. Virgine tract. de festis, ac templis eiusdem; & eundem morem fuisse in Hispania constat tum ex Iuliano Petro relato numero 46. tum ex Loaisa in annotationibus ad Concilium quartum Toletanum, vbi refert D Isidorum iussu præfati Concilij reformasse officium diuinum, & illud ad vetustiorem formam redegisse, in quo festiuitatis huius mentionem fieri, certum est. Denique Spinelus suprà ait in Anglia Sanctum Anselmum Cantuariensem prædictum festum ob quasdam reuelationes supernas promouisse; cui consonat Glossa satis antiqua ad verbum: *Natiuitas* dist. 3. de consecrat. capite 1. vbi habetur festum Conceptionis in multis regionibus, præcipuè in Anglia, celebrari; quæ omnia ab Apostolis vsque in hodiernum diem de puritate omnimoda Mariana fuisse traditionem persuadent.

Iulianus. Loaiza. — Isidorus. — Glossa.

CAPVT III.

Immunitas B. Virginis à culpa originali, ex festiuitate Ecclesiastica eiusdē Conceptionis immaculatæ ostenditur.

11. QVoniam argumentum desumptum ex festiuitate Conceptionis Thomistæ eneruare procurant, illud fusiùs expendere placuit. Et vt clarè procedam, hoc caput, vtpote satis longum, in varios paragraphos diuidemus.

§. I.

Præmissis duobus notabilibus, argumentum pro immaculata Conceptione efformatur.

12. *Obiectum cultus exhibiti ab Ecclesia sanctum est.*

LIcèt, ad hoc, vt cultus exhibitus alicui à persona particulari, sit licitus, & religiosus, sufficiat quòd obiectum illius prudenter sanctum existimetur; quamuis illud à parte rei sanctū non existat (& ideo meritoriè adoramus hanc numero hostiā, quam consecratam prudenter existimamus, etiamsi, ob malitiam ministri, vel alium defectum, consecrata non fuerit.) Nihilominus cultus exhibitus alicui, nomine Ecclesiæ, circa rem verè, & à parte rei sanctam, versari debet. Hoc enim priuilegium Christus suæ Ecclesiæ concessit, nempe ne possit aliquid adorandum proponere fidelibus, quod verè, & à parte rei sanctum non fuerit; & quòd non possit petere, seu orationem fundere pro re falsa: vnde vt constat ex illo celebri dicto Cælestini Papæ : *Legem credendi statuit lex supplicandi*: preces, & orationes Ecclesiæ dogmatum argumentum irrefragabile sæpe sunt. Ob hanc causam Augustinus lib. de Bono perseuerant. cap. 22. & 23. & passim alibi, ex orationibus Ecclesiæ, peccatum originale in paruulis, Purgatorium, adiutorium diuinæ gratiæ, & alia dogmata deducit: *Non oraret Ecclesia* ait Augustinus, *vt daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet, & auersas hominum ad se conuerteret voluntates.* Eidem innixi fundamento Theologi, vno ore fatentur canonizatos, imò & beatificatos, esse verè sanctos; nempe, quia Ecclesia eis cultus sacros exhibet, & eos fidelibus venerandos proponit. Denique S. Idelfonsus lib. de Virginit. & Purit. Mariæ. S. Bernardus epist. 175. ad Canonicos Lugdunenses. S. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. quos reliqui sequuntur; ex eo quòd Ecclesia natiuitatem Deiparæ colit, eam in ventre Annæ sanctam fuisse, firmissimè tenent: *Quia ortum Virginis*, ait Bernardus, *didici in Ecclesia, indubitanter haberi festiuum firmissimè cum Ecclesia sentio in vtero accepisse, vt sancta prodiret.* Quæ sanè illationes & argumenta sanctorum, & Theologorum infirma fuissent, si obiectum cultus exhibiti nomine Ecclesiæ, verum re ipsa non esset.

Cælestin.

Augustin.

Idelfonsus.

Bern.

S. Thom.

13. *Ecclesia exhibet cultū B. Virgini primò concepta.*

Breuiario.

Secundò præmitto, Ecclesiam celebrare non solùm festum Natiuitatis, sed etiam Conceptionis B. Mariæ, vt constat ex Breuiario Romano, & vtramque absolutè sanctam appellare in octauo responsorio. Quod festum, vt maiori deuotione fidelium celebretur, Pontifices varias indulgentias impertiuerunt, & sub hoc titulo templa, confraternitates, religiones, & altaria erexerunt; & honorarunt. Insuper Ecclesia Conceptioni Deiparæ, seu illi, vt fuit animata in sua Conceptione, cultum sacrum exhibet; & ob eam tunc existentem, beneficium à Deo obtinere procurat, vt constat tum ex illa oratione approbata à Sixto quarto : *Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem*; tum ex alijs officijs auctoritate Apostolica munitis, & concessis pro Seraphica religione; & aliquibus episcopatibus, vbi ea immaculata, & omnis labis expers nuncupatur. Neque iam audiendi sunt aliqui asserentes, Ecclesiam modò festum Conceptionis non positiuè instituisse, sed solùm toleraſſe, aut permisisse : nam hæc responsio tempore S. Thomæ 3. p q. 27. art. 2. probabilis fuit; at post Sixtum 4. tolerari non debet; nam præfatus Pontifex testatur in sua Extrauaganti approbata à Concilio Tridentino, sess. 5. cap. de peccato originali, Ecclesiam ordinasse officium de Conceptione. Insuper Pontifices hoc festum celebrantibus indulgentias concesserunt, & varia officia pro aliquibus religionibus, & diœcesibus liberè composuerunt, seu approbarunt : quod totum non permissionem, aut solam tolerantiam, sed magnum desiderium Ecclesiæ, vt Virginis Conceptio colatur, arguit. Accedit Pius quintus, qui in bulla præfixa Breuiario Romano, præcepit, vt omnia festa in illo contenta celebrentur, (quod etiam Clemens Octauus, & Vrbanus pariter Octauus determinarunt) cùm autem inter festa posita in præfato Breuiario, sit festiuitas Conceptionis, hæc etiam, sicut aliæ festiuitates, coli debet ex præcepto, & non tantùm ex sola permissione.

Sixtus IV.

S. Thom.

Trident.

Pius V.

Cle. VIII.

Vrb. VIII.

14. *Argumentum formatur.*

Ex hactenus dictis in hoc capite communiter Theologi satis neruosè deducunt, B. Virginem omnis labis originalis expertem fuisse; eamque in primo instanti suæ conceptionis animatam, sanctam, Deoque gratam extitisse: alioquin Ecclesia, neque Conceptionem Deiparæ celebrasset, neque eam, absolutè sanctam in octauo responsorio ceciniſſet: neque

que in officijs particularibus, à se editis, pro Seraphicâ religione, & aliquibus diœcesibus, eam omnis labis expertem, perspicuis verbis asseruisset : neque in eisdem ob Conceptionem immaculatam, seu ob B. Virginem, vt erat in primo instanti sui esse ; beneficia à Deo postularet : nam, vt vidimus suprà n. 12. orationes fusæ nomine Ecclesiæ, & cultus ab ea, alicui exhibitus, est efficax argumentum veritatis rei petitæ, & sanctitatis cultæ. Quapropter cùm videamus Ecclesiam colere Conceptionem Marianam, & preces ad eam fundere; ceu ea, vt erat in primo instanti sui esse, Deo proposita ab illo beneficia exposceret; eam tunc temporis fuisse sanctam fateri oportet; aliter argumentum Patrum, vnde dogma deducunt, infirmum & cultus, & preces Ecclesiæ superstitiosiæ essent : quod nemo benè Catholicus admittere audebit. Confirmatur : S. Ildefonsus, S. Bernardus, S. Thomas relati suprà n. 12. & omnes Theologi vnanimi consensu pronunciant, B. Virginem, ex ventre S. Annæ sanctam prodijsse, quia Ecclesia eius colit natiuitatem; sed eius quoq; Conceptionem colit Ecclesia; ergo Conceptio Deiparæ fuit sancta, & penitus immaculata : nam si consequentia, quæ semel est bona, semper est bona (vt dialectici clamant) & Patres ex natiuitate Dei genitricis celebrata ab Ecclesia, eam sanctam, & immunem ab omni peccato esse, bene inferunt : etiam nos, ex eo quòd Ecclesia celebret Conceptionem animatam Deiparæ, eam tunc fuisse puram ab omni labe, & Deo gratam, bene deducimus.

§. II.

Nonnullæ solutiones antiquorum Thomistarum referuntur, & impugnantur.

HOc argumentum patronos minùs piæ opinionis vexat, & in varias solutiones distrahit; quas latè refert, & vt probabiles sequitur Magister Grauina 2. p. tomi quar. q. 6. art. 3. & missa solutione suprà n. 13. adhibita, & impugnata; reliquas omnes ad duo capita reduco. Primò aliqui respondent : Ecclesiam non celebrare festum Conceptionis, prout Conceptio significat B. Virginē in primo instanti sui esse, fuisse sanctificatam : sed quatenus denotat eius sanctificationem deinceps factam : nam cùm tempus, in quo fuit sanctificata, ignoretur; ideo præfata sanctificatio sub nomine Conceptionis celebratur. Ita S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. ad 3. Bonauent. in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. & multi Thomistæ; quibus adiungo pauculos, qui per Conceptionem celebratam ab

15. *Prima responsio.*

Grauina.

S. Thomas.

Bonaven.

ab Ecclesia, non instans metaphysicum, & rigorosum, in quo anima Deiparæ fuit creata, & eius corpori vnita; sed spatium breue temporis intelligunt, in quo Dei genitrix à peccato, quod contraxerat, fuit emundata : quod tempus, cùm breuissimum fuerit, ideo in illo B. Virgo Concepta nuncupatur; siquidem, vt ait Payua lib. 2. de Script. & traditionibus : ex dignitate, & grauitate Ecclesiæ, non est, se immiscere in instantibus metaphysicis definiendis. Eandem solutionem re ipsa, & quoad substantiam, amplectuntur alij Thomistæ, qui autumant, Ecclesiam non celebrare Conceptionem carnalem Deiparæ, sed spiritualem, nempe sanctificationem in ventre B. Annæ peractam; siquidem omnes hi Doctores, licèt verbis differant, in eo conueniunt, quòd Ecclesia in festo Conceptionis non colit Deiparam, vt erat in primo instanti metaphysico suæ existentiæ, sed prout fuit paulò post.

16 *Dispulsio.*

Hæc solutio quomodocumque explicata, à nonnullis, post Sixtum quartum improbabilis iudicatur : nam eam præfatus Pontifex in quadā Extrauaganti, relata ab Emanuele Rodriguez, & à Ioanne Baptista Confectio, libro qui inscribitur Collectio priuilegiorum Sacrorum Ordinum, & habetur in lib. qui scribitur : Monumenta ordinis Minorum : vt falsam, & erroneam reijcere videtur. Verùm quia prædicta bulla authenticè non extat, à censura abstineo : & prædictam responsionem à mente Ecclesiæ deuiare probare contēdam, ex Extrauaganti *Graue nimis* Sixti quarti, approbata à Tridentino, & inserta in corpore iuris : vbi Pontifex seriò affirmat, celebrari ab Ecclesia festum Conceptionis, in eo sensu acceptum, quem Concionatores, & Doctores aliqui Catholici, & religiosi, tunc temporis damnabant vt hæreticum, & grauiter peccaminosum, & ob hanc causam eos reprehendit. Sed Concionatores, & Doctores præfati non damnabant Conceptionem spiritualem Deiparæ; neque eius sanctificationem paulò post eius Conceptū secutam; sed solùm præseruationem Marianam ab omni labe, & eius sanctificationem factam in primo instanti metaphysico, & rigoroso suæ existentiæ, vt patet (siquidem Deiparam in ventre B. Annæ existentem, fuisse ante eius ortum sanctificatam, præcipuè à tempore Sixti quarti, & multis retro sæculis, adeo constans in Ecclesia fuit, vt Catholicorum nemo id negare tentarit) ergo festum Conceptionis, quod celebrat Ecclesia, non est Conceptio spiritualis, aut sanctificatio Deiparæ post eius primum Conceptum animatū subsecuta; sed Conceptio carnalis

Rodriguez. Confect.

Sixtus IV.

nalis seu naturalis B. Virginis in primo instanti metaphysico sui esse, sanctificatæ & à peccato præseruatæ. Consequentia est legitima. Minor est euidens. Maior constat ex bulla præfata Sixti quarti, prædictos Concionatores detonantes, esse peccatum mortale asserere B. Virginē absque peccato, & in gratia conceptam fuisse reprehendentes, ex eo quòd Romana Ecclesia celebrat festum Conceptionis. *Sanè* (verba refero) *cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrarit, & speciale, ac proprium officium, super hoc ordinauerit nonnulli, vt accepimus, diuersorum ordinum prædicatores, in suis sermonibus publicè, per diuersas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, omnes illos, qui tenent, & asserunt eandem gloriosissimam, & immaculatam Dei Genitricem, absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdem immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, &c.* Quæ quidem ratio prorsus infirma fuisset, si Romana Ecclesia non celebrasset festum Conceptionis, prout significat Deiparam ab omni labe immunem fuisse, & in primo instanti metaphysico suæ existentiæ, sanctificatam; siquidem quilibet ex illis concionatoribus, facilè respondisset: Ecclesiam non celebrare præseruationem B. Virginis à peccato, seu eius sanctificationem in primo instanti metaphysico sui esse; sed eius à peccato liberationem, & sanctificationem, paulò post conceptum secutam; & ideo, se damnantes opinionem piā, reprehensione pontificia indignos fuisse: siquidem neq; festo Conceptionis celebrato ab Ecclesia, neque officio ab ea ordinato, vllatenus contradicebant; sed potiùs eius mentem sequebantur, & propugnabant.

17. *Alia prædicta solutionis impugnatio.*

Secundò probatur ex Gregorio 15. ille enim feria 3 die 23. mensis Maij, anno à Natiuitate Domini 1622. in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, decretum edidit, in quo duo sanciuntur, aliud ne opinio minùs pia publicè, aut secretè dicatur, seu ne externè proferatur: aliud ne in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis publicè, aut priuatim, in locum nominis Conceptionis, Sanctificatio, aut aliud nomen subrogetur; sed semper omnes tam sæculares, quàm regulares, in præfatis officijs, nomine Conceptionis vti debeant; & aliud agentes grauibus censuris subiacere voluit. Ex quo deduco, per festum Conceptionis celebratum ab Ecclesia, non intelligi Conceptionem solam spiritualem B. Virginis, aut eius sanctificationem, post primum instans metaphysicum sui esse subsecutam; sed eius Conceptionem carnalem, seu naturalem in primo instanti metaphysico suæ existentiæ præseruatam ab omni culpa, & sanctificatam: alioquin Ecclesia, sub grauibus censuris non prohibuisset subrogationem sanctitatis, aut alterius nominis, in locum Conceptionis; siquidem illud nomen magis ad mentem Ecclesiæ accederet; & æquiuocationem non introduceret, & aliunde graue peccatum, & dignum pœnis impositis non esse videtur; vti in officio priuatim dicto, vbi non est scandalum, aliquâ voce mentem Ecclesiæ magis significante.

Greg XV.

18. *Effugium præcluditur.* Grauina.

Neque satisfacies respondendo cum Grauina 2.p.tomi quarti q.6.art.3. Ecclesiam prohibuisse, ne in locum Conceptionis, nomen v. g. sanctificationis in officio diuino substitueretur, vt ante ab aliquibus fiebat; non quia prædicta substitutio menti Ecclesiæ colentis B. Virginis Conceptionem aduersatur; sed solùm, vt vniformitas in precibus fusis nomine Ecclesiæ, & officio diuino seruaretur; & scandala, & contentiones inter Catholicos euitarentur: hoc, inquam, non obstat, tum quia Pontifex præfatam subrogationem, etiam priuatim factam, sub grauibus pœnis prohibuit, quod innuit, eam menti Ecclesiæ, festum Conceptionis celebranti, aduersari: alioquin, vt nuper dicebam, priuata subrogatio, grauibus pœnis non puniretur; tum quia, si præfatum præceptum ad solùm recitantes officium Romanum restringeretur, præfata responsio forsan persuaderetur: tamen, cùm prædictum mandatum extendatur ad omnes Christi fideles, etiam ad illos, qui secretè aliud officium diuinum distinctum à Romano recitant, & alias orationes nomine Ecclesiæ fundunt, & alijs vocabulis, & cerimonijs, tam in Missa, quàm in horis canonicis vtuntur; illud præfatæ explicationis capax non est, siquidem ex eo quòd Dominicanus, v.g. in Missa, aut officio priuatim, & absque testibus dicto, vteretur nomine Sanctificationis, neque scandalum, aut contentiones orirentur, vt liquet; neque aliquid nouum, & inusitatum faceret, cùm vteretur voce Sanctificationis, olim vsitata in prædicto festo, vt vult Grauina suprà §. *quod verò sub Conceptionis titulo*; & aliunde, quòd Dominicani nonnullis alijs vocabulis, & cerimonijs, ac sunt in missali, & Breuiario Romano, vtantur, apud illos, in more receptissimo, & approbato ab Ecclesia, est.

19. *Alia impugnatio prædicta solutionis.* Pius V.

Præterea responsiones relatæ impugnantur. Nam Pius quintus officium de Conceptione, quod antiquitus recitabatur, correxit; & idem, ac dicitur in festo Natiui-

tiui-

tiuitatis Marianæ, ſubrogato nomine *Conceptionis* in locum *Natiuitatis*, eſſe voluit;& ideo, ſicut in feſto Natiuitatis, Natiuitas B. Virginis colitur ; eaque ſancta nominatur ; ita in feſto Conceptionis Deiparæ, eius Conceptio celebratur,& ſancta vocatur; ſed verba, quibus vtitur Eccleſia in feſto Natiuitatis, denotant celebrari, non natiuitatem ſpiritualem B. Virginis, aut eius ſanctificationem, poſt eius ortum ex ventre B. Annæ ſubſecutam ; ſed Natiuitatem carnalem ſanctam; ergo eadem verba applicata Conceptioni, etiam ſignificabunt Eccleſiam celebrare Conceptionem carnalem Dei genitricis. Abſurdum enim videtur, eadem verba Conceptioni, & Natiuitati applicata, in diuerſiſſimo ſenſu vſurpare : & aſſerere, eadem applicata Natiuitati, denotare natiuitatem carnalem eſſe ſanctam ; & applicata Conceptioni, ſolùm ſignificare Conceptionem, non carnalem, ſed ſpiritualem ſubſecutam. quod auctoritate D. Anſelmi amplius roboratur : ille enim in epiſt. de hac re, ait : *Sicut in Eccleſia Natiuitas eius colitur, ſic debet etiam coli Conceptio.*

Anſel.

20. *Iterum reiicitur dicta ſolutio.*

Denique licèt præfatæ ſolutiones feſto Conceptionis vniuerſaliter celebrato ab Eccleſia, adhiberi poſſent ; at illæ feſto Conceptionis celebrato ab aliquibus religionibus, & diœceſibus, non bene aptantur ; vt tandem Grauina art. 3. citato, admittere videtur. Nam in officio Nogaroli approbato à Sixto quarto, & nonnullis alijs, auctoritate Eccleſiæ præmunitis ; expreſsè continetur Deiparam fuiſſe præſeruatam à peccato originali, & nunquam maculatam extitiſſe : vnde argumentum ex cultu exhibito B. Virgini, prout erat in primo inſtanti metaphyſico ſui eſſe, deſumptum, vires retinet.

Nogarol.

Neque audiendi ſunt nonnulli Theologi, qui auctoritatem prædictorum officiorum imminuere procurant ; ex eo quòd ea non ſunt propoſita toti Eccleſiæ, ſed particularibus communitatibus, aut diœceſibus : nam Pontifex non ſolùm in obiecto cultus, propoſito toti Eccleſiæ ; ſed etiam in eodem propoſito vni, vel alteri Prouinciæ, aut diœceſi errare nequit, vt bene Granados controu. 1. de fide tract. 7. diſp. 4. n. 21. Paloa tom. 1. tract. 4. diſput. 1. puncto 5. §. 3. Bannez 2.2.q.1.art. 10.dub 6. concluſ. 4. vnde meritò S. Thomas 2.2. q.83.art.1. ad 1.ait : *Quod etiam diuerſæ conſuetudines Eccleſiæ* (nempe approbatæ ab ipſis ſummis Pontificibus) *in cultu diuino, in nullo veritati repugnant*: vnde cùm Pontifices auctoritate Apoſtolica approbauerint aliquot officia de Conceptione immaculata, & ab omni peccato præſeruata; facultatem-

11. *Euaſioni occurritur.*

Granados.

Palao.

Bannez.

S. Thom.

tatemque conceſſerint aliquibus communitatibus, & diœceſibus, vt ea recitent, & Beatam Virginem, vt præſeruatam, colant; eos in ijs decretis erraſſe, dici nefas eſt. Confirmatur : licèt ſanctus beatificatus non toti Eccleſiæ, ſed particulari prouinciæ venerandus proponatur ; nihilominus in beatificatione errare Pontificem, nemo, ſaltem ſine temeritate, effutiet, vt bene Turrianus de fide diſp. 17. dub. 6. Palao tom. 1. tract. 4. diſput. 1. puncto 3. §. 5. Granados de fide con. 1. tract. 7. diſput. 4. ſect. 3. ergo etiam reijciendi ſunt, qui aſſererent, Sixtum quartum, Innocentium Octauum, Alexandum ſextum, Iulium ſecundum, Leonem decimũ, & nonnullos alios ſummos Pontifices approbantes pro varijs communitatibus, & diœceſibus officium immaculatæ, & præſeruatæ Conceptionis Marianæ ab omni labe, à veritate aberraſſe, & de facto propoſuiſſe particularibus communitatibus adorandam B. Virginem, dum erat Deo inimica, & diaboli captiua.

Turrian. Palao.

Granados.

22. *Obiectioni fit ſatis.* Grauina.

Obijcit Grauina 2. p. tomi quarti q. 6. art. 3. non eſſe de maieſtate Eccleſiæ, attendere ad inſtantia metaphyſica, in quibus aliquid accidit ; ſed ad euentum ipſum, vt ait Payua lib. 2 de Script. & tradit. vnde in hoc feſto ſolùm intendere declarare, quòd B. Virgo fuerit ſanctificata in ventre S. Annæ ; quòd autem hoc contigerit in hoc, vel illo inſtanti, non curare. Fateor, quando ad veritatem feſti celebrati non conducunt inſtantia metaphyſica, Eccleſiam in eis non ſe immiſcere : attamen, quando illorum inueſtigatio, ad præfatum effectum requiruntur, illa deſignare ſolet, eo modo, quo deſignabilia ſunt ; vt accidit in feſto Incarnationis Chriſti Domini, in quo Eccleſia colit Chriſtum Dominum ſanctum, & Deum ab initio ſuæ temporalis Conceptionis ; ita cùm ad veritatem Conceptionis immaculatæ Marianæ, opus ſit, vt ipſa in primo inſtanti metaphyſico ſuæ exiſtentiæ fuerit ſanctificata, vt bene Bernardus epiſt. 175. idcirco Eccleſia celebrans præfatum feſtum, de inſtanti metaphyſico Conceptionis Deiparæ ſolicita eſt.

Payua.

Bernardus.

§. III.

Alia ſolutio antiquorum, & recentiorum Thomiſtarum explodituꝛ.

23. *Solutio aliquorum ad argumentũ ex cultu deſumptũ.*

SEcundò nonnulli alij Thomiſtæ reſpondent argumento formato ſuprà n. 14. in feſto Cõceptionis celebrari Conceptionẽ carnalem Virginis factam in primo inſtanti metaphyſico ſui eſſe ; non quia tunc fuiſſet ſancta, ſed quia fuit miraculoſa, & toti mundo vtiliſſima, vtpote

puellæ Deum ipsum parituræ; vnde subiungunt hoc festum esse gratiarum actionis, quale est, teste Suario to. 1. de religione lib. 2. cap. 11. n. 6 festum Exaltationis sanctę crucis, vniculorum Petri, victoriæ naualis habitæ contra Turcas, tempore Pij quinti & similium. Vnde, sicut in his solùm Deus adoratur, eique gratias agimus, ob victoriam, vel ob beneficium collatum, etiam si nulla sanctitas creata interueniat; ita, quia Conceptio Deiparæ fuit miraculosa, & initium Redemptionis; idcirco Ecclesia hoc festum, in gratiarum actionem instituit, & in eo Deum, vt largitorem tanti beneficij, & Virginem, vt eius matrem colit, & veneratur. Ita Petrus Aureolus Cardinalis in 3. distin. 3. Capreolus ibidem q. vnica, art. 3. ad 7. Bonauentura in 2. dist. 3. q 1. Bandelus in suo Tractu de Concept. sect. 1. p. 2. ad 10. rationem; & sequuntur hoc tempore multi alij Thomistæ, eamque dicunt fuisse doctrinam nostri Cardinalis Bellarmini libro 3. de cultu Sanct. capite 16.

Suarez. Aureol. Capreol. Bonauen. Bellarm.

24. *Impugnatur.*

Hæc quoque solutio meritò à nostris Theologis refutatur; tum quia Ecclesia, vt diximus suprà n. 16. celebrat hoc festum acceptum in eo sensu, quem aliqui concionatores catholici damnabant vt hæreticum, & peccaminosum; sed agere gratias Deo ob miraculosam Conceptionem Marianam, etiam si B. Virgo tunc fuisset peccato originali innodata; non est hæresis, aut peccatum, vt liquet; ergo &c. tum quia Ecclesia absolutè Conceptionem sanctam appellat, sicut & Natiuitatem, & eodem modo, seu eisdem vocabulis vtrumque festum colit, vt suprà n. 19. dicebam; sed in festo Natiuitatis colit Virginem, vt tunc sanctam; ergo idem facit in festo Conceptionis: tum quia licèt prædicta explicatio conueniret festo Conceptionis vniuersaliter celebrato ab Ecclesia, cum festo celebrato à particularibus communitatibus non consentit, vt suprà n. 20. arguebam; siquidem in officio illis à sede Apostolica concesso, expresse Conceptio immaculata, & omnis labis expers, nuncupatur.

Præterea impugnatur prædicta solutio: nam licèt Ecclesia Romana aliqua festa in gratiarum actionem alicuius miraculi, aut beneficij instituerit, vt bene Suarius suprà; tamen nunquam consueuit ingressum alicuius hominis in mundum, aut eius è mundo egressum celebrare, nisi talis homo in ingressu, aut egressu sanctus fuerit; vt inductione aliorum festorum constat. Quod tradidit S. Bonauentura in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. sub dub. 3. ad 4. dum ait: *Statuta vniuersalis Ecclesiæ de San-*

25. *Alia dilutio.*

Suarez.

Bonauen.

Sanctorum celebritatibus, omnia fundata sunt supra sanctitatem, vt nullo die pro aliquo Sanctorum solemnizet, in quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur. Idem supponit S. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. in argumento, Sed contra, sic asserit: *Ecclesia celebrat natiuitatem B. Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto.* Eodem colore tinctus Bernardus epist. 175. ad Canonicos Lugdunenses, sic scripsit: *Virgo Maria nascens festiuis laudibus non honoraretur, si non sancta nasceretur.* nempe quia Ecclesia Romana ingressum in mundum alicuius personæ celebrare non solet, nisi ea tunc sancta fuerit. Idem tradidit S. Ildefonsus lib. de Virginit. & purit. B. Mariæ, quæ doctrina desumpta est ex Augustino epist. 113. vbi sic fatur: *Ideo Ecclesia obitus, non natales sanctorum celebrat, quia obitus sunt sancti, non natales:* & ratio forsan est, ne rudes videntes Ecclesiam celebrare natiuitatem v. g. S. Pauli, aut alterius Apostoli, illos tunc sanctos fuisse arbitrarentur, sicut fuit S. Ioannes Baptista, aut B. Virgo, quod inconueniens in festo Vinculorum B. Petri, Exaltionis S. Crucis victoriæ reportatæ à Turcis, & & similium non reperitur; cùm ibi absit omnis æquiuocatio, & ipsum festum præseferat in illo non sanctitatem, sed miraculum, & beneficium inde in Ecclesiam deriuatum, celebrari. Confirmatur: nam si Conceptio carnalis B. Virginis celebratur ab Ecclesia, solùm quia fuit miraculosa, & nobis vtilis; etiam non solùm Conceptioni multorum Sanctorum insignium; sed etiam Ario insigni hæresiarchæ, festum institui posset; cùm multi Sancti miraculosè fuerint concepti; & Arius miraculosè crepuerit; & tam ingressus illorum in mundum, quàm egressus illius è mundo, Ecclesiæ vtilis fuerit. Denique impugnatur prædicta solutio ex eo quòd omni fundamento sit destituta, vt constabit ex responsione ad argumenta.

S. Thom. Bern. Ildefon. Augustt.

26. *Obiectio proponitur.* Sixtus IV.

Obijciunt primò Extrauagantem Sixti quarti, vbi ait, festum Conceptionis esse institutum: *Vt de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione, gratias & laudes referant*, nempe fideles, *& instituta, propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia diuina officia dicant* (vbi adnotat Grauina suprà, consultò Pontificem non adiectiuum *immaculatum*, sed *mirum*, cum Conceptione coniunxisse; vt hanc non immaculatam, sed miraculosam denotaret.) Idem colligitur ex Concilio Cantuariensi prouinciali, celebrato anno 1326. & D. Ansel. lib. 1. §. 5. & 6. in sermone de de Concept. quod etiam repetitur in officio, quod recensetur fuisse tempore D. Anselmi, vt ait

Grauina.

Ansel. Biuarius.

Grauina ſuprà §. 3. ex Biuario.

27. *Reſponſio ad obiectionem.*

Hoc argumentū, profectò infirmum eſt ad introducendum in Eccleſiam feſtum de ingreſſu in mundū alicuius tunc peccatoris & maculati contra conſuetudinē receptiſſimam Eccleſiæ, vt vidimus ſuprà n. 25. Quod eſſe inane ſuadet ſilentium Bernardi: ille enim epiſt. 175. omnem lapidem mouit, vt oſtendat Lugdunenſibus, malè ab illis nouiter inſtitutum feſtum Conceptionis Marianæ, quod, vt euincat, non ſolùm varijs rationibus probat B. Virginem non fuiſſe tunc temporis ſanctam; ſed etiam fundamentis, quibus Lugdunenſes præfatum feſtum propugnare poterant, ſatisfacit: & tamen de hac reſponſione, neque verbum ſcripſit, quod ſignum eſt feſtum Conceptionis celebratum tempore D. Anſelmi, non fuiſſe ſolùm gratiarum actionis, ſed etiam ſanctitatis tunc Beatæ Virgini collatæ; alioquin obuium fuiſſet Canonicis reſpondere: quid inculcas Bernarde B. Virginem in Conceptione non fuiſſe ſanctā? ſiquidem nos non colimus eius ſanctitatem, ſed Deo gratias agimus ob eius miraculoſam Conceptionem, quæ Verbum æternū erat paritura.

Bern.

28. Ad argumentum reſpondeo, Eccleſiam multoties, ita feſtum, in gratiarum actionem inſtituere, vt ſimul ſanctitatem alicui conceſſam colat, & veneretur, vt accidit in natiuitate B. Mariæ, vbi ita Eccleſia Virginem tunc ſanctam veneratur, vt pariter gratias Deo agat, quia nata fuit puella, quæ Chriſtum Deum erat paritura, vt conſtat non ſolùm ex locis Anſelmi citatis ſuprà à Grauina; ſed etiam ex reſponſorijs, & antiphonis præfati feſti, vbi Eccleſia expreſsè inuitat fideles, ad celebrandam Deiparæ natiuitatē; quia Dei mater futura erat. Idem accidit in conuerſione S. Pauli, natali Baptiſtæ, & alijs, in quibus feſtis Eccleſia eos ita colit, vt pariter gratias agat pro beneficio nobis conceſſo. Idem contigit in feſto Conceptionis B. Virginis; vnde ſicut, ex eo quod feſtū Natiuitatis Marianæ, ſit inſtitutum in gratiarum actionem natæ puellæ, quæ Dei genitrix futura erat; nemo dicet, illud feſtum eſſe ſolùm gratiarum actionem, & ita in eo non coli ſanctitatem Virginis natæ; ita nemo efficaciter inferet, non coli ſanctitatem Virginis, vt primò conceptæ, ex eo quòd feſtum præfatum ſit inſtitutum in gratiarum actionem; cùm vtraque ratio Eccleſias, mouerit ad introductionem huius feſtiuitatis, quod ſolùm voluit Bellarm. ſuprà numero 23. à Grauina citatus.

29. Grauina.

Neque eſt alicuius momenti animaduerſio Grauinæ ſuprà numero 26. poſitæ, nempe Sixtum quartum non adiectiuum *immaculatam*, ſed *mirum* cum Conceptione coniunxiſſe; nam non ſolùm ipſe Pontifex in præfata bulla, ſed Eccleſia in reſponſorio octauo huius feſti, & in alijs officijs ordini Franciſcano conceſſis, adiectiua *immaculatum, & Sanctum*, cum Conceptione coniungunt; & ſic eam abſolutè ſanctam, & immaculatam appellant. Vnde ſi Grauinā mouit illa coniunctio, *mira Conceptio*, vt eam non immaculatam, ſed miraculoſam aſſerat; potiori iure ipſum mouere poſſet ad concedendum, Conceptionem Marianam fuiſſe, non ſolùm miraculoſam, ſed etiam omnis labis expertem, quòd Pontifices eam iam *miram*, iam *ſanctam*, iam *immaculatam* appellitent.

Lipoman. Baronius.

Lipomannus, neque Baronius huius feſti mentionem fecerunt. Vnde aliqui viri docti ſuſpicantur, nonnullos feſtū reuelationis factæ Zachariæ de natiuitate Baptiſtæ, cum feſto Conceptionis eiuſdem confudiſſe; & quia Græci illud celebrant, exiſtimaſſe eos feſtum Conceptionis Baptiſtæ coluiſſe. Sed etiā Eccleſiam Græcā præfatæ reuelationi feſtum egiſſe, eſt ſatis dubium: vnde præfatum argumentū fundamento infirmo niti, neceſſe eſt. Deinde do, Eccleſiam Græcam celebrare feſtum Conceptionis Baptiſtæ; non quia tunc fuiſſet ſanctus, ſed in gratiarum actionē beneficij nobis collati; indene deducetur Eccleſiam Romanam, etiam ob eandē cauſam colere feſtum Conceptionis Marianæ? Nequaquam; tum, quia Eccleſia Græca non eſt norma Romanæ, ſed hæc illius; tum quia vt Patres ſuprà n. 25. relati aiunt, celebrare ingreſſum in mundum alicuius tunc nō ſancti, eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ; tum, quia certum eſt Baptiſtam fuiſſe in peccato conceptū; & ſic Eccleſia Græca, ſi eius Conceptionē celebrat, eum tunc colere non potuit; & ideo, vt ea à manifeſto errore liberetur, dicendū eſt, non colere Ioannem, vt primò conceptum, ſed Deo gratias agere pro eius conceptione miraculoſa; & ideo nullibi eam ſanctam, aut immaculatam appellat, attamen in feſto Conceptionis

30. *Alia obiectio diſſoluitur.*

Secundò obijciunt, Eccleſia Græca celebrat feſtum Conceptionis Baptiſtæ, ſolùm in actionem gratiarū illius conceptionis miraculoſæ, vt conſtat ex Menologio Græcorū, & martyrologio Vſuardi, vt ait Grauina articulo citato; ſiquidem Baptiſta, in gratia fuiſſe conceptum, nemo ſomniauit; ergo etiam feſtum Conceptionis B. Virginis tam celebratū ab Eccleſia Græca, quàm à Latina, eſt feſtum ſolùm in actionem gratiarum. Hoc argumentum in multis claudicat. Primò incertum eſt Eccleſiam Græcam, ſaltem antiquitus feſtum conceptionis Baptiſtæ inſtituiſſe; cuius ſignum eſt, quòd neque Surius, neque

Menologiū Græcorum.

Vſuardus.

Surius.

Marianæ, oppoſita eueniunt: nam primò non eſt certum B. Virginem fuiſſe in ſua Conceptione maculatam, ſed contradictorium eſt longè probabilius, & verius. Secundò Eccleſia Latina Conceptionem Deiparæ in officio vniuerſali abſolutè *ſanctam*, & in officijs particularibus *immaculatam* appellat. Tertiò Pontifex, vt vidimus ſuprà n. 16. innuit celebrari Conceptionem Marianam, vt ſanctam, & præſeruatam à peccato. Vnde non mirum, quòd feſto Conceptionis Baptiſtæ inſtituto in ſolam actionem gratiarum, feſtum Conceptionis Marianæ ſit honoratiuum ſanctitatis, quam B. Virgo habuit in primo inſtanti ſui eſſe. Ex quo deduco contra Grauinam, etiam feſtum Conceptionis Marianæ, à Græcis celebratum, non eſſe ſolius gratiarum actionis, quale vult eſſe feſtum Conceptionis Salazar. Baptiſtæ, vt bene Salazar de Concept. cap. 35. nam in feſto Conceptionis B. Mariæ, vt patet ex Menologio, quod ex Patribus Baſilianis ipſe refert, B. Virgo in ſua Conceptione vocatur, *Impolluta habitatio*; ibique dicitur Anna cõcepiſſe *nouum cælum, paradiſum, ianuam lucis, vellus, montem ſanctum, vnguentum bene fragrans, rubum incombuſtum, candelabrum aureum, animatum thalamum Dei*, & alia ſimilia, quæ ſuadent Græcos in præfato officio Conceptionem immaculatam celebrare; alioquin B. Anna non *cœlum*, ſed infernum; non *montem ſanctum*, ſed profanum; non *vnguentum bene fragrans*, ſed malè olens, & fætens; non *thalamum Dei*, ſed diaboli, concepiſſe diceretur.

§. IV

Reſponſio Grauinæ ad argumentum factum explodituꝛ.

31. *Solutio noua ad argumentum deſumptum ex cultu.*

GRauina ſuorum Thomiſtarum ſolutionibus non fidens, aliam viam aperuiſſe videtur: & notat obiectum cultus ſacri eſſe duplex; aliud abſolutum, & primarium; & aliud ſecundarium, & ſecundum quid: illud eſt ſanctitas indubia, & certa alicuius; & hoc eſt, circumſtantia ſeu occaſio, ob quam aliquid adorandum proponitur. Exemplum prioris obiecti eſt cultus, qui ſanctis defertur: exemplum poſterioris eſt aliquod miraculũ. ob quod creditum fide humanâ, Pontifex prudenter mouetur ad aliquod feſtum inſtituendum. Subiungit Grauina obiectum Grauina, primarium cultus exhibiti ab Eccleſiâ, debere eſſe certiſſimè, & à partè rei verum; & ideo, ex eo Auguſtinus, & Patres ſuprà n. 12. relati, dogmata demonſtrare ſolent. Ad obiectum ſecundarium cultus non eſt neceſſarium, vt ſit certiſſimè verum; ſed ſufficit, quod probabiliter, ſeu prudenter verum appareat. Exemplum ſit feſtum apparitionis S. Michaelis, & feſtum de Victoria contra Turcas tempore Pij quinti reportata, & ſub titulo B. Virginis de victoria celebratum, & Exaltatio Sanctæ Crucis ab Heraclio Imperatore; in quibus feſtis obiectum primarium cultus eſt ſanctitas Archangeli, B. Virginis, & excellentia Sanctæ Crucis; obiectum ſecundarium eſt apparitio S. Michaelis, reportatio victoriæ, precibus B. Virginis impetrata, & deportatio S. Crucis ex Perſiâ in Ieruſalem; vbi, licèt obiectum primarium harum feſtiuitatum ſit indubia ſanctitas; at, quòd Archãgelus apparuerit, & Heraclius exaltauit ſanctam crucem, & victoria contra Turcas fuerit reportata, de fide certum non eſt; cùm ſolùm prædictarum veritatum notitiam per hiſtoriam humanam, & fallibilem habeamus. Quo poſito, ait primò Grauina, obiectum cultus primarium intentum ab Eccleſia, in feſto Conceptionis Marianæ, & in officio vniuerſali conceſſo pro totâ Eccleſiâ, non eſſe ſanctitatem dubiam, & incertam, quam aſſertores pij in inſtanti primo ſuæ Conceptionis dicunt habuiſſe; ſed ſanctitatem indubiam & certam B. Virginis, quam ante eius ortum in ventre ſuæ Matris habuiſſe, extra con-

troueꝛſiam eſt; abſtrahendo ab inſtanti, vel morula temporis, in quo illam habuit: & ſubiungit eſſe mentem non ſolùm Thomiſtarum, ſed Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16. Suarez 3. p. q. 83. diſput. 1. §. *quo circa deſtinguendo ea*, & Vaſquez 3. p. q. 27. diſput. 3. Et probat ex eo quod obiectum primum cultus exhibiti à tota Eccleſia, cùm oriatur ex fide, debet eſſe certum, & verum à parte rei; & ideo Patres relati ſuprà n. 12. ex illo cultu dogma fidei deducunt; cùm autem non ſanctitas Virginis, quam dicitur habuiſſe in primo inſtanti metaphyſico ſui eſſe; ſed, quam habuit in ventre S. Annæ ſit indubia, & certa de fide; idcirco, non illa, ſed hæc eſt obiectum primarium præfatæ feſtiuitatis. Eodem fundamento innixus Grauina, ſuperaddit obiectum cultus primarium exhibiti à particularibus diœceſibus, in officijs particularibus approbatis ab Eccleſiâ, eſſe etiam præfatam indubiam ſanctitatem. Secundò tradit Grauina, in præfatis officijs particularibus conceſſis diœceſibus, & communitatibus, approbatis ab Eccleſia, obiectum ſecundarium cultus eſſe B. Virginem, vt immaculatam, ſeu vt erat in primo inſtanti metaphyſico ſui eſſe: nam cùm in præfatis officijs expreſsè contineatur, B. Virginem fuiſſe in ſua Conceptione immaculatam, ſeu omnis

Bellarm. Suarez. Vaſquez.

pec-

peccati originalis expertem ; & aliunde illa, vt sic, nequeat esse obiectum primarium præfatæ festiuitatis; dicendum erit, ipsam esse obiectum secundarium illius, & consequenter Ecclesiæ intentionem principalem in his festis particularium diœcesium, esse, vt B. Virginis Conceptio immaculata, tanquam obiectum secundarium, colatur.

32. Ex quo respondet facilè Grauina ad nostrum argumentum, nempe ex cultu exhibito ab Ecclesia, solùm deduci B. Virginem in ventre S. Annæ fuisse sanctificatam ; non verò in primo instanti metaphysico sui esse: quippe obiectum primarium cultus publici, debet esse indubium, & de fide ; quare cùm sanctitas, quam B. Virgo habuit, dum erat in ventre S. Annæ, sit indubia ; & sanctitas, quam dicitur habuisse in primo instanti suæ existentiæ sit dubia, & solùm particularis; idcirco prior sanctitas est obiectum primarium, & posterior est obiectum secundarium huius festiuitatis. Vnde ex præfata festiuitate Conceptionis Marianæ, tam celebratæ à tota Ecclesia, quàm à particularibus Diœcesibus, nihil contra opinionem minùs piam concludi valet.

33. *Prædicta solutio scatet difficultatibus.* Hæc solutio scatet difficultatibus, & multa falsa supponit, Primò hæc doctrina videtur solùm excogitata ad eneruandum argumentum desumptum ex orationibus, & gratiarum actionibus, quo Patres communiter vtuntur, vt suam sententiam persuadeant. Porrò S. Augustinus necessitatem diuinæ gratiæ, ex eo quòd eam à Domino petimus, multoties deducit: *Hæc à Deo* (ait Augustinus epist. 107.) *poscenda nõ renuis ; quid restat frater Vitalis; nisi vt ab illo illa dona fatearis, à quo poscẽda esse consentis*: & infrà, *Imaniter agitur, & perfunctoriè potiùs, quàm veraciter, pro eis* (sci. Hæreticis) *vt doctrinæ, cui aduersantur, credendo consentiant. Deo fundimus preces, si ad eius non pertinet gratiam conuertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias voluntates.* Idem argumentum repetit Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 18. epist. 89. & lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 20. & lib. de bono perseuerantiæ cap. 22. & 23. & sæpe alibi, vbi ex eodem principio infert alias multas veritates, vt suprà n. 12. animaduerti. Eodem argumento vtuntur Patres Africani epist. ad Innocentium, quæ est 90. apud Augustinum, quorum est illa celebris sententia: *Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio.* Quem discursum tenuit ipse Innocentius in epist. 25. quæ est apud Augustinum 91. & Cælestinus in epist. 1. ad Episcopos Galliæ, cap. 9. Verùm enimuero, si illa distinctio obiecti cultus primarij, & secundarij, ita admittitur, vt simul asseratur obiectum secunda-

Augustin.

Patres Africani.

Innocent.

Cælestin.

rium cultus approbati ab Ecclesia posse esse falsum à parte rei ; via latissima aperiretur ad eneruandum argumentum à tot Patribus repetitũ. Quilibet enim respondere posset, adiutorium diuinæ gratiæ non esse obiectum primarium, sed secundarium orationis fusæ ab Ecclesia; quod cùm non debeat esse à parte rei verũ, sed solùm probabiliter, & in iudicio prudenti; idcirco, ex præfato principio solùm colligi, esse probabilem necessitatem adiutorij diuinæ gratiæ & incursionem peccati originalis, non autem esse veram à parte rei.

34. *Euasio præcluditur.* Grauina. Neque satisfacies respondendo cum Grauina, Patres non intulisse prædictas veritates ex solis precibus externè fusis ab Ecclesia; sed ex illis, vt ortis ex iudicio certo ipsius Ecclesiæ credentis diuina fide illud obiectum esse verũ: quippe hoc esset fateri argumentum à tot Patribus confectum, vt iacet, esse infirmum, & vt subsistat, fulcris adhibitis à Grauina indigere: siquidem obuium fuisset cuilibet respondere, neq; orationes Ecclesię, neq; exorcismos, neq; actiones gratiarũ, esse argumentũ obiecti veri, nisi vt orta à iudicio certo Ecclesię de eorũ obiecto, ac proinde ni prius prædictũ iudiciũ demonstretur, discursũ inde formatũ esse inualidum. Vnde Aug. epist. 107. sic argumentanti pro gratia: *Hæc à Deo poscenda non renuis, quid restat frater Vitalis, nisi vt ab illo illa dona fatearis?* responderet Vitalis aliquid aliud restare ad soliditatem præfatæ conclusionis, nempe eas orationes esse ex iudicio certo Ecclesiæ profectas. Ad hæc, Patres aliquot veritates iã ex iudicio Ecclesiæ, iã ex orationibus, & gratiarũ actionibus illius, tanquam ex diuerso capite deducunt; quod persuadet eos ex solo cultu, aut oratione externà argumentatos fuisse ; alioquin neque discursus, desumptus ex cultu, & orationibus Ecclesiæ, ab argumẽto desumpto ex iudicio Ecclesiæ diuersus, neq; ille supra hoc soliditatẽ aut robur vllũ adderet ; siquidem vtrumque vnum, & idem esset, & præfato iudicio inniteretur. Confirmatur, nam Aug. li. de bono perseuerantiæ, cap. 22. sic discurrit: *Atque vtinãtardi corde, & infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas, vel earum expositiones intelligere ; sic audirent, vel non audirent disputationes nostras, vt magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit, & habebit Ecclesia.* Vbi Aug. tardos corde, infirmos, & nõ valentes penetrare Scripturas, & disputationes Theologicas, ad assentiendũ aliquibus propositionibus, cogere procurat ex orationibus Ecclesiæ, quas ipsi recitabant : quod arguit, illum ex solis externis orationibus argumentũ formasse ; alioquin, si ad præfatam illationẽ præter orationes externas, iudiciũ certũ Ecclesiæ prærequireretur (præterquam

Augustin.

Aug.

quòd illius mentionem feciſſet, vtpote etiam arguens contra infirmos,& rudes) ex eorum recitatione orationis non conuiciſſet: ſiquidem facilè reſpondere poterant,neque ſe, neque Eccleſias de earum obiecto certum iudicium habere, ac proinde eius diſcurſum infirmum eſſe. Idem ſuadet Auguſtinus lib.de peccato originali contra Pelagium, & Cæleſtium cap. 11.vbi, poſtquam aſſeruerat pueros baptizari, exſufflari, & exorcizari ab Eccleſia, ſubiunxit: *Quibus omnibus rerum occultarum ſecretis, & euidentibus ſignis,à captiuatore peſsimo, ad optimum redemptorem tranſiſſe monſtrantur.* Vbi duo aduerto: aliud, Auguſtinum eodem modo, ex forma Baptiſmi, ac ex exorciſmis, peccatum originale puerorum intuliſſe; vnde ſicut ex ſola forma externa baptiſmi prædictā veritatem deduxit; ita ex ſola externa oratione eamdem veritatem illatam fuiſſe fateri oportet. Aliud, prædictam concluſionem occultam, eſſe deductam ex euidentibus ſignis: enimuerò non exorciſmus, vt includens iudiciū infallibile Eccleſiæ; ſed ſolus exorciſmus externus hæreticis,contra quos diſputabat Auguſtinus, euidens erat; cùm eos tale iudicium lateret, & tam illud, quàm peccatum originale puerorum, vtpote illis occultum, negarent; ergo Auguſtinus non in iudicio Eccleſiæ, ſed ſolùm in cultu, vel orationibus illius externis argumentum inniti voluit. ex hoc enim tam obiectum cultus, & orationum Eccleſiæ,quàm ipſum iudicium Eccleſiæ, ex quo illa dimanant,eſſe verum, Patres ſtabiliuerunt. Quod ampliùs roboratur, ſi aduertas: eos non ſolùm ex orationibus Eccleſiæ intuliſſe rem petitam à Deo eſſe veram; ſed etiam abſolutè deduxiſſe, ſi ea fuiſſet falſa, prædictas orationes nullatenus futuras, vt conſtat ex locis citatis; quæ conſequentia inidonea fuiſſet, ſi argumentum in oratione, vt coniuncta cum iudicio certo Eccleſiæ, inniteretur; ſiquidem oratio rei falſæ, vt orta ex iudicio probabili,poterat perſeuerare.

Auguſt.

Secundò, iuxta præfatam ſolutionem Grauinæ, fundamenta præcipua Bernardi, quibus innixus probat contra Canonicos Lugdunenſes,epiſt. 175. non eſſe celebrandum feſtum Conceptionis, ruerent:nam præcipuum eſt B. Virginem in primo inſtanti metaphyſico ſui eſſe, non fuiſſe, ſanctam, ſed peccatricem; cui argumento, iuxta doctrinam Grauinæ, facilè Lugdunenſes reſpondere poſſent, illud ita eſſe, ſed eſſe obiectum ſecundarium, quod licèt falſum fuerit à parte rei, nihilominus poterat eſſe occaſio, vt feſtum de Virgine ſancta in ventre Annæ, ſub nomine Conceptionis à particularibus Epiſcopis inſtitueretur:ſiquidem ob-

35. *Alia præfatæ ſolutionis depulſio.*

obiectum primarium illius feſtiuitatis, erat ſanctitas indubia Deiparæ; & aliunde Epiſcopi in ſuis diœceſibus, ſine noua licentia ſedis Apoſtolicæ, ſanctos indubios, qualis fuit B. Virgo in vtero materno, publicè colere valeant. Neque obſtat, ſi dicas: Canonicos Lugdunenſes coluiſſe, tanquam obiectum primariū Virginem,vt immaculatam; quia gratis dices, cùm ex tota illa epiſtola id non conſtet, neque deducatur.

36. *Alia impugnatio.*

Tertiò ex prædicta doctrina ſequeretur, infirmum quoque eſſe argumentum Bernardi, Ildefonſi,S.Thomæ ſuprà numero 12. relatorum, & ferè omnium Theologorum deducentium natiuitatem Virginis eſſe ſanctam, ex eo quod eius feſtiuitas ſit in Eccleſia ſolemnis:ſiquidem, ſicut Grauina aſſerit, in feſto Conceptionis, obiectum primarium, eſſe ſanctitatem, quam habuit B.Virgo poſt animationē; ita quilibet diceret, obiectum primarium feſti Natiuitatis eſſe, quam ipſa Deipara habuit poſt Natiuitatem, nempe in Incarnatione Verbi. Vnde ſicut feſtum Conceptionis, eam tunc immaculatam, & ſanctam non arguit; ita neque feſtum Natiuitatis, hanc fuiſſe tunc ſanctam perſuaderet. Neque obeſt ſi dicas, Patres, & Theologos,non deducere ſanctitatem Natiuitatis Marianæ, ex ſolo feſto illius inſtituto ab Eccleſia; ſed ex illo, vt orto ex iudicio certo Eccleſiæ de natiuitate ſancta B. Mariæ, nam, vt arguebam ſuprà n. 34. gratis dicitur; ſiquidem neque Patres, neque Theologi in ſuo argumento, præfati certi iudicij, in antecedenti ſui ſyllogiſmi, mentionem faciunt; ſed abſolutè, ex præfata feſtiuitate argumentantur; & ideo ex illa prædictum iudicium deducunt.

37. *Aliter explodituř allata ſolutio.*

Quartò eſt falſum, Eccleſiam in feſto Conceptionis non intendere etiam primariò honorare B.Virginem, vt immaculatam, ſeu vt erat in primo inſtanti metaphyſico ſui eſſe; tum quia Eccleſia feſtum Conceptionis celebrat eodem modo, (vt ait Anſelmus, in quadam epiſtola ſuprà n. 19. relata) ac feſtum Natiuitatis,& eiſdem verbis, & epithetis vtrumque honorat (vt dicebamus ſuprà n. 19.) tum quia celebrat præfatam feſtiuitatem in ſenſu, quem aliqui Concionatores tempore Sixti quarti damnabant, vt hæreticum, quod Eccleſiam cultum primarium exhibere Virgini, vt erat in primo inſtanti metaphyſico ſuæ exiſtentiæ perſuadet, vt arguebam ſuprà n.16.

Anſel.

38. *Iterum reiicitur.*

Quintò, demus gratis, obiectum primarium feſti Conceptionis, eſſe ſanctitatem quam habuit B. Virgo ante ſuam natiuitatem; & circumſtantiam, ſeu obiectum ſecundarium illius eſſe

eius præseruationē à peccato, seu sanctitatem, quam particulariter dicitur habuisse in primo instanti metaphysico suæ existentiæ; indene deducatur, cum hoc festo, præcipuè vt celebratur à particularibus communitatibus, componi posse, vt de facto B. Virgo fuerit maculata? Minimè gentium, potiùs inde oppositū deducitur, sicut ex festo impressionis stigmatum S. Francisci, à tota Ecclesia, lib. 6. Septembris celebrato, ea illi verè, & à parte rei, impressa fuisse; & ex festo inuentionis sancti Iacobi in Hispania solemni 30. Decembris, corpus B. Iacobi Compostellam fuisse deportatū infertur; siquidē Ecclesia, prædictos sanctos, vt præfatis circumstantijs, & priuilegijs cohonestatos, saltem secundariè colit, & veneratur, & eos, sic sumptos, Deo repræsentat, & prefatis priuilegijs allegatis, ab eo beneficia obtinere procurat. Sicut enim Ecclesia, in festo, vniuersaliter liberè, celebrato stigmatū S. Francisci, sic orat: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Francisci, Passionis tuæ sacra stigmata renouasti*; & in festo inuentionis corporis S. Iacobi Hispanis in Milla, & officio sic orare concessit: *Deus, qui dispositione mirabili, corpus B. Iacobi Apostoli tui de Ierosolymis in Compostella gloriosè sepeliri voluisti*; ita approbante Sixto quarto, hanc orationem, in festo Conceptionis, aliquæ communitates, & Diœceses, ad Deum fundunt: *Deus, qui per immaculatā Virginis conceptionem*. Vnde sicut nemo negabit sacra stigmata B. Francisco; & S. Iacobi corpus fuisse Compostellæ; nempe quia Ecclesia eos saltem secundariè sic colit; ita licèt præseruatio B. Virginis à peccato originali, sit circumstantia, seu obiectum secundarium festi Conceptionis, in illo falsitas non reperietur; alioquin in orationibus Ecclesiæ mēdaciū inueniretur; & consequēter eædē, saltem ex parte inanes, & perfunctoriæ essent. quod Patres relati suprà meritò concedere renuunt.

39. *Explicantur Bellarminus, Suarius, & Vasquez.*

Neque contra præfatam doctrinam militant Bellarmin. Suarius, & Vasquez suprà n. 31. relati à Grauina, innuentes Ecclesiam in obiecto secundario alicuius festiuitatis errare posse: nam loquuntur, non de possibilitate morali, sed solum physicā, seu metaphysica, & metaphysicè loquendo, asserunt non repugnare, vt Ecclesia celebret festum impressionis stigmatū S. Francisci v.g. & Cōceptionis immaculatæ, etiamsi hæc falsa essent: nam licèt hoc nō repugnet ex connexione terminorum, & iuxta extraordinariam Dei prouidentiam; tamen iuxta prouidentiam Dei ordinariam, nunquam talis deceptio continget. Vnde sicut quia hominem præuentū auxilio sufficienti, conuerti ad Deum ex naturā terminorum non repugnat, eum sic præuentū, metaphysicè posse elicere actum contritionis affirmamus: attamen quia sic excitatus, nunquam conteretur, eius conuersionem moraliter impossibilem iudicamus; ita quia iuxta prouidentiam Dei extrordinariam nō implicat, vt Ecclesia erret in obiecto secundario alicuius festiuitatis, eamq; in illo, metaphysicè loquēdo, decipi posse præfati Doctores aiunt; cum quo bene subsistit, eā in præfato cultu, moraliter errare non valere; & ideo illi, locis citatis suprà n. 31. ex præfato festo, B. Virginem immaculatam esse deducunt. Prædicta Doctrina sic intellecta vera est; siquidem ea concernit maiestatem Ecclesiæ, quā, vtpote columnā veritatis, in suis orationibus, etiam secūdariè, errare, & falsum proferre, moraliter nunquam continget: sic eius orationes nulla ex parte inanes, aut perfunctoriæ erunt, vt Patres suprà n. 34. relati voūlt. Sic argumentum eorum, ex solo cultu, aut orationibus externis Ecclesiæ desumptum, veritatem concludit: sic denique absurda, quæ contra nostrum discursum obiciuntur, euitabuntur, vt videbimus §. sequenti. Quod adhuc solidius apparebit, si aduertas, huic doctrinæ, sic intellectæ, subscripsisse in simili puncto Grauinam, contra quē disputamus: ille enim 2. p to. 4. q. 5. art. 2. §. *responsio ad alia motiua*, contra decretū Vrbani Octaui decernentis B. Catharinæ de Sena stigmata fuisse impressa, Raimundum Capuanum, ob cuius testimonium Pontifex, id sanxit, potuisse mentiri, respōdet: *Verum est quòd mendacium, & fictio potest intercenire metaphysicè loquendo, sed moraliter non est præsumendum*: & ideo q. 2. art. 14. eiusdem tomi, præfatā impressionē stigmatū indubiam esse vult. Profectò, si Grauina eodem affectu erga B. Virginem Deiparam, ac circa suam S. Catharinam ferretur; eam fuisse de facto immaculatam ex cultu publico illi exhibito, arguisset; siquidē Ecclesia de facto, in officijs, saltem particularibus, expresè præseruatam affirmat; & ob eam, vt immaculatam, in suis orationibus à Deo beneficia impetrare intendit. Grauina.

40. *Responsio.*

Forsan non nemo hactenus dictis respondebit, inter alia festa, & festum Conceptionis esse discrimen: nam alia festa ita sunt à Pontificibus instituta, vt partem oppositam probabilem non statuant; quod in festo Conceptionis non euenit. Vnde licet temerarius fuerit, qui negaret apparitionem S. Michaelis, aut impressionem stigmatū S. Francisci, aut S. Catharinæ Senensi; at qui B. Virginem peccatum incurrisse affirmauerit, nullam notam merebitur.

41. *Impugnatio.*

Contra hoc est; nam impræsentiarum non agimus de censurā negantis obiectum harū festiui-

ſtiuitatum eſſe verum : ſed an prædictum obiectum, etiam ſecundarium, ſit de facto verum; & ob cultum publicum ei, ſaltem ſecundariò, exhibitum, affirmamus multò certius eſſe, illud eſſe à parte rei verum, quàm falſum; cui concluſioni non aduerſatur, quòd pars oppoſita ſit probabilis; ſiquidem bene ſubſiſtit, aliquam opinionem eſſe probabilem, & nihilominus eius contradictorium eſſe certiùs verum, quàm oppoſitum.

42. *Alia confirmatio.* Confirmatur, ſi cultus, & orationes Eccleſiæ, non eſſent argumentum moraliter conuincens obiectum, etiam ſecundarium, illorum eſſe verum, Dominicani, Franciſcani, & nonnulli alij Catholici, vt ora negantium S. Franciſco, & S. Catharinæ Senenſi fuiſſe impreſſa ſtigmata, & ſimilia priuilegia nonnullis conceſſa obturarentur, ad ſedem Apoſtolicam non recurriſſent, & ſupplicaſſent, vt in officio, & præcibus prædictorum feſtorum prefata priuilegia recenſerentur; ſiquidem non obſtante decreto, & approbatione Pontificia, in eis, tanquam in obiectis ſecundarijs cultus ſacri, falſitas moraliter interuenire poſſet : vt ergo propugnemus cum S. Thoma 2. 2. q. 10. art. 12. & communi Theologorum ſententia, quamcumque Eccleſiæ approbationem, etiam circa res opinabiles, maioris ponderis eſſe, quàm teſtimonium Auguſtini, & cuiuſcumque alterius Patris, eamque per ſuas preces, & ſacrum cultum robur nouum addere ad concluſionem inde inferendam, fateri oportet Pontifices nunquam erraſſe in obiecto ſecundario cultus, & orationum publicarū, ſeu moraliter in eis decipi non poſſe. Et ratio à priori eſt: nam, vt contra Gerſonem, Almainum, Caietanum, & nonnullos alios admittit Grauina ſuprà q. 4. art. 1. & bene demonſtrant Suarius de Fide diſput. 5. ſect. 8. Palao tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §. 3. Turrianus de Fide diſput. 16. dub. 2. Granados controu. 1. de Fide tract. 7. diſput. 2. ſect. 2. Bellarm. lib. 4. de ſummo Pontifice cap. 10. Papa non poteſt, quod materialiter malum eſt, ſeu quod à parte rei opponitur iuri naturali, aut diuino, approbare, etiamſi illud, ob ignorantiam hominum probabiliter bonum appareat; quo innixi fundamento, ſuperaddunt; contractus, & inſtitutum religioſum approbata ab Eccleſia, non ſolùm probabiliter, ſed à parte rei eſſe licita, & honeſta. Cæterùm, cùm materialiter, & à parte rei fuiſſet contra ius naturale, aut diuinum affirmare in oratione fuſa ad Deum, S. Franciſco fuiſſe impreſſa ſtigmata, B. Virginem fuiſſe à peccato præſeruatam, ſi re vera, neque S. Franciſcus ſtigmata habuiſſet, neque B. Virgo fuiſſet

Grauina. Suarez. Palao. Turrian. Granados. Bellarm. S. Thom.

fuiſſet præſeruata ab originali, idcirco ne Pontificem circa mores materialiter errare potuiſſe fateri cogamur, aſſerendum eſt, obiectum etiam ſecundarium cultus publici, & precum Eccleſiæ, moraliter falſum eſſe non poſſe. Quod adhuc ex ſolutione argumentorum clariùs elucefcet.

§. V.

Argumentis aduerſariorum ſatisfit.

43. *Obiectio.* PRæter argumenta per hoc caput diſperſa, ſunt alia, quibus reſpondere placet. Primò Grauina nobis objicit : ſi argumentum deſumptum ex cultu publico exhibito immaculatæ Conceptioni, & precibus Eccleſiæ; efficaciter concludit B. Virginem ſemper caruiſſe peccato originali, & in primo inſtanti metaphyſico ſuæ exiſtentiæ fuiſſe ſanctam; etiam euincet hanc partem eſſe certam de fide, & contrariam improbabilem, hæreticam, aut erroneam : conſequens nemo dicet, cùm tam Pontifices, quàm Tridentinum eam probabilem eſſe velint; ergo argumentum prædictum eſt infirmum. Sequela probatur : nam Auguſtinus, & alij Patres ſuprà n. 12. relati, ex cultu, & orationibus Eccleſiæ, obiectum illorum, non ſolùm verum, ſed certum, & dogma eſſe deduxerunt. Vnde vel præfatus diſcurſus opinionem piam eſſe certam, & de fide; vel nihil concludet.

44. *Reſponſio.* Mihi, ac Meis gratulor ſubminiſtratam eſſe ſolutionem, quâ omnia argumenta deſumpta ex Scriptura, & Concilijs pro minus piâ opinione, phyſicâ prædeterminatione, & alijs opinionibus Thomiſtarum radicitus conuellantur : nam cùm argumentum efficax deductum ex Scriptura, aut Concilijs, concluſionem, non ſolùm veram, ſed certam quoque arguat, & aliunde opinio Ieſuitarum circa efficacitatem gratiæ, & circa Conceptionem immaculatam B. Virginis, & circa nonnullas alias materias, ſit probabilis; iuxta Doctrinam Grauinæ facilè reſpondere poſſemus, illud non concludere Thomiſtarum opinionem eſſe veram, quia eam eſſe certam non perſuadet; & ratio eſt, nam argumentum deductum tam ex Scriptura, & Concilijs, quàm ex cultu & precibus Eccleſiæ, in certitudine illationis latitudinem habet : vnde ſicut ſenſus literalis certus, & euidens Scripturæ, concluſionem certam infert; & quod ex ſenſu probabili formatur, ſolùm probabiliter concludit; ita alius cultus publicus, concluſionem certam, & de fide, & alius concluſionem non certam, & de fide; ſed ſolùm veram arguit.

Quod

45. *Solutio declaratur.* Quod vt melius percipiatur, & obiectioni propositæ faciam satis, præmoneo, omnem cultum alicui licitè exhibitum, oriri ex iudicio, quo prudenter iudicamus illum excellentem, & dignum sacro honore esse, alioquin exhibitio cultus, non religiosa, sed superstitiosa esset, vt liquet. Cæterùm prædictum iudicium, siue de obiecto primario, siue secundario cultus publici, varium est, & inæquale in certudine, vt admittit Grauina 2.p.tom.4.q.5.art. 3. dubitatione 1. Appendice in cultu exhibito ab Ecclesia Sanctis Canonizatis, & maiori, aut minori, extensione, Beatificatis, & patet: Nam aliud est certissimum, & de fide, quo ita Ecclesia, & nos iudicamus obiectum alicuius cultus esse sanctum, vt eius contradictorium hæresis sit; quale est iudicium, quo iudicamus Christum esse adorandum; aliud iudicium non est de fide, sed ita certum, vt eius contradictorium, non hæreticum, sed erroneum vel temerarium, aut improbabile sit; quale est iudicium Ecclesiæ, quo iudicat esse exhibendum cultum sacrum aliquibus defunctis, hoc vel illo modo beatificatis; siquidem negare beatificatos esse in cælo, multi non hæreticum, sed solùm erroneum, temerarium, aut improbabile esse volunt. Tertium iudicium Ecclesiæ in exhibitione cultus, licèt sit semper verum, non tamen, metaphysicè loquendo, est certum; & ideo eius contradictorium, probabile, licèt falsum existit: quale est iudicium, quo iudicat Ecclesia B. Virginem fuisse præseruatam à peccato, & S. Francisco fuisse impressa stigmata, & corpus. B. Iacobi esse sepultum Compostelæ. Ex quo duo sequuntur: aliud est discursum Patrum desumptum ex solo cultu externo, & publico, seu ex orationibus, & gratiarum actionibus Ecclesiæ, semper esse validum & robustum; siquidem ille, ex quocumque Ecclesiæ iudicio proficiscatur, semper arguit suum obiectum, siue primarium, siue secundarium, esse verum à parte rei. Aliud est prædictum cultum publicum Ecclesiæ, veram, inæqualem tamen in certitudine, iuxta diuersitatem iudiciorum, ex quibus dimanat, conclusionem inferre: si cultus oritur ex iudicio de fide, infert dogma; si ex iudicio certo infert conclusionem ita certam, vt eius contradictorium sit improbabile. Si verò oritur ex iudicio non certo, & qualificato per Ecclesiam, solùm arguit conclusionem veram: quapropter cùm nos stabilierimus B. Virginem fuisse præseruatam ex cultu publico, & precibus Ecclesiæ, ortis ex iudicio vero illius, sed non qualificato, vt certo; idcirco nostra conclusio vera est, & huius

Grauina

huius contradictorium probabile perseuerat; quo argumentum Grauinæ ruit.

46. *Effugium præcluditur.* Neque obstat si dicas, esse admittendum, alium cultum publicum, & preces Ecclesiæ ortas ex iudicio ipsius, ita probabili, vt possit esse à parte rei falsum; sicut particularibus fidelibus accidit, qui multoties colunt, quod prudenter, & probabiliter sanctũ iudicant; & tamen à parte rei aliquoties falsum reperitur. Hoc inquam, non obest: nam, licèt metaphysicè loquendo possit accidere, vt Ecclesia in cultu decipiatur, tamen moraliter id nunquam eueniet, vt dicebamus suprà n. 12. cùm sit indecentia, vt magistra, & columna veritatis in re tanti momenti materialiter erret, colendo etiam secundariè, quod omni cultu indignum est. Quam doctrinam insinuauit S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. Bonauent. in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. & antiqui Thomistæ, dum, ne cogerentur ex festiuitate Conceptionis celebratâ à nonnullis Ecclesijs, Conceptionem immaculatam confiteri, responderũt, hoc festum, vel esse permissum, vel actionis gratiarum, vel in eo solum coli sanctificationem; nempe, quia existimarunt contra maiestatem Ecclesiæ, & reuerentiam illi debitam esse, admittere ipsam exhibere aliquem cultum, siue primariè, siue secundariè alicui, qui re ipsa, & à parte rei sanctus non fuit.

S. Thom. Bonaven.

47 *Responsio ad nonam instantiam.* Instant Aduersarij, etiam post decreta edita à Pontificibus circa institutionem festi Conceptionis, tam celebratæ ab vniuersali Ecclesia, quàm à particularibus communitatibus, manet opinio minùs pia probabilis; cùm expresè Pontifices id asserant, & in suis decretis, & similibus concessionibus se per similia decreta, nolle illi præiudicium afferre, superaddant. Vnde non obstante prædicto festo Conceptionis, nostrum placitum intra sphæram manet opinionis; siquidem eius contradictorium, opinio probabilis perseuerat; sed de ratione opinionis est, vt ei falsum subesse possit, vt constat; ergo opinio pia, etiam post cultum exhibitum ab Ecclesia immaculatæ Conceptioni, potest esse falsa. Respondeo, licèt de ratione opinionis sit, quòd metaphysicè loquendo falsa esse possit, attamen moraliter loquendo, aliquando opinioni manenti intra latitudinem opinionis, falsitas inesse nequit; nempe quando fundamenta sunt ita solida, vt illam veram, non tamen certam, aut euidentem, conuincunt; qualia sunt illa, quibus piam opinionem inniti videmus, vt bene Salazar de Concept. capite 43. Granados de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disputatio. 3. sect. 30.

Salazar. Granados.

numero 343. Quod appositissimo exemplo declaratur : Olim fuit controuersia in scholis diu agitata,an paruulis in baptismo gratia sanctificans infunderetur; & Pontifex in cap. Maiores de Baptismo , licèt partem negantem probabilem reliquerit, partem affirmatiuam probabiliorẽ declarauit ; quam postea Theologi propugnarunt ; in quo casu quamuis opinio declarata ab Ecclesia, vt verior manserit intra sphæram opinionis , nihilominus illa declaratio Ecclesiæ effecit, vt Theologi meritò iudicarent eam moraliter falsam esse potuisse , vt bene Salazar suprà §. *In primis*, cum multis adnotauit ; & ideo tandem Tridentinum eam definiuit. Idem dicito de illa controuersia celebri inter Ecclesiam Latinam , & Græcam , an Christus consecrauerit in pane azymo,vel fermentato ; vbi opinio Latina de consecratione in azymo, licèt maneat opinio , ea falsa moraliter esse nequit. Equidem, quod effecit declaratio Ecclesiæ circa maiorem probabilitatem præfatæ opinionis ; effecit circa opinionem piam cultus publici exhibiti ab Ecclesia Conceptioni immaculatæ. Vnde sicut illa, etiam manens opinio moraliter loquendo, falsa esse nequiuit ; ita opinioni piæ , perseueranti opinioni , cum multis viris doctis falsitatem moraliter inesse posse negamus.

Caput Maiores.

Neque obest, Pontifices expresse asseruisse , se neque per institutionem festi Conceptionis, neque per alia priuilegia concessa piæ opinioni velle præiudicium vllum afferre opinioni minùs piæ ; nã clarè loquuntur de præiudicio externo tollente probabilitatem illius , seu reddente illam improbabilem ; non verò de præiudicio intrinseco , quod formaliter , vel virtualiter secum important prædicta priuilegia, vt expresse testatur Gregorius decimus quintus in decreto edito feria 3.die 2 .mensis Maij , anni 1622. vbi , postquam prohibuit, ne aliquis in officio diuino aliud nomen in locum *Conceptionis* subrogaret , & ne publicè , aut secretè opinio minùs pia tradetur , subiunxit : *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem , nec ei vllum prorsus præiudicium inferre ; eam relinquens in eodem statu , ac terminis, in quibus reperitur* (attendas quæso exceptionem) *præterquam quòd in supra dicto decreto felicis recordationis Pauli quinti , & hoc suo decreto disposita.* Cùm autem priuilegium cultus publici approbati ab Ecclesia, præsupponat suum obiectum verum , vt hactenus in hoc capite ostendi ; idcirco eo ipso , quòd Pontifices festum Conceptionis immaculatæ instituerunt , & ei cultum publicum exhibuerunt ; aliquod præiudicium opinioni minus piæ

48. *Responsioni occurritur.*

Greg. XV.

piæ attulerunt ; siquidem fundamentum firmum iacuerunt , ex quo opinionem piam esse veriorem efficaciter concluditur. Ex quo solùm sequitur , opinionem minùs piam esse falsam ; non verò improbabilem : nam ad hoc vt aliqua opinio Theologica sit improbabilis , requiritur quod ita sit falsa , vt possit licitè à Theologis nota graui inuri , aut reprehendi ; quare cùm Pontifices nolint opinionem minùs piam subiacere censuræ , aut reprehensioni ; ideo præfatum Thomistarum placitum opinio probabilis perseuerat ; quamuis ipsi Pontifices per exhibitionem cultus B. Virginis Conceptioni vt immaculatæ, & per concessionem aliquorum priuilegiorum opinioni piæ , opinionem minùs piam falsam esse insinuarint ; siquidem Catholicis illi assentiendi libertatem relinquerunt.

49. *Alij obiectioni satisfit*

Insuper obijciunt aliqui contra argumentum relatum suprà n.14. Ecclesiam Græcam festum instituisse Conceptioni S. Ioannis Baptistæ vt constat ex martyrologio Vsuardi , & Menologio Græcorum ; & tamen illum in gratia fuisse conceptum negamus ; ergo licèt festum Conceptionis Mariannæ in Ecclesia Romana colatur ; inde eam tunc fuisse sanctam non concludetur. Iam respondi suprà n. 30. esse falsum , vel saltem dubium , Ecclesiam Græcam festum Conceptioni Baptistæ instituisse. Præterea respondi,dato, illud festum apud Græcos solemne fuisse , inter illud, & festum Conceptionis Marianæ esse discrimen : nam Græci nunquam coluerunt Baptistam, vt erat in primo instanti metaphysico sui esse , neque eum in officio illius diei expertem peccati , aut immaculatum pronuntiarunt , neque eius conceptionem sanctam esse dixerunt, sicut Ecclesia Latina facit in festo Conceptionis B. Mariæ. Vnde illud , non hoc festum solius actionis gratiarum esse , loco citato tradebamus. Denique, vt infirmitas prædictæ obiectionis, aut saltem inconsequentia aliquorum, ex Aduersarijs , magis appareat ; inquiro , an festum conceptionis Baptistæ inceperit celebrari in Ecclesia Græca tempore Apostolorum , vel posterioribus sæculis ? si prius responderis , inter illud , & festum Marianæ Conceptionis paritatem esse ; in eo quòd in neutro error, & falsitas insit , libenter admittam ; & ideo illud fuisse festum solius actionis gratiarum suprà n.30. respondi; tamen inde fateri cogeris , quod communiter negant Thomistæ , nempe in Ecclesia Latina festum Conceptionis Marianæ à tempore Apostolorum fuisse solemne ; tum quia hoc etiam affirmant Doctores graues , vt videbimns infrà cap. 7. tum quia Ecclesia Romana

B. Virgini addictissima est; vnde si ob auctoritatem extrinsecam, & ob deuotionem, quâ in Baptistam ferebantur, Græcos festum Conceptionis Baptistæ, à tempore Apostolorum celebrasse ais, etiam ob eadem fundamenta Ecclesiam Latinam festū Conceptioni Marianæ à tempore Apostolorum instituisse admittere oportet. Si verò respondeas festum Conceptionis Baptistæ non incepisse in Ecclesia Græca à tempore Apostolorum, sed in sæculis posterioribus; iterum inquiram, an illud festum fuerit approbatum à Pontificibus Romanis, vel non, sed ad summum toleratum? illud non dices, cùm nullus Pontifex, qui illud festum approbauerit, designari queat; si verò festum Conceptionis Baptistæ non est canonizatum à Pontifice, argumentum ex hoc festo desumptū contra opinionem piam, planè ruit; nam illud est institutum à particulari Ecclesia, quæ errare potest; & nostrum ab Ecclesia Romana, quæ in cultu exhibito Sanctis, à veritate deuiare nequit; & inter argumentum desumptum ex auctoritate fallibili, & infallibili, nulla paritas reperitur.

CAPVT IV.

Iterum auctoritate Ecclesiæ, & summorum Pontificum, B. Virginem fuisse expertē peccati, & in sua Conceptione sanctam, roboratur.

50. *Decretum Gregorij refertur.*

NOtandū est summos Pontifices non solùm officia specialia, in quibus Deipara sine peccato concepta esse dicitur, approbasse; & in prędicto sensu eius festū Conceptionis celebrantibus indulgentias impertiuisse (vt vidimus suprà c. 3.) sed etiam eosdē, facta potestate publicandi, docēdi, & populo persuadendi, tā publicè, quàm secretè Dei Genetricem ab omni labe originali præseruatam fuisse, seriò prohibuisse, ne aliquis contrariam opinionem publicè, aut secretè asserat, & ne de ea etiam in colloquijs priuatis aliquo modo tractet, aut loquatur. Ita Greg. dec. quintus per decretum editum in Congregatione Sanctæ Romanæ, & Generalis Inquisitionis, die 24. Maij, anno 1622. statuit; vbi relato & nouiter approbato decreto Pauli V. in quo opinionem minùs piam publicè tradi vetabatur, sic dicitur: *Extendit & ampliauit* (nempe Sanctitas Gregorij 15. prohibitionem Pauli quinti) *etiam ad ad priuata colloquia & scripta; mandans, & præcipiens omnibus & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per sanctitatem suam, vel Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare.* Vnde in posterum nemini licet minùs piam, opinionem alicui suadere, aut in fauorem illius loca Scripturæ explicare: & ideo qui illa testimonia Scripturæ, in quibus omnes mortui, & in peccatis concepti dicimur vniuersaliter, & sine vlla exceptione esse intelligenda affirmaret, præfato decreto contraueniret; siquidem minùs piam opinionem assereret, & de illa aliquo modo tractaret.

51. *Argumentū in fauorem B. Virginis ex relato decreto deducitur.*

Ex quo solidè (quidquid alij dicant) nobiles Theologi opinionem piam esse veram meritò deducunt. Nam Ecclesia visibilis Christi, est columna, domus, custos, & magistra veritatis, vt infrà numero 67. repetemus: quare cùm omnino expediat, vt columna, domus, custos, & magistra veritatis, non solùm veritatem custodiat, sustentet, conseruet, & foueat; sed etiam, ne occasionem præbeat, vt falsitas, & extorta sacræ Scripturæ explicatio inter fideles serpat, & dominetur; idcirco ex prædicto decreto opinionem piam esse veram, & contrariam falsam, rectè concluditur: alioquin si opinio minùs pia vera esset, Pontifices relinquendo liberam facultatem docendi, & omnibus persuadendi opinionem piam, & iuxta eam explicandi Concilia, & sacram Scripturam, & inhibendo ne minùs pia opinio publicè, aut secretè suadeatur, & ne iuxta eam sacra Scriptura exponatur; veritatem non custodiuissent, sed potiùs eam, & legitimam sacri textus explicationem, ab Ecclesia eliminassent; quod absurdum est. Quis enim sibi persuadebit Spiritum Sanctum permisisse, vt vera sententia, & germana Scripturæ interpretatio, à suâ domo, nempe Ecclesia, quodammodo exterminetur; & falsa opinio, & nothus sensus Scripturæ in ea dominetur. Si enim silere, & non resistere falsitati, & illegitimæ sacri textus expositioni, falsitatem fouere est, vt aiebat Innocentius Papa relatus infrà numero 56. potiori iure Pontifices concedendo facultatem liberam loquendi de opinione pia, & interdicendo etiam colloquia priuata de opinione minùs piâ, falsitatem, & malam Scripturæ intelligentiam promouisse censerentur.

52. *Aliter præfatum argumentum formatur.*

Scio aliquos recentiores præfatum argumentum eneruare studuisse; sed antequam eorum dictum argumentum solutionem referam, & depellā; aliud

aliud ex decreto Gregoriano in formam sic redigo. Quotiescumque summi Pontifices, vt tales, inter duas opiniones probabiles, ex quibus legitima interpretatio Scripturæ dependet, aliquam eligunt, vt probabiliorem, seu in eam magis propendent, idque verbis, vel signis, aut facto aliquo publico declarant; prædictam opinionem esse veram oportet: sed Pontifices, vt tales, saltem signis, vel varijs priuilegijs concessis in fauorem piæ opinionis, denotarunt se in hanc magis propendisse, eamque probabiliorem, & veriorem esse; ergo illa de facto probabilior, & verior est. Consequentia est legitima. Minor certa videtur: nam Pontifices approbarunt officium Conceptionis, in quo Deipara immaculata, & præseruata à peccato multoties nuncupatur; & hoc festum celebrantibus indulgentias concesserunt: insuper ijdem relicta facultate loquendi de pia opinione, patronis minùs piæ sententiæ omnimodum silentium imposuerunt; & consequenter omne obstaculum, quod impedire poterat, ne pia opinio quotidiè serperet, & magis in Ecclesiæ filijs radicaretur, substulerunt. Quæ omnia, vt minimum conuincnnt, Pontifices, vt tales, magis in eam propendisse, eamque probabiliorem & veriorem iudicasse, alioquin nostriæ præ contrariâ non fauissent; neque voluissent, vt, minus piâ opinione silentio sepultâ, nostra in Ecclesia dominaretur. Vnde maior formati syllogismi, in qua solùm potest esse difficultas, probatur: nam, vt ait S. Thomas 2.2. q. 10. art. 12. Ecclesiæ auctoritas, etiam circa res opinabiles, præcipuè connexas cum vera explicatione Scripturæ, maioris ponderis est, quàm auctoritas D. Augustini, & cuiuscumque ex Patribus: quare si auctoritas Augustini propendentis in vnam partem, facit vt eam veriorem existimemus, eamque sequamur; potiori iure auctoritas Pontificia denotans aliquam opinionem esse veriorem, efficiet, vt eam, vtpote veriorem, & probabiliorem eligamus. Ob hanc causam Latini Christum in azymo consecrasse sentimus, nempe quia Ecclesia Latina huic opinioni magis fauet. Insuper Theologi omnes à tempore, quo in capite Maiores de Baptismo, Pontifex declarauit opinionem asserentem paruulis gratiam per baptismum conferri, eam constanter propugnarunt: ob eandem causam Suarius tom. 3. in 3.p. disput. 45. sect. 4. Vasquez ibidem disput. 17. cap. 1. & alij existimantes Innocentium tertium in capite Martha elegisse vt probabiliorem sententiam negantium aquam conuerti immediatè in sanguinem Christi, eam vltro amplectuntur. Vnde maior in-

S. Thom.

Caput Maiores.

Suarez.

Vasquez.

inclinatio sedis Apostolicæ in aliquam opinionem, eam esse veriorem, & probabiliorem planè conuincet, vt formati syllogismi assumptum supponebat, de quo iterum agemus disput. 13. n. 4.

53. *Responsioni occurritur.*

Forsan non nemo respondebit, Sedem Apostolicam propendisse in aliquam opinionem vt probabiliorem, non esse argumentum efficax veritatis illius; sed solùm arguere eam opinionem melioribus niti fundamentis. Contra hoc est: nam eo ipso quòd Ecclesia aliquam opinionem probabiliorem esse, & melioribus niti fundamentis innuit; denotat eam & fundamenta esse veriora; siquidem opinio probabilior, & opinio verior æquipollent; quod conuincit opinionem declaratam ab Ecclesia vt veriorem, seu probabiliorem, esse veram, vt bene Turrianus de Fide disput. 55. dub. 5. Salazar de Concept. cap. 43. §. *in primis* & multi alij. Et ratio est: nam eo ipso quòd fideles viderent in aliquam partem Pontifices vt tales inclinare, & eam, vtpote probabiliorem, amplecti, eam omnes sequerentur; quæ si falsa fuisset iam Sedes Apostolica adiuuisset vt falsitas & error in Ecclesia Catholica serperet, & dominaretur, quod absurdum est; siquidem præsumi nequit (vt suprà n. 51. dicebamus) Spiritum Sanctum permissurum, vt in tota Ecclesia Catholica opinio re ipsa falsa pro vera, & expositio illegitima sacri textus, pro legitima, & germana haberetur.

Turrian. Salazar.

54. *Responsio ad decretum relatum refertur.* Grauina.

Contra hactenus dicta in hoc capite insurgit nouissimè Grauina 2.p. tomi 4.q.6.art 3. & illa varijs modis labefactare procurat. Primò ait, decretum Gregorij 15. non ex potestate definitiuâ dogmatum, sed solùm ex potestate iurisdictionis legislatiuâ, seu politicâ, ortum duxisse; vnde illud non arguit opinionem piam esse veram, sed solùm decere ad vitandam inuidiam, & contentiones, vt minùs pia sententia his temporibus neque publicè, neque secretè proferatur. Sicut enim Sixtus quartus inhibuit, ne S. Catharina Senensis cum sacris stigmatibus depingeretur; ita Gregorius interdixit, ne opinio minùs pia tradatur. Vnde sicut illud decretum, vtpote ortum ex potestate iurisdictionis Pontificiæ, non induxit opinionem affirmantem S. Catharinæ fuisse impressa stigmata, à vero deuiasse, (siquidem hanc historiam Vrbanus Octauus postea approbauit; & in lectionibus officij prædictæ sanctæ Catharinæ recitari iussit) ita quia præfata prohibitio Gregorij 15. ex potestate iurisdictionis emanauit, ea opinionem minùs piam esse falsam, nullatenus innuit.

55. *Notabile.*

Vt obiectioni satisfaciam, & pariter nostrum discursum magis stabi-

ſtabiliam, præmoneo, inhibitionem alicuius opinionis eſſe duplicem: aliam, quæ ita opinionem à cathedris & colloquijs priuatis eliminat, vt contraria opinio neque tacitè, neque virtualiter, neque vllo modo approbetur: aliam, quæ ita opinionem interdicit, vt pariter contineat aliqualem partis contrariæ approbationē. Inter quas probationes magnū diſcrimen intercedit: prior, cùm nullatenus ad veritatem, aut falſitatem opinionum attendat; ſed ſolùm ad rectam, & politicam gubernationem; & aliunde ad hanc aliquoties pertineat, vt bonum omittatur, & verum non proferatur; idcirco ex tali prohibitione, ſententiam vetitam eſſe falſam, non colligitur, vt bene Grauina ſuprà, & conſtat ex doctrina Cani de locis 5. cap. 4. Perez de Eccleſ. cap. 6. dub. 23. Ob hanc cauſam inhibitio Sixti quarti, ne S. Catharina Senenſis cum ſtigmatibus depingeretur, & inhibitio Vrbani Octaui, ne imaginibus defunctorum non beatificatorum, radij, aut ſigna denotantia cultum ſacrum apponantur, non ſuadent impreſſionem ſtigmatum S. Catharinæ, & ſanctitatem prædictorum defunctorum eſſe falſam; ſed ſolùm Pontifices nolle, vt cultus ſacer alicui ſine conceſſione Sedis Apoſtolicæ deferatur. Attamen inhibitio alicuius opinionis continens aliqualem approbationem partis contrariæ, & in illud placitum maiorem Eccleſiæ propenſionem; argumentum robuſtum eſt falſitatis opinionis prohibitæ. Quippe Eccleſiæ veritas, & integritas, ſeu rectitudo, vtpote ab Spiritu Sancto gubernatæ, tanta eſt, vt non ſolùm in ſuis ſanctionibus ad fidem, vel mores pertinentibus, errare nequeant Pontifices; ſed etiam ijdem in eiſdem non valeant in opinionem falſam præcipuè connexam cum illegitimâ Scripturæ expoſitione, magis propendere, illamque aliqualiter approbare.

Grauina. Canus. Perez.

Vnde impræſentiarum inter Patronos piæ, & minùs piæ opinionis lis erat, an Paulus 5. & Gregorius 15. in ſuis decretis ita opinionem minùs piam inhibuerint, vt pariter contrariam aliqualiter approbauerint, & in eam magis inclinauerint; ſeu, quod idem eſt, eam doceri, prædicari, populoque ſuaderi poſitiuè (ſiquidem qui aliquid poſitiuè fieri deſiderat, illud approbare cenſetur.) Negabit ſine dubio Grauina, ne ex huiuſmodi decretis Thomiſtarum ſententia depellatur; at nos ob oppoſitum fundamentum in eis aliqualem piæ opinionis approbationem, & in eam, vtpote veriorem, & probabiliorem, magnam Sedis Apoſtolicæ inclinationem involui ſentimus. Quam concluſionem multa ſuadent. Primò Paulus, & Gregorius nullatenus piam opinionem

56. *Solutio alata reiicitur.*

nionem inhibuerunt, vt ſic æqualitas inter vtramque ſententiam ſeruaretur; ſed relictâ facultate loquendi publicè & ſecretè de opinione piâ, contrariam ſilentio ſepultam manere voluerunt; quo noſtra opinio ſine obſtaculo vllo quotidie magis creſcet, & in cordibus fidelium maiores radices aget: quod eſt aliqua piæ opinionis approbatio. Nam, vt habetur cap. *Error* diſt. 83. ex Innocentio: *Error, cui non reſiſtitur, approbatur vt veritas.* Sanè qui non ſolùm non reſiſtit falſitati, cùm facilè poſſit, ſed etiam occaſionem præbet, vt ea ſerpat; & inſuper eius contradictorium à cathedris, lectionibus, & fidelium colloquijs eliminat, illam vt veram approbaſſe cenſetur. Hoc argumento vſus fuit Marianus Archimandrita ſcribens ad Agapetum Papam, dum ait: *Non poſſunt duo contraria ſimul eſſe vera: ſi Hæreticis facultas detur hæreſes prædicandi; iſtud ipſum fateri eſt, apud ipſos veritatem eſſe, nobis autem illam penitus defuiſſe.* Et Sanctus Gregorius orat. 46. ad Nectarium, loquens de Apollinariſtis, quibus licentia loquendi dabatur, ſic ſcribit: *Si illis, vt piè ſentientibus, & quæ ſentiunt docere, liberèque promulgare permittitur; quis non videt Eccleſiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorū partibus ſtante?* Secundò, iuxta conſuetudinem receptam in Eccleſia, Concionatores myſteria, illo die occurrentia, populo explicare; & de illis tractare ſolent, vt homiliæ Patrū, & praxis cōmunis manifeſtat. Vnde, ſicut in feſto Natiuitatis Chriſti, B. Virginis, Baptiſtæ, & ſimilibus, de illis myſterijs ſermo inſtituitur, etiam in feſto Conceptionis B. Virginis de Conceptione illius iuxta conſuetudinē approbatam in Eccleſia, agi debet. Cæterùm cùm Pontifices vetuerint, ne B. Virginem in peccato conceptam vllatenus aſſeratur, planè ſequitur eos voluiſſe, vt in prædictis ſermonibus de Conceptione Mariana, à peccato originali præſeruatâ, tractaretur; ſiquidem opinio pia, & minùs pia contradictoriè opponuntur; & ita interdicto ſermone de hâc; ſermonem de illâ poſitiuè volitum eſſe, neceſſe eſt; quod eſt etiam quædam approbatio opinionis piæ, cùm inuoluatur poſitiua voluntas Pontificū, vt noſtra opinio publicetur, & populis perſuadeatur. Neq; obſtat, ſi dicas, Pontifices poſitiuè ſolùm velle, vt tractetur de Conceptione Deiparæ vt ſic, abſtrahendo à prædicta controuerſia, tū quia gratis id dicitur, tum quia ſi Concionatores in prædictis feſtiuitatibus myſteriū præfatū præterirent, & B. Virginem à peccato immunem fuiſſe, non detonarent; fideles multoties ſcandalizarentur, & contentiones eſſent: vnde ſicut præfati Pontifices, vt has vitarent, agi de opinione minùs piâ noluerunt; ob eandem cau-

Innocen.

Grauina.

cauſam agi de pia illos poſitiuè voluiſſe, fateri oportet. Tertiò in prædictis decretis contineri aliqualem approbationem opinionis piæ, verba ipſorum oſtendunt. Nam Pontifex, poſtquam opinionem minùs piam à conuerſatione fidelium eliminauit, inhibuit ne in officio, & miſſa feſti Conceptionis, in locum Conceptionis, *ſanctificatio*, aut aliud nomen ſubſtitueretur; vt in nonnullis Eccleſijs Thomiſtarum fiebat; ſed omnes in prædicta feſtiuitate nomine *Conceptionis* vterentur: quod (vt oſtendimus ſuprà n. 17.) arguit opinionem piam veram eſſe, & aliqualiter à Pontifice approbatam; ſiquidem quod fauebat opinioni minùs piæ ſuſtulit; & quod noſtram promouet, in officio apponi mandauit. Denique ipſa vniuerſalis prohibitio noſtrum intentum adſtruit: nam Pontifex non ſolùm interdixit publicam, aut ſecretam aſſertionem minùs piæ opinionis, quando ex ea ſcandalum, inuidia, aut contentiones ſequerentur; ſed etiam quando nullum periculum horum inconuenientium interuenit. & ita ſi duo Thomiſtæ eodem prorſus imbuti colore, remotis arbitris de opinione minùs pia colloquerentur, illamque affirmarent; præfato decreto contrauenirent: hoc enim ſignificant illa verba vniuerſalia: *Neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd Beatiſsima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare.* Quod profectò argumentum eſt Sedem Apoſtolicam ab opinione minùs pia auerſam eſſe, & in opinionem piam valde propendere; alioquin illam doceri, ſaltem quando abeſſet ſcandalum, non interdixiſſet. Quod adhuc ſolidius erit, ſi aduertas, à ſæculo non eſſe auditum, vt Pontifices aliquam opinionem à conuerſatione publicâ, & ſecretâ fidelium, omnino relegauerint; & eam poſtea inuentam fuiſſe veram. Confirmatur, quia Pontifices Romani inhibuerunt Latinis, ne in fermentato conſecrarent, eiſque Sacramentum Euchariſtiæ in azymo conficere præceperunt; omnes Latini ſentimus Chriſtum in azymo conſecraſſe: ergo quia ijdem Pontifices inhibuerunt, ne de minùs pia opinione vllo modo tractemus, & inſuper feſtum de præſeruata Conceptione inſtituerunt; noſtram opinionem eſſe veriorem concludetur; ſiquidem hæc inhibitio vniuerſalior & magis odioſa opinioni minùs piæ eſſe videtur, quàm illa opinioni Græcorum eſt; & inſuper vſus honorandi Deiparam, vt præſeruatam, nobis fauet. Ex quo obiectio ſuprà n. 54. relata, ſoluta manet.

Inſtat Grauina, Pontifices non

57. *Ad inſtantiam reſpondetur.*

non prohibuiſſe opinionem minùs piam, quia falſa ſit; ſed ſolùm quia de ea loqui, occaſio inuidiæ, ſcandali, aut contentionum præbebatur, vt ipſi in præfatis decretis expreſsè tradiderunt; ergo ex hoc principio piam opinionem eſſe veram, nullatenus deducetur. Fateor cauſam principalem motiuam prædictæ inhibitionis, non fuiſſe falſitatem opinionis minùs piæ; ſed exterminium ſcandalorum, & contentionum; & ideo illa, etiam poſt prædicta decreta, probabilis perſeuerat; nihilominus præfata eliminatio opinionis minùs piæ, arguit eam eſſe falſam, & contrariam veram; tum quia inuoluit aliqualem approbationem piæ opinionis, & in eam Sedis Apoſtolicæ propenſionem (vt dicebamus ſuprà n. 56.) tum quia cùm ex veritate, aut falſitate harum opinionum, dependeat verus & legitimus ſenſus plurium locorum Scripturæ; ſi opinio minus pia, vera eſſet, Deus non permiſiſſet eam ad eum ſtatum peruenire, vt Sedes Apoſtolica eam ad vitanda ſcandala, ab ore, & calamo fidelium penitus exterminare cogeretur; ſiquidem hoc re ipſa fuiſſet veritatem ab Eccleſia relegare, & legitimum ſenſum Scripturæ publicè, aut ſecretè dici, prohibere.

58. *Obiectio diſſoluitur.*

Tertiò inſtat Grauina, præfatos Pontifices noluiſſe per ſuum decretum opinioni minùs piæ præiudicium aliquod afferri, vt ipſi teſtantur; quod abſque dubio illatum fuiſſet, ſi argumentum inde confectum, opinionem piam veram, & contrariam falſam eſſe perſuaderet. Etiam hæc obiectio vires noſtri diſcurſus non imminuit: nam expreſsè Gregorius 15. excepit præiudicium, quod præfata decreta ſecum important, & illud opinioni minùs piæ inferre voluit, vt conſtat ex verbis relatis ſuprà n. 48. quare cùm præfatum decretum aliqualem approbationem piæ opinionis præſeferat; idcirco illud veritatis noſtræ opinionis argumentum eſt, vt ſuprà numero 48. agens de cultu exhibito Deiparæ, vt primò conceptæ, philoſophabar. G eg. XV.

59. *Alteri obiectioni fit ſatis.*

Quartò vrget Grauina, vel præfatum decretum Gregorij eſt argumentum certum falſitatis opinionis minùs piæ, vel non? Prius nemo ſanæ mentis effutiet; cùm adhuc poſt illud decretum, illam manere probabilem Pontifex ipſe declarauerit; & ideo contraria ſententia per illud certò vera reddi nequit. Si poſteriùs reſponderimus, planè ſequitur argumentum inde deductum ſolùm eſſe probabile & veriſimile, cùm principio incerto nitatur. Reſpondeo, argumentum prædictum non eſſe metaphyſicè certum, vt bene probat diſcurſus Grauinæ; nihilominus illud ita ſolidum moraliter eſt, vt con-

clusionem non metaphysicè certam, sed solùm moraliter veram inducat, sicut suprà n. 47. de argumento ex festiuitate Conceptionis Deiparæ desumpto, adnotaui. Vnde sicut illud, quia non est metaphysicè certum, conclusionem veram ita infert, vt probabilitatem partis contrariæ non euertat; ita argumentum hoc minùs piam sententiam, non improbabilem, sed solùm falsam esse persuadet.

60. *Alia obiectio.* Rosende.

Insuper Antonius Gonzalez de Rosende in supplici libello ad sanctissimum Dominum nostrum Innocentium 10. de hoc mysterio definiendo, se opinionem piam sequi præseferens, aliqua fundamenta, quibus multi patroni piæ opinionis innituntur, labefactare procurat; & ita argumentum in hoc capite formatum, languidum esse vult. Nã Ioannes 22. præcepit Doctoribus Vniuersitatis Parisiensis, vt opinionem re vera falsam defenderent; (nempe animas defunctorum Deum ante diem iudicij nõ visuras) & ne aliquem ad gradum promouerent, ni priùs se illam secuturum iuraret; & tamen ex illo decreto, nemo opinionẽ illã esse veram deducet; cùm postea fuerit à Benedicto 12. condemnata: ergo &c. Verùm enimuerò si hæc obiectio vires haberet, etiã conuinceret, Pontifices in decretis pertinentibus ad mores, errare posse; siquidem Ioan. 22. erraslet mandando positiuè, quòd iurarent sequi opinionem falsam à parte rei. Neque satisfacit Rosende respondendo, Ioannem id, vt Doctorem particularem præcepisse; nam est aperta implicatio; cùm illud præceptum à potestate iurisdictionis emanarit, quę Ioannem 22. non vt Doctorem particularem, sed vt supremum Ecclesiæ Pontificem, concernebat.

Quare ad obiectionem respondeo, falsum esse Ioannem illud præceptum Sorbonæ impositisse; cùm illud decretũ authenticè nõ extet: accedit prædictum Pontificem in articulo mortis constitutum, affirmasse (vt ex probatis auctoribus refert Vasq. 1. 2. disp. 19. n. 9.) se nunquam illam opinionem sensisse; sed solùm de illa disputasse; cum quo non bene cohæret illũ imposuisse prædictum mandatum. Neq; obstat aliquos huius præcepti mentionẽ fecisse; nam, vt bene Vasquez suprà, & Bellarm. li. 4. de Pontifice ca. 14. nonnulli Catholici ex odio personæ, & aliqui hæretici ex odio Sedis Apostolicæ, contra prædictũ Ioannẽ multa falsa excogitarunt; vnde eis fides adhiberi nõ debet. Quare meritò Grauina 2. p. tom. 4. q. 2. art. 4. obiect. 48. hanc historiam fabulam esse arbitratur. Denique, vt obiectio prædicta inanis appareat; do prædictum mandatum à Ioanne fuisse impositum; indène nostrum argumentum infirmum reddetur? Nequaquam,

61. *Obiectio infirmatur.* Vasquez. Bellarm. Grauina.

quam, cùm Ioannes 22. vt bene aduertit Grauina suprà, non fuerit Pontifex indubitatus, sicut Gregor. 15. & Paulus 5. cùm ille tempore schismatis regnarit; & sanè ex decreto Pontificis incerti, ad decretum Pontificis indubitati, arguere non expedit.

CAPVT V.

Aliud argumentum desumptum ex communi sensu fidelium, in fauorem opinionis piæ conficitur.

62 *Notabile.* Ecclesia visibilis Christi Domini, tantæ est auctoritatis, vt ea non solùm in Concilio generali congregata; sed etiam extra Concilium existens, & per orbem diffusa in rebus ad fidem, vel mores pertinentibus, errare non possit; & ideo quando ferè omnes Episcopi, Theologi, Interpretes, Concionatores, communitates, & fideles, vnanimi consensu aliquid constanter amplectuntur; illud esse verum oportet, vt bene Bellarminus de Ecclesia lib. 3. cap. 16. Valentia 2. 2. disput. 1. q. 1. puncto 7. §. 17. Salazar de Conceptione cap. 43. §. 4. Becanus de fide cap. 5. à numero 25. Palao tom. 1. tract. 4. disputatio. 1. puncto 5. §. 8. Granados contro. 1. de fide tract. 8. disp. 2. sect. 4. & alij communiter, præcipuè Controuersistæ supponunt, & stabiliunt. Vnde S. Augustinus epist. 118. disputare contra id, quod in Scriptura continetur, vel contra id, quod Ecclesia per orbem dispersa, sentit, insaniæ, & insolentiæ attribuit.

Bellarm. Valentia. Salazar. Becanus. Palao. Granados. Augustin.

Ex dictis promissum argumentum sic in formam redigo. Quidquid pertinens ad fidem, vel mores, sentiunt ferè omnes Prælati, Doctores, & fideles, est verum; sed B. Virginem conceptam fuisse sine peccato, pertinet ad doctrinam fidei, & morum; & insuper est communis sensus ferè totius Ecclesiæ, & fidelium; ergo eam fuisse expertem peccati originalis necesse est. Consequentiam esse legitimam nemo negare potest; Maior constat ex notabili præcedenti. Minor continet duas propositiones, aliam mysterium Conceptionis Marianæ in gratiã, esse communem sensum Ecclesiæ; & aliam prædictum mysterium ad doctrinam fidei & moris spectare. De priori parte non est controuersia, cùm omnes ferè Episcopos, Doctores, Vniuersitates, communitates, & ferè omnes fideles piæ opinioni constanter adhærere videamus. Posterior pars probatur: nam illud dubium, an aliquid sit obiectum seu materia alicuis vitij, aut virtutis, ad mores spectat; vnde cùm in hac controuersia inquiratur, an Beata Virgo,

63. *Argumentũ pro pura Conceptione formatur.*

prout erat in primo instanti suæ Conceptionis, sit obiectum re ipsa religiosi cultus eam ad mores pertinere necesse est: insuper prædicta quæstio pertinet, saltem remotè, ad doctrinam fidei; nam definibilis est ab Ecclesia, & aliqua ex duabus opinionibus oppositis continetur in Scripturâ (vt dicemus infrà disputatio. 12. cap. 2.) quod sufficit ad hoc vt eam ad materiam fidei, saltem remotè, pertinere dicamus.

65. *Euasioni occurritur.*

Huic argumento duæ possunt adhiberi solutiones: primò respondebis, opinionem piam non esse communem sensum totius Ecclesiæ, cùm ferè tota Dominicana familia opinionem minùs piam sequatur, & propugnet; vnde ex communi sensu Ecclesiæ validum argumentum pro immaculatâ Conceptione desumi nequit. Contra hoc est; nam (præterquam quod plurimi Thomistæ iam in hac parte nostra castra sequuntur) licèt Dominicana familia nobilissima pars Ecclesiæ sit; nihilominus ea cum reliquis omnibus religionibus, communitatibus, Episcopis, Doctoribus, vniuersitatibus, & denique fidelibus, comparata; exigua Ecclesiæ pars est. Quare eius sententia veritatem communis sensus cæterorum fidelium, non labefactat. Et ratio est; nam assistentia Spiritus Sancti, non est infallibiliter promissa huic vel illi particulari religioni; sed toti Ecclesiæ, seu communitati totam Ecclesiam repræsentanti; vnde vna, vel altera familia religiosa, à vero deflectente, Christi Ecclesia Spiritum veritatis conseruare potest: cùm autem neque religio sola Dominicana, neque sola Franciscana, aut sola Iesuistica, sit tota Ecclesia, seu illam totam non repræsentet; ideo non iudicio vnius vel alterius religionis, aut scholæ; sed reliquarum omnium fidelium totam Ecclesiam repræsentantium, stare debemus. Confirmatur, quia non minor, sed maior pars Prælatorum in Concilio legitimo congregatorum, totam Ecclesiam repræsentat; non minorem, sed solùm maiorem partem Prælatorum, errare non posse communiter asseueramus; ergo quia non sola Dominicana familia, sed reliqui omnes fideles, vtpote longè maior & numerosior pars Ecclesiæ, eam repræsentat; non huic, sed illi, error circa aliquid ad doctrinam fidei, vel moris spectans, conuenire potest.

66. *Alia responsio.*

Secundò respondent aliqui, communem sensum ferè ommum Doctorum, Prælatorum, & ferè totius Ecclesiæ, non esse argumentum efficax alicuius veritatis, nisi ille inceperit à principio Ecclesiæ, & in hodiernum diem perduraverit; siquidem in diuersis sæculis diuersas opiniones

nes esse communiores scimus; cuius assertionis argumentum est, quod circa opinionem piam, & minùs piam contigit. Opinio enim minùs pia, tempore S. Bonauenturæ in Scholis communissima fuit, vt ipse Sanctus Doctor in 3. dist. 3. art. 1. q. 2. testatur; quæ his temporibus paucos Patronos habet. Vnde sicut ex eo quòd prædicta opinio præfatis temporibus communis fuerit, non bene infertur, eam esse veram; ita ex eo quòd modò præfatam sententiam ferè ab omnibus recipi videamus; eam esse veram efficaciter non concludetur.

Bonauen.

67. *Responsum explodituri.*

Præfata etiam solutio infirma est: nam non solùm communis sensus omnium ferè fidelium ab exordio Ecclesiæ, hucusque perseuerans; sed etiam communis & constans sensus ferè omnium Prælatorum, Doctorum, & fidelium de nouo introductus, est argumentum efficax alicuius veritatis (vt Doctores relati n. 29. innuunt) & ratio est; nam cùm Ecclesia Dei sit columna, magistra, custos, & domus veritatis (vt ex Scriptura, & Patribus benè probat Becanus suprà) & aliunde ad columnam, magistram, domum & custodem veritatis, eam sustentare, docere, custodire, & retinere expectet; ideo eo ipso, quòd Christus suam Ecclesiam, columnam, magistram, custodem, & domum veritatis constituit; ne ea tota etiam per vnicum sæculum, imò neque annum, aut diem, expulsa veritate, falsitatem custodiat, doceat, aut sustentet, impedire debet: proculdubio ob hanc causam, Pontifices, quando aliquod dogma definire, vel aliquem virum in numerum Sanctorum referre volunt, non solùm inuestigant, quid olim senserint fideles, sed quæ sit mens tunc viuentium circa illud punctum, seu controuersiam; nempe quia iudicant Deum non permissurum, vt communis consensus totius Ecclesiæ visibilis, tunc temporis existentis, decipiatur, & falsum pro vero habeat. Quapropter cùm videamus opinionem piam saltem in hoc, & præcedenti sæculo ferè ab omnibus Christi fidelibus lubenti & constanti animo tanquam verissimam, receptam esse, ei falsitatem subesse non posse, cum Suario tom. 2. in 3. p. disp. 3. sectione 5. Vasquez ibidem disputatio. 117. cap. 14. Granados tom. de Incarnat. controuers. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 30. numero 343. & multis aliis, affirmamus. Roboratur discursus: olim communis sensus fidelium nouiter introductus circa sanctitatem alicuius defuncti, non resistente summo Pontifice, illum ita canonizabat, vt postea eum esse damnatum effutire nefas esset; vt constat ex vsu antiquo canonizandi, quem recenset Gra-

Becanus.

Suarez. Vasquez. Granados.

Granados controu. 1. de fide tract. 7. disput. 3. sect. 3. ergo etiam communis consensus totius Ecclesiæ, etiam nouiter introductus circa sanctitatem Virginis in primo instanti sui esse, illam tunc fuisse sanctam, arguet, cùm vtrobique eadem ratio esse videatur. Neque nostrum discursum infringit quòd minùs pia opinio tempore S. Bonauenturæ fuerit communissima in scholis; nam inter opinionem piam & minùs piam, magnum discrimen intercedit; tum quia licèt in Schola Parisiensi, & nonnullis alijs, de quibus D. Bonauentura sine dubio solùm locutus fuit; opinio minùs pia communissima fuerit; at in Hispania, Anglia, & in alijs prouincijs, vbi festum Conceptionis tunc temporis celebrabatur (vt constat ex dictis suprà n. 10.) opinio pia communior erat; tum quia opinio minùs pia prædicto tempore intra Scholas solùm erat communior, non verò in tota Ecclesia; neque eam tunc Prælati, concionatores, communitates & ferè omnes amplectebantur; tum quia Doctores, qui communiter opinionem minùs piam sequebantur, constanter eam non defendebant; siquidem modò hanc, modò illam propugnabant, vt accidit S. Thomæ, S. Bonauenturæ, & nonnullis alijs relatis numero 77. ex quo apparet, communem sensum antiquum circa opinionem minùs piam, eius veritatis argumentum non esse, sicut præsens communis sensus Ecclesiæ circa opinionem piam, eam esse veram arguit. Neque est periculum, ne iterum minùs pia opinio in antiquo statu reponatur, & fiat communior in Scholis; nam à tempore Sixti quarti Pontifices piam opinionem promouerunt, & illam varijs signis probabiliorem esse innuerunt, vt vidimus suprà à n. 11. Insuper quid Patres circa hanc controuersiam senserint, diligenter est inuestigatum, fundamenta contrariæ partis soluta, noua testimonia, & rationes in fauorem opinionis piæ conquisitæ; quo factum est, vt nostra opinio inualescat, & singulis diebus in Ecclesia communior fiat.

CAPVT VI.

Ex varijs reuelationibus, B. Virginem à peccato originali immunem fuisse, persuadere adnitimur.

68. *Varia reuelationes de immaculata Conceptione circumferuntur.* Spinelus. Salmeron.

VArijs sanctis, seu illustribus viris, aut fœminis, fuisse reuelatum Deiparam peccatum originale nunquam habuisse, Spinelus lib. de B. Virgine tract. de festis in principio, Salmeron in epist. ad Rom. disp. 52. & alij graues Scriptores testantur: quarum aliquas commemorare placet.

Ansel. cet. Primò S. Anselmus Cantuariensis epistolâ ad Episcopos Angliæ, præfatam veritatem tribus diuersis personis fuisse diuinitus petefactam, scribit. Neque obstat quòd aliqui huius epistolæ auctoritatem eleuare procurent; nam eam fuisse Anselmi graues viri testificantur. Salazar. Legatur Salazar de Conceptio. cap. 35. §. 5. Insuper B. Amadeo eandem veritatem fuisse cœlitus manifestatam, constat ex eiusdem libro, cuius titulus est, Apocalysis Sancti Amadæi, & in Bibliotheca Regia Scarialis asseruatur. Idem sibi fuisse reuelatū refert. S. Mechtildis libro 1. suarum reuelationum. Præterea Cellensis. Petrus Cellensis libro 9. epi. epistola 9. de hac re aliam recenset reuelationem. Deinde mysterium sanctæ Conceptionis Marianæ varijs miraculis fuisse confirmatum, tradunt Salmeron, & Spinelus suprà, ex quo nostram piam opinionem esse veram concludo; siquidem Deus neque reuelare, quod falsum est, neque illud miraculis comprobare potest.

69. *Immeritò præfatæ reuelationes ab aliquibus parui fiunt.* Aliqui miracula, & reuelationes, quæ in fauorem opinionis piæ allegantur, parui faciunt; & aiunt, nisi ea ab Ecclesia approbentur, ad stabiliendum aliquod dogma nullatenus deseruire; tum quia vel sunt figmenta; tum quia ea per Sathanam in Angelum lucis transformatum, peracta sunt; tum quia quilibet sibi hoc vel illud reuelatum fuisse asseueraret, vt opinio, quam mallet, introduceretur. Addunt prædicti Doctores hanc responsionem fuisse D. Bernardi, qui epist. 175. ad Bern. Lugdunenses innuentes se festum Conceptionis peragere; quia id aliquibus fuerat reuelatum, ita scribit: *Sed profertur scriptum supernæ, vt aiunt, reuelationis, quasi & quiuis non queat scriptum æquè producere, in quo Virgo videatur id ipsum mandare, & de parentibus suis iuxta Domini mandatum dicentis: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ipse mihi facile persuadeo scriptis talibus non mouri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa innitur fauere auctoritas*, & in fine epistolæ subiunxit: *Nam si sic videbatur* (scilicet festum celebrare propter rationes, & reuelationes allegatas à Lugdunensibus) *consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis auctoritas.*

70. *Idem roboratur.* Prædictam solutionem infirmam esse, mihi persuadeo; nam licèt reuelationibus cuiuslibet fides temerè adhibenda non sit, vt bene Bernardus suprà; attamen reuelationes virorum, aut fœminarum sanctarum & fide dignarum circa res probabiles, magnam vim habent, vt testatur Caietanus tom. 2. Caietan. opusculorum, tractat. 1. capite 1. & bene probat Salmeron suprà, Salmeron.

tum ex 2. Corint. 11. & alijs testimonijs Scripturæ, tum auctoritate D. Cypriani lib. 4. epist. 4. tum D. Bonauenturæ in 3. dist. 3. tum varijs exemplis: de quo iterum sermo redibit infrà disput. 12. à numero 36. Vnde cùm Amadæus, Anselmus, Mechtildis, & nonnulli alij fuerint sanctitate insignes, & consequenter fide digni; eorum reuelationibus fidem adhibere debemus.

Cyprian. Bonaven.

71. *Reuelationes factæ sanctitate illustribus & à fide dignis traditæ magni fieri debent.*

Sed quidquid sit de præfatis, & alijs similibus reuelationibus; do, argumentum desumptum ex illis, infirmum esse ad aliquam opinionem stabiliendam; dummodò concedatur, quod nemo sanæ mentis negare potest, nempe miracula, & reuelationes factas personis sanctis, & quas Ecclesia post diligens examen, vt ortas à diuino Spiritu, approbauit, esse argumentum irrefragabile veritatis alicuius opinionis; bene Caietanus suprà, Granadas controuers. 1. de fide tract. 1. disput. 1. à numero 11. Suarius to. 2. in 3. p. dis. 31. sect. 7. adnotarunt. Quæ sine dubio fuit mens Bernardi epist. citata ad Lugdunenses, vbi, postquam argumentum desumptum à quadam reuelatione dissoluit, subnectit: *Ipse mihi facilè persuadeo scriptis talibus* (nempe reuelationum) *non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere auctoritas.* & in fine epistolæ concludit; *Nam si sic videbatur* (scilicet propter rationes, & reuelationes allegatas à Lugdunensibus) *consulenda erat prius Apostolica sedis auctoritas.* Ergo quando ratio, & certa auctoritas, qualis est testis fide dignus reuelationis, & approbatio Ecclesiæ, reuelationi suffragatur, ea argumentum certum veritatis reuelatæ esse debet. Ob hanc solam causam communis consensus Ecclesiæ S. Paulum Eremitam canonizauit; nempe quia S. Antonius Abbas eius gloriam fuisse sibi reuelatam, affirmauit, vt aduertit Ribadeneira in suo Flore sanctorum. Insuper, vt refert Salmeron in capite 5. epistolæ ad Rom. ob reuelationem factam Hermeti Pius primus Pascha die Dominica celebrari mandauit. Et Innocentius tertius in canonizatione S. Homoboni, vt ait Surius, Confessarij testimonium magni fecit, & teste Grauina 2. p. tom. 4. q. 5. art. 2. §. *Responsio ad alia motiua*; Pius secundus ob testimonium Raimundi Capuani recepit reuelationes S. Catharinæ Senensis. Confirmatur, miracula facta in testimonium sanctitatis alicuius defuncti, & approbata ab Ecclesia, sunt argumentum certum eiusdem sanctitatis; & ideo Pontifices eis moti, nonnullos in catalogum sanctorum referre solent; ergo etiam reuelatio, quam sibi factam, vir aut fœmina sancta,

Salmeron. Surius. Grauina.

cta, & fide digna testatur, & approbata ab Ecclesia, rem reuelatam aliàs probabilem, conuincet; cùm sit eadem, ratio, Neque obstat si dicas, non reuelationem alicui factam, vtpote internam, sed miracula externa, vtpote multis nota, esse argumentum certum alicuis veritatis. Hoc, inquam, non obstat; nam, vt bene aduertit Salmeron suprà, miracula externè facta in testimonium sanctitatis alicuius defuncti, solùm sunt nota Pontificibus, & Ecclesiæ ob dictum aliquorum hominum, de quorum sanctitate, & veritate non ita constat Ecclesiæ, ac de sanctitate, veritate alicuius canonizati, vnde si præfatum testimonium paucorum sufficit ad hoc, vt Ecclesia prædicta miracula approbet, & eis semel approbatis mota, aliquem canonizet, vel aliquid definiat; multò meliùs testimonium alicuius Sancti canonizati, de reuelatione sibi facta circa materiam probabilem, sufficiet ad hoc vt præfata reuelatio approbetur ab Ecclesia, & postea Pontifex eà motus, procedat ad definitionem; siquidem testimonium Sancti canonizati in materia graui, magis quàm testimonium quatuor, vel quinque aliorum mouet, & vrget.

Secundò moneo, S. Birgittam, quæ à Bonifacio nono, & Martino quinto fuit canonizata, testificatam fuisse sibi aliquoties fuisse diuinitus reuelatum, B. Virginem sine peccato conceptam fuisse, vt constat ex libro suarum reuelationum, à Sede Apostolica sæpe approbato: libro enim 1. cap. 9. refert sibi B. Virginem apparuisse, & inter alia dixisse: *Facto autem corpore meo, Deus à diuinitate sua animam creatam immisit corpori, & mox anima cum corpore sanctificata est.* & lib. 5. cap. seu reuelatione 11. testatur se à Patre æterno hæc audiuisse: *Maria fuit vas mundum, & non mundum; mundum verò fuit, quia tota pulchra, & tanta immunditia non inueniebatur in ea, vbi cuspis acus infigeretur; sed non mundum fuit, quia de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est; licèt sine peccato concepta, vt filius meus de ea sine peccato nasceretur.* & lib. 6. cap. 49. asserit B. Virginem secum sic locutam fuisse: *Veritas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato.* Idem fuisse sibi manifestatum à Deipara, recensет S. Birgitta in cap. 55. eiusdem libri sexti.

72. *S. Brigittæ aliquoties fuit reuelatum B. Virginem sine peccato conceptam fuisse.*

Tertiò moneo fuisse aliquos, qui ante canonizationem S. Birgittæ, reuelationes, quas Sanctam scripsisse constat, supernas, seu diuintus factas esse, negabant; easque veluti illusiones diaboli destabantur: alij verò eas diuinitus factas propugnabant: lis delata fuit primò ad

73. *Auctoritas reuelationū S. Birgittæ magna est.*

Concilium Basilienſe, & Conſtantienſe, quæ concilia poſt diligens & rigoroſum examen factũ hac ſuper re à grauiſſimis viris, eas approbarunt. Idem poſtea fecerunt Gregorius vndecimus, & Vrbanus ſextus, vt teſtatur Cardinalis Torquemada in ſuo apologetico cap. 1. Denique Bonifacius nonus, & Martinus quintus, antequam prædictam Sanctã in catalogum ſanctorum referrent, prædictas reuelationes iterum à viris doctis examinari fecerunt; & examinatas approbarunt, vt conſtat ex duplici bulla canonizationis, alia ab vno, & altera ab alio edita, quo poſito,

Torquemada.

74. *Argumentũ formatur.*

Sic argumentor: quidquid Deus, vel Deipara alicui reuelat, & dicit, eſt verum; ſed Deus, & Deipara reuelarunt, & dixerunt S. Birgittæ, B. Virginem fuiſſe ſine peccato originali conceptam; ergo eſt verum B. Virginem peccato originali caruiſſe. Conſequentia eſt legitima, Maior eſt euidens, & de fide. Minor conſtat ex reuelationibus relatis ſuprà n. 38.

75. *Euaſioni occurritur.*

Duplex effugium excogitari poteſt, vt licèt vtrumque ex dictis maneat præcluſum; tamen illud ampliùs obturare placet. Primò forſan aliquis reſpondebit, relationes Sanctæ Birgittæ non fuiſſe cæleſtes, ſed illuſiones vel factas à malo ſpiritu. Verùm hæc ſolutio tolerari nequit; nam non ſolùm Ludouicus Turrecremata ſuprà, Blo- Turrecre. ſius in Monili ſpirituali, capite Bloſius. 14. Corduba libro 10. quæſtionum, q. 44. Caniſius libro 1. Corduba. de Beata Virgine. Medina libro Caniſius. 2. de recta in Deum fide, & Medina. plurimi alij, doctrinâ & ſanctitate illuſtres, ſed etiam duo Concilia, & quatuor ſummi Pontifices eas, vtpote cæleſtes, approbarunt. Vnde iudicio tot Pontificum, Conciliorum, & Doctorum, proprium anteponere, imprudentia temeraria eſſe videtur. Præterea reuelationes, quas conſtat ſcripſiſſe ſanctam Birgittam ex vno ex quatuor principijs oriri potuerunt: vel ex Deo, vel ex imaginatione propriâ, vel ex diabolo, vel ex malitia, & leuitate mentiendi; cùm alia origo earum non reperiatur. Primò, nemo dicet S. Birgittam malitiosè mentitam fuiſſe; & quod numquam audiuerat ex Deo vel eius ſanctis, vt ſupernè ſibi reuelatum recenſuiſſe & publicaſſe; cùm hoc ſit graue peccatum, & pernicioſum Eccleſiæ, vſque ad mortem continuatum, quod de ſancta canonizata præſumi, nefas eſt. Secundò atra bilis ſeu imaginatio, non mouit ſanctam Birgittam, vt prædictas reuelationes cæleſtes fuiſſe ſibi perſuaderet & publicaret; cùm prædictam ſanctam hoc morbo laboraſſe ignoretur, & aliunde

de cædem magnam prudentiam, ſapientiam, & deuotionem multis vtilem & nullo errore permixto præſeferant. Denique non dices ſanctam Birgittam à diabolo in Angelum lucis transfigurato, deceptam fuiſſe; tum quia ſi hoc contigiſſet multi errores in prædictis reuelationibus reperirentur; tum quia neque Deus permiſiſſet ſanctiſſimam viduam ſic deceptam mori, neque præfatas reuelationes ab Eccleſia approbari, vt bene Cardinalis Turrecremata in ſuo Apologetico, & venerabilis Mathias de Suetia in prologo ad lectorem præfixo libris prædictarum reuelationum, conuincunt. Sequitur ergo has reuelationes eſſe cæleſtes, & diuinas. Confirmatur; nam reuelationes Sanctæ Birgittæ, eandem auctoritatem videntur habere, ac miracula, & reuelationes aliorum ſanctorum, approbata à ſacra Rota, & relata in bulla canonizationis eorum; cùm hæc etiam ſint multoties, approbata, & recenſita in bullis canonizationis prædictæ Sanctæ, editis à Bonifacio nono, & Martino quinto. Vnde ſicut qui eas reuelationes, & miracula falſa eſſe ganniret, graui notâ inureretur; ita, qui fidem harum reuelationum eleuare auderet, reprehenſione dignus eſſet.

76. *Alteri reſponſioni fit ſatis.*

Secundò poſſet aliquis reſpondere, reuelationes, quas reipſa ſcripſit Sancta Birgitta, fuiſſe ſupernas & cæleſtes; non verò allegatas in fauorem Conceptionis Marianæ; nempe, quia hæ non prædictæ Sanctæ; ſed alterius, qui eas finxit, & nomine Sanctæ Birgittæ inter eius veras reuelationes inſeruit, & publicauit. Hæc quoque ſolutio inanis eſt, & ſine fundamento; nam non ſolùm illæ in libris hactenus impreſſis, & ſimul cum cæteris alijs in lucem prodierunt; ſed etiam in manu ſcriptis correctiſſimis, & antiquiſſimis inueniuntur; vt conſtat ex prologo ad Lectorem præfixo nouæ impreſſioni factæ cum notis à Conſaluo Duranto. Durantus. Et ſanè ſi prædicta ſolutio admitteretur, argumenta ferè omnia deſumpta ex Patribus, inutilia redderentur; cùm quilibet eadem facilitate reſpondere poſſet, illa eſſe ſuppoſititia, & Patrum operibus inſerta. Manet ergo firmum & ſtabile reuelationes S. Birgittæ in fauorem piæ opinionis, diuinas & ſupernas fuiſſe.

77. *Idem argumentum amplius roboratur.*

Redeo iterum ad argumentũ ex reuelationibus S. Birgittæ deſumptum, & illud auctoritate aliquorum Thomiſtarum ampliùs ſtabilire placet; vt appareat eos ſimile argumentum in ſua cauſa firmum, & idem in cauſa Mariana debile eſſe velle. Grauina Grauina.

enim perdoctus Dominicanus 2. p.tom.4.q.5 art.2. §. *Responsio ad alia motiua*, postquam asseruit Pium secundum recepisse ob testimonium Raimundi Capuani reuelationes S. Catharinæ Senensis, ab eo scriptas, & Vrbanum octauum, ob auctoritatem eiusdem, decretum edidisse in Congregatione sacra rituum, habita die 16. Februarij, anni 1639. in quo approbauit B. Catharinæ Senensi sacra stigmata impressa fuisse; idque in lectionibus officij prædictæ Sanctæ apponi mandauit; sibi obijcit argumentum commune, nempe Raimundum Capuanum, per quem præcipuè hæc historia emanauit, mentiri potuisse; & ideo prædictum miraculum & reuelationem incertam esse; illi sic respondet: *Verum est, quòd mendacium & fictio potest interuenire metaphysicè loquendo; sed moraliter non est præsumendum mentiri; cùm vel iudicialiter examinantur in processibus canonizationis, vel in scribendo dant Ecclesiæ testimonium de sanctitate eorum, quorum vitas describunt, quibus maximè credendum; cùm sint in dignitate constituti, vel in sanctitatis opinione decesserint, qualis est B. Raimundus Capuanus, & similes.* Vnde tomo citato q. 2. art.14.§. *quinta assertio*, hanc partem esse indubiam, ait. Sanè reuelationes sanctæ Birgittæ multoties fuerunt à viris doctissimis examinatæ, & à varijs Pontificibus approbatæ, vt vidimus suprà numero 73. Insuper S.Birgitta cum opinione sanctitatis decessit; & præterquam illæ cum alijs reuelationibus factis viris sanctis mirificè conueniunt; argumentum illarum in officio approbato ab Ecclesia pro particularibus communitatibus & diœcesibus continetur, vt constat ex dictis suprà numero 20.ergo,si ob similia argumenta de impressione miraculosa stigmatum S. Catharinæ Senensis dubitari nequit; ob eadem, prædictas reuelationes fuisse veras,fateri oportet.

78. *Obiectioni fit satis.*

Contra hactenus dicta in hoc capite aliqui opponunt: Vel reuelationes allegatæ de immaculata Conceptione sunt certæ & indubitatæ; vel solùm dubiæ, & probabiles: ex illo sequitur opinionem piam esse certam; & contrariam improbabilem. Ex hoc deducitur, argumentum factum esse solùm verisimile & coniecturale. Ad simile argumentum respondi suprà à numero 42. & consequenter ad ea, quæ ibi scripsi, respondeo,neque reuelationes relatas sanctæ Birgittæ, neque alias virorum & fœminarum illustrium circa eandem materiam, esse de fide, neque metaphysicè certas; sed solùm moraliter veras, vt suprà numero 77. aiebat Grauina de reuelatione S. Catharinæ Senensis. Vnde ex illis non conclusionem

nem certam, sed veram deduci affirmamus; vt in simili obiectione ostendi suprà à numero 42.citato.

79. *Responsio ad aliam obiectionē.*

Secundò obijcit Grauina, miracula & reuelationes factas particularibus hominibus, non esse medium ad hoc, vt aliqua controuersia decidatur; vnde non ex reuelationibus, sed ex alijs principijs Conceptio immaculata B. Virginis terminari debet. Respondeo,nos in hac disputatione, non de definibilitate, sed solùm de veritate piæ opinionis sermonem instituisse, & hanc solam ex reuelationibus S. Birgittæ, & aliarum personarum illustrium, deduxisse: quod nouum non est in Theologiâ, cùm Christus Ioannes. Dominus Ioan. 15. ex miraculis factis suam doctrinam esse veram: & S. Petrus epist. 2.cap.1. S.Petrus. ex transfiguratione Christi, & voce delapsa, eius diuintatem ostenderint. Addo, etiamsi miracula non sint necessaria ad alicuius dogmatis definibilitatem, nihilominus ad eam multoties conducere: nam si miracula & reuelationes deseruiunt, ad hoc vt firmiùs rebus iam definitis adhæreamus, vt bene S. Gregorius S. Greg. hom. 29. in Euang. etiam conducent ad hoc vt Pontifex aliquam veritatem insinuatam in Scripturis,teneat; & sic eam difinire velit, vt bene Corduba in q. Corduba. Serran. l.1.q.44. concl.6.Serranus lib.1. Ouandus. de Concept. cap. 2. Ouandus in 3.lib.1. q.44. de quo iterum infrà disput. 12. à n. 38. sermo redibit.

80. *Alia obiectio.*

Denique obijcies, S.Catharinæ Senensi fuisse reuelatum, B. Virginem in peccato conceptam fuisse, vt refert S.Antoninus 1.p. Summæ tit.8. cap. 2. & habetur inter orationes eiusdem S. Birgittæ numero 16. Cui (addit Caietanus tract. de Concept. cap. 5.) maior fides adhibenda est, quàm S. Birgittæ; cùm non hæc, sed illa, ab indubitato Pontifice sit canonizata. Antequam ad reuelationem S. Catharinæ respondeam, placet adnotare, Caietanum planè deceptum fuisse in eo quòd canonizationem S. Birgittæ incertam, & peioris conditionis, quàm canonizationem aliorum sanctorum, esse velit. Nam licèt Bonifacius nonus tempore schismatis in Concilio Constantiensi eam in catalogum sanctorum retulerit, tamen verus erat Pontifex; & ideo Birgitta vt sancta, ab vniuersali Ecclesia recepta est, eique sacer cultus delatus. Præterea Martinus quintus fuit Pontifex indubitatus, & eam inter Sanctos numerauit, vt constat ex bulla canonizationis, in qua prædictus Pontifex, vt aduertit Salmeron in cap. Salmeron. 5.epist. ad Rom. disput. 52. sub interminatione iræ Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli,prohibuit,ne quis prædicti decreti sententiam infringere conare-

conaretur. Vnde vtriusque sanctæ canonizatio, æquè valida, & æquè certa est. Et ita ex hoc principio reuelationes S. Catharinæ reuelationibus S. Birgittæ, certiores esse nequeunt. Dein reuelationes S. Birgittæ non superantur à reuelationibus S. Catharinæ in eo quòd non illæ, sed hæ fuerint examinatæ, & approbatæ ab Ecclesia; siquidem si in hoc puncto inter illas aliquod discrimen est, illud potiùs reuelationibus factis S. Birgittæ fauere videtur: cùm illas sciamus multoties fuisse examinatas in tribunali supremo Ecclesiæ, & ab ea in iudicio contradictorio sæpe approbatas.

84. *Responsio ad obiectionem.*

Verùm quia omnis comparatio, odiosa est, do, reuelationes indubitatas vtriusque sanctæ, eiusdem prorsus auctoritatis esse: indene argumentum nostrum ex reuelationibus S. Birgittæ desumptum, infringetur? minimè gentium; nam reuelatio S. Catharinæ Senensis allegata, planè conficta est; & à nonnullis, vt propria opinio promoueretur, nomine S. Catharinæ publicata, & inter eius reuelationes inserta, vt Suarius tom. 2. in 3. p. disput. 3. sect. 5. Salmeron suprà, & alij doctissimi & pijssimi viri, animaduerterunt. Quam veritatem solida fundamenta persuadent: Primò, neque Raimundus magister ordinis Dominicanorum, & Confessor prædictæ Sanctæ, & eius assiduus comes; neque Antoninus, dum sanctæ vitam conscripserunt, prædictæ reuelationis meminerunt; sed mentio illius primò facta fuit, quando ad eleuandam auctoritatem reuelationis S. Birgittæ, & minùs piam opinionem stabiliendam, necessaria iudicabatur, vt Suarius suprà adnotauit. Secundò, in libro orationum, & epistolarum, prædictæ Sanctæ Italicè conscripto, & postea iussu illustrissimi Domini Francisci de Cisneros Archiepiscopi Toletani in linguam Hispanicam conuerso, & impresso Compluti anni 1512. prædicta reuelatio non habetur. Tertiò Ambrosius Catharinus lib. de Conceptione innuit se in varijs exemplaribus prædictam reuelationem diuersis verbis, & diuerso modo scriptam inuenisse: vnde illam, suppositiam esse suspicatur. Quartò neque prædicta reuelatio bene cohæret cum antecedentibus, vt aduertit supra Catharinus; neque stylus illius modum communem loquendi, quo prædicta Sancta vtebatur, sapit, vt legenti constabit. Quintò Cano lib. 11. de locis cap. 6. de D. Antonino hæc scripsit: *Non tam dedit operam, vt res veras, certasque scriberet; quàm ne nihil præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur.* Vnde verisimile est D. Antoninum prædictam reuelationem in aliqua schedula reperijsse; & ea nullo

Cisneros.

Catharin.

Canus.

Suarez. Salmeron.

nullo examine præmisso, suâ opinionem confirmasse. Quapropter Pius secundus non omnes reuelationes, quæ nomine S. Catharinæ circumferuntur; sed solùm scriptas à Raimundo, recepit; inter quas cùm prædicta non reperiatur, eius auctoritas ruit.

CAPVT VII.

Beatam Virginem sine vllo peccato conceptam fuisse, auctoritate Apostolorum roboratur.

83. *Ex libris repertis in monte Granatensi arguitur.*

QVamuis testimonia, quæ in hoc capite adducemus, ab aliquibus contemnantur; vel parui fiant; ea cum hactenus dictis collecta, nostram causam iuuant; & ideo illa, antequam ad alias rationes deueniam, interserere placet.

Anno 1595. in monte Granatensi libri quidam plumbei reperti sunt, quorum vnum S. Thesiphon Martyr, & S. Iacobi Apostoli discipulus, scripsisse dicitur; in eoque refertur, Apostolos in quodam Concilio congregatos, hanc veritatem definiuisse, & decretum in hunc modum edidisse: *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa; & qui ita non senserit, non consequetur vitam æternam.* Sanè

S. Thesip.

Peñalosa de B. Virgine.

si de hoc testimonio ritè constaret, nostra opinio iam pridem fuisset, vtpote dogma indubitatum, canonizata; verùm quia prædicti libri non sunt adhuc approbati ab Ecclesia, neque prædictum decretum tanquam certò ab Apostolis editum, ab ea receptum; idcirco tam pia, quàm minùs pia opinio probabiles perseuerant; nihilominùs illud magnam auctoritatem habere, & consequenter illo opinionem piam mirum in modum illustrari, aliqua suadent, quorum vnum vel aliud hîc attingere placet. Et missis rationibus desumptis ex mirabili modo, quo prædicti libri fuerunt inuenti, & ex eorum scriptura, & alijs antiquitatis monumentis, eis magnam auctoritatem conciliantibus, de quo eruditè agit Doctor Gundisaluus Sanchez Lucero in discursu 2. pro immaculata Concept. capite 5. venio ad ea, quæ prædicto decreto solùm fauent. Primò in eo nihil contra Catholicam fidem reperitur; & licèt aliqui nonnulla contra id obiecerint, ea solutionem habent, & à Granad. tom. de Incar. controu. 2. tract. 1. disputatio. 3. sect. 6. à 75. bene dissoluuntur. Secundò Iulianus Petrus, qui ante quingentos annos Toleti degit in Aduersarijs, n. 395. testatur fuisse traditionem, Apostolos in Concilio congregatos, prædictam veritatem statuisse: *Traditio*

Luzero.

Granados.

Iulianus.

fuit (eius verba refero) *ab Apostolis in Concilio congregatis, B. Virginem Mariam Dei hominisque veri Matrem, originali peccato incontactam esse.* Et in Chronico. numero 607. loquens de quodam Archiepiscopo Toletano; ait: *Fecit celebrari deuotiùs festum immaculatæ Conceptionis eius, quod prædicauit in Hispaniâ S. Iacobus, & incepit ab ipsis Apostolis hoc in Concilio decermentibus.* Tertiò sunt luculenta testimonia ex quibus colligitur Apostolos omnes sensisse & prædicasse nostram piam opinionem. Vnde valde verisimile est, eos post mortem B. Virginis in Concilio congregatos, eam decreuisse. Quod autem singuli Apostolorum senserint Deiparam originali culpa caruisse (præterquam quod infrà n. 84. de aliquibus ostendetur) tradit Luitprandus in Chronico anno 676. vbi hæc scripta reperiuntur: *Beatissima sedes de columna in vrbe Cæsaraugustana, quæ constructa est iussu Virginis à B. Iacobo, cùm in Hispania prædicauit anno 37. à Natiuitate Domini, & consecrata eiusdem immaculatæ Conceptioni, quam omnes Apostoli prædicauerunt vbique, hoc tempore celeberimo multorum contubernio visitatur.*

Luitpran.

84. *Eadem conclusio auctoritate S. Andreæ firmatur.*

Secundò, pia opinio roboratur auctoritate aliquorum Apostolorum. S. Andreas, vt refertur in ipsius passione, quam presbyteri Achaiæ, scriptam posteris reliquerunt, Proconsuli Achaiæ dixisse fertur: *Quomodo de immaculata terra formatus fuerat homo primus, ita necessarium fuit vt de immaculata Virgine natus Christus vitam æternam repararet.* Quæ verba adeo perspicua sunt pro nostra sententia, vt commentatore non indigeant. Neque obstat quòd aliqui auctoritatem præfatæ passionis eleuent; nam ea, vt ex Lipomanno retulit Surius die 30. Nouembris, ab Ecclesia videtur approbata, dum in breuiario Romano eam affert in festo S. Andreæ, eamque Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis cum multis alijs grauissimis Doctoribus admittit; vnde Granados to. de Incar. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 6. n. 71. eam indubitatæ fidei esse testatur. S. Andreæ adstipulatur S. Iacobus minor in sua Liturgia relata in tom. 6. Bibliothecæ veterum Patrum, vbi loquens de B. Virgine, sic fatur: *Semper Beata omnibus modis irreprehensa honorabilior, & gloriosor quàm Cherubim, & Seraphim.* Nam quamuis præfata Liturgia sit ita à posteroribus locupletata, vt teste Bellarmino, quæ pars illius, S. Iacobum auctorem habeat ignoretur; nihilominus, vt bene probat Granados suprà numero 70. ex Sixto Senensi, & Posseuino, ea magnam retinet auctoritatem, cùm eius mentio fiat in can. 32. ex Trullanis. Cum prædictis Apostolis consentit Liturgia S. Lucæ Euangelistæ, & ea quæ quondam apud Æthiopes celebris fuit, quorum verba reperies in nostro Salazar de Concept. cap. 42. sæculo 1. Etiam S. Iacobum Hispaniæ Patronum, piam opinionem tenuisse, præter Iulianum Petrum, & Luitprandum suprà numero 46. relatos, Flauius Lucius dexter, qui vixit sæculo quarto, in fragmento sui Chronici pag. 113. his verbis testatur: *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculatæ & illibatæ Conceptionis Dei Genitricis.*

Bellarm.

Granados.

S. Jacobus.

Flauius.

85. *Idem ex aliquibus Historicis comprobatur.*

Tertiò antiquitas festi Conceptionis, ab Apostolis introducta, & in hodiernum diem in varijs prouincijs continuata, eos opinioni piæ fauisse argumentum est. Primò Iulianus Petrus, & Flauius Dexter suprà numero 46. relati à tempore D. Iacobi Apostololi, festum Conceptionis coli asseuerant. Secundò Matthæus Vuestmonasterienſis in suo Chronico anno 1228. Iodocus Cœtius lib. 3. art. 6. Galatinus lib. 7. cap. 4. eundem morem in Ecclesiis Armeniæ, Ægypti, Syriæ, Græciæ, Apostolos introduxisse, commemorant. Idem colligitur ex Liturgia S. Iacobi minoris, & alijs antiquissimis: eidem thesi fauent S. Ignatius Martyr, & D. Dionysius Areopagita, nostram piam opinionem inuentes, vt constat ex testimonijs allegatis à Salazar de Concept. cap. 35. §. 5. Nam cùm eos ab Apostolis instructos sciamus, eos ab illis mysterium purissimæ Conceptionis accepisse, verisimile est.

Vuestmo. Iodocus, Galatinus.

Salazar.

CAPVT VIII.

Ratio satis efficax pro immaculatæ Virginis Conceptione ex dignitate Matris Dei formatur.

86. *Quàm magna sit dignitas Matris Dei.*

SI dignitatem maternitatis Marianæ comprehenderemus, forsan omnes B. Virginem omnis labis originalis expertem fuisse, tanquam certissimum supponeremus: verùm quia eius excellentiam perfectè non penetramus; idcirco de priuilegijs eam consecutis dubitamus. Quare operæ pretium duxi, nonnulla, quæ Patres de illa dicunt, hîc attexere, vt inde eius immunitatè à peccato originali, colligamus. Primò Augustinus serm. 5. de Assumptione prædictam dignitatem miraculum appellat: *Quale in omni creatura non assequitur cogitatio.* Idem innuunt S. Ignatius epist. ad Ioannem Euan. & Damascenus Orat. de natiuit. Mariæ; vnde Anselmus de excel. virg. cap. 8. Carthusianus serm. 1. de Concep. S. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. Albertus Magnus in suo morali cap. 130. Damasce-

Augustt.

Ignat.
S. Damas.
Ansel.
Carthus.
S. Thomas.
Albertus.

nus ora. 1. de dormit. virg. Petrus Damianus serm. 2. de Natiuit. & Theologi communiter, maternitatem Dei quodam modo infinitam esse testatur. Damian.

77. *Ex prædicta dignitate inferunt B. Virginem neque venialiter peccasse.*

Ex hoc principio Patres inferunt illam veritatem receptissimā in Ecclesia & certissimam, vt cōstat ex Tridentino sess. 6. can. 23. nempe B. Virginem nunquam peccatum mortale aut veniale in tota sua vita commisisse; scilicet, quia futura erat Mater Dei, quā dignitatem dedecebat, vt fœmina eam dignitatem habitura, aliquo etiam leuissimo peccato inquinaretur. Ita S. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. cuius non solùm conclusionē, sed etiam rationem cæteri Theologi amplectuntur, & meritò; siquidem conclusio, & illatio communi Patrum consensu stabilitur; & aliunde argumentum, quo communiter Patres vtuntur ad aliquam veritatem comprobandam, infirmum fuisse effutire magnum absurdum est. Inter Patres, qui prædictum argumentū approbarunt, primò numero Augustinum: ille enim lib. de nat. & grat. cap. 36. sic fatur: *De Sancta Virgine Maria propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionē: inde enim scimus* (audi rationem) *quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Idem innuit tract. de quinque hæres. cap. 5. Idem argumentum fecit S. Anselmus de excel. virg. dum scribit: *Nulli denique dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam fuisse ab omni macula peccati protectam, vtpote aulam, quam suus, & omnium creator, corporaliter inhabitaturus.* Damascenus lib. 4. de fide ortodoxa cap. 15. *Cum Virginem*, inquis, *vrâ cum corpore animum conseruasse, vt eam decebat, quæ Deum in sinu suo exceptura erat.* Bernardus serm. 2. de Assumptione, sed præcipuè epist. 174. vbi ait: *Decuit Reginam Virginum, singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ ac iustitiæ omnibus obtineret.* Eodem prorsus modo eandem conclusionem elicuerunt Bonauentura, Cyprianus, Basilius de Seleucia, Hieronymus, Anastasius Synaita, Ildefonsus, Concilium Claremontanum sub Vrbano secundo, & alij; quorum verba refert & bene expendit noster Ripalda tom. 2. de Ente supernaturali. disp. 79. sect. 9. S. Thom. Augustt. Anselm. Damasc. Bernardus. Ripalda.

88. *Ex eodem principio infertur communiter nō fuisse fomitem in Virgine.*

Secundum priuilegium huic affine, quod Patres & Theologi ex dignitate Matris Dei deducunt, est ipsam habuisse appetitū sensitiuum rationi omnino subiectum, & consequenter penitus extinctum fomitem peccati. Ita S. Thomas 3. p. q. 27. art. 3. Suarius tom. 2. in 3. p. disput. 4. sect. 5. Vas- S. Thom. Suarez.

Vasquez. quez. 5. Vasquez ibidem disput. 118. cap. 4. qui pro hac re plures Patres adducunt. Sufficiat Bernardus in serm. ad illa verba, *Signum magnum: Nihil in ea, non dico tenebrosum; sed obscurum saltem, vel minùs lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum.*

Bern.

89. *Etiam infertur intensa sanctitas & magnus feruor in operando.*

Tertium priuilegium illatum ex dignitate Matris Dei, est, quòd B. Virgo adhuc in infantia; imò in vtero materno, sanctitatem non in gradu remisso sed in intensiori, quàm cæteri sancti; imò & Angeli in fine viæ habuerunt, adepta fuerit; nempe vt hoc modo ad maternitatem disponeretur. Ita S. Thomas 3. p. q. 27. art. 6. vnde meritò Ecclesia B. Virgini illud Psalmi 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, attribuit; nempe quia terminus vltimus sanctitatis aliorum Sanctorum, in B. Maria initium, & fundamentum fuit; vt ait S. Gregorius lib. 1. Reg. cap. 1. legatur Suarius tom. 2. in 3 p disp. 4. sect. 1. qui prædictam prærogatiuam Virginis ex Patribus persuadet. S. Thom. S. Greg. Suarez.

90. *Ex eadem dignitate colligi solet scientia & pulchritudo corporis B. Virginis.*

Quartum priuilegium concessum Mariæ, quia Dei Mater futura erat, fuit, eam habuisse species per se infusas, quibus, etiā dum dormiret, independenter à phantasmate, liberè, & meritoriè operabatur. Ita Albertus Magnus, S. Antoninus de Florentia, Gerson, & alij, quos citant, & sequuntur Salazar de Concep. cap. 32. n. 41. Sherlogus tom. 3. in Cant. vestig. 32. n. 48. Huic priuilegio superadde aliam prærogatiuam, nempe B. Virginem non solùm in anima, sed etiam in corpore fuisse pulcherrimam; nempe quia, vt Patres, quos refert Suarius suprà disput. 2. sect. 2. & Ripalda de Ente supernaturali disputatio. 79. sect. 13. innuunt, non decebat, vt fœmina, quæ pulcherrimum virorum erat paritura, fuisset deformis. Alias prærogatiuas Virginis vide, si placet, in Ripalda suprà; quas Patres, & Theologi B. Mariæ inhæsisse probant, quia illæ dignitati Matris Dei saltem congruebant; quæ sola congruentia sufficit ad hoc vt Patres, & Theologi eas B. Virgini impensas fuisse testentur. Salazar. Sherlogus. Suarez. Ripald.

91. *Deducitur argumentū.*

Ex hactenus dictis argumentū sic formo. Ex eo solùm, quòd peccatum etiam veniale dedecet fœminam, quæ futura erat Mater Dei, Patres, & Theologi B. Virginē illud nunquam patrasse, constanter eliciunt, & probant, vt vidimus; sed etiam dedecet, vt, quæ Deum erat paritura, peccatum originale aliquando habuerit; siquidem hoc multò maius malum est, quàm vnicū; imò omnia peccata venialia simul sūpta, vt patet (cū non hęc, sed illud nos Deo inimicos, captiuos diaboli, & dignos irā Dei, & priuatione donorū supernaturaliū reddat:)

ergo ex eodem principio eliciendum est B. Virginem peccati originalis expertem fuisse; alioquin argumentum prædictum Patrum infirmum & futile esset; siquidem peccatum originale, (quod magis de decet dignitatem Matris Dei, quàm venialia) à B Virgine longè fuisse, prædictus Patrum discursus non persuaderet.

92. *Responsioni occurritur.*

Respondent aliqui ex Aduersarijs, non peccatum originale, sed solum peccatum actuale, siue mortale, siue veniale, committi à persona, cuius est peccatum; & ideo non illud, sed hoc Dei Genitricem dedecere. Hoc, inquam, non obest: nam in peccato duo considerari possunt, aliud est causa efficiens illius; & aliud effectus formalis: sane licèt peccatum actuale, prout dicit causam efficientem, inducat maiorem indecentiam in peccatore, quàm inducit peccatum originale in illud habente (siquidem illud à te, & hoc ab alio committitur) attamen negari non potest, originale etiam, prout inuoluit causam efficientem, seu dicit te peccasse in alio, aliquam imperfectionem includere (& ideo omnes eam humanitati Christi denegamus) quod sufficit ad hoc vt illam à B. Virgine remoueamus, vt ostendimus suprà disput. 10. Sed quidquid sit de hoc, demus Aduersarijs, peccatum originale prout præcisè dicit causam alienam efficientem illius, non includere indecentiam indignam maternitate Dei; certè omnes admittere debemus, peccatum originale prout dicit effectum formalem, longè maius malum, & indecens esse, quàm peccata venialia; cùm non hæc, sed illud nos Deo inimicos & captiuos diaboli formaliter constituat. Quare si ob prædictum effectum formalem, peccata actualia à Virgine remouemus; ob eandem rationem peccatum originale eidem negari oportet. Confirmatur: nam licèt ignorantia Scripturæ, negatio sanctitatis intensæ, & auxiliorum congruorum ad actus feruentes virtutum, negatio accelerationis vsus rationis, & deformitas corporis, & similia, proueniant positiuè à Deo, & ideo prædicta quoad causam efficientem non inuoluãt vllam imperfectionem; nihilominus, quia ea secundùm se, seu secundùm suos effectus formales, imperfectionem, & indecentiam important; Patres & Theologi B. Virgini, quia futura erat Mater Dei, constanter negant (& ideo eam semper sanctitatem intensam, & auxilia congrua ad actus feruentes virtutum habuisse, eam semper in corpore pulchram, eius vsum liberi arbitrij acceleratum vno ore fatentur) ergo licèt peccatum originale secundùm causam efficientem indecentia Virgini non sit;

sit: at quia secundùm se, aut secundùm suum effectum formalem, magnam indecentiam inuoluit; illud Virginem non habuisse, opus est. Adhæc Patres non negant peccatum actuale Virgini solùm ratione causæ efficientis, seu quia committere illud propria voluntate malum sit; sed quia illud est peccatum vt sic, seu opponitur puritati, seu maculat subiectum; cùm autem hoc habeat culpa originalis, vt constat ex Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali; idcirco illud B. Virgini quia futura erat Mater Dei, negari expedit. Antecedens non solùm est Patrum relatorum suprà n. 50. & absolutè negantium Virgini vllum peccatum, quia paritura erat Christum omnis peccati penitus expertem seu peremptorem omnis peccati (quæ ratio vt idonea sit, etiam conuincit eam peccato originali caruisse; siquidem peperit expertem peccati originalis, eiusque peremptorem) sed etiam aliorum idem magis expressè proferentium. Porrò S. Cyprianus Orat. de Christi natiuit. ex dicto principio infert de Virgine, *Natura communicabat, non culpa.* Inde Chrysippus Hierosolymitanus serm. de laudibus Virginis, deducit absolutè eam fuisse impollutam, & Timotheus Constantinopolitanus in Orat. de Simeone, quæ habetur in tom. 2. nouæ Bibliot. Patrum, ait: *Omnibus modis sanctam per illum, qui domicilium habuit in ea, & supra quàm dici potest inculpatam* Bernardus serm. 3. super *missus est*, prædictam puritatem colligit ex eo quòd, *non potest mala arbor fructum bonum facere.* Anastasius Synaita lib. 6. in Hexameron: *Quomodo est enim mater eiusdem filij, non ferens in se integram & illæsam fœtus sui imaginem?* S. Ildefonsus, serm. 3. de Assumpt. ex eo quòd B. Virgo mater Dei fuerit, præponit eius puritatem, sanctitatem, & incorruptionem Angelis: inde Anselmus lib. de Concept. Virginis cap. 18. concludit: *Decens erat, vt ea puritate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*, & Epiphanius Orat. de laudibus Virginis: *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, naturâ formosior es ipsis Cherubim, & omni exercitu Angelico.* Quæ omnia, & alia similia, quæ passim reperies in Patribus, persuadent, ipsos in dignitate Matris Dei peccatum quodlibet, siue personale, siue originale, à Virgine non contractum fuisse, intuluisse. Claudat agmen Augustinus tract. de quinque Hæres. cap. 5. vbi agebat contra Manichæos negantes Christum ex Maria natum fuisse, quia indignum Christo arbitrabantur, eum feminæ sobolem fuisse, quos vt conuinceret, Christum sic eos alloquentem introducit: *Ne putes, o Manichæe, mihi con-*

Cyprian. Chrysip. Timoth. Bern. Anastasius. Ildefonsus. Ansel. Epipha. Augusti.

contumelioſum fuiſſe ex fœmina naſci; nam ego ipſe mihi matrem fabricatus ſum; atque ideo talem, qualem ex ea naſci non modò non turpe, ſed etiam glorioſum eſſet. Satis eſt matrem fuiſſe meam, vt talem conſideres, quæ ſobolem inquinare non poſſet; neque vlli ipſa inquinamento ſubiaceret; quod adò ferè impoſsibile fuit, vt ſicut ego non potui inquinari, cùm illam conderem; ita etiam ipſa non potuit me contaminare, aut inficere, cùm ex ea naſcerer. In quo teſtimonio tria aduertere expedit. Primò Auguſtinus in perſona Chriſti ait, Virginem taliter à Chriſto fuiſſe conditam, vt non turpe, ſed glorioſum Chriſto fuerit ex ea prodire. Equidem licèt demus Aduerſarijs, quod negamus; nempe Chriſto turpe non fuiſſe prodire ex fœmina, quæ aliquando fuiſſet captiua diaboli, maculata, Deo inimica, & omni dono ſupernaturali indigna; attamen hoc eidem glorioſum fuiſſe, quis dicet? Secundò, Auguſtinus ex eo quòd B. Maria fuerit Mater Chriſti, non infert eam non peccaſſe, ſeu culpam aliquam propria voluntate commiſiſſe; ſed abſolutè concludit, eam nulli inquinamento ſubiacuiſſe; quo denotat, B. Virginem peccato originali caruiſſe; ſiquidem qui illud habet, eum alicui inquinamento ſubiacere liquet. Tertiò, Auguſtinus ex eo quòd Chriſtus condendo B. Virginem, non fuit inquinatus, infert Chriſtum naſcendo ex fœmina, non fuiſſe vllo modo contaminatum; quæ ratio etiam perſuadet B. Virginem ſine peccato vllo fuiſſe conceptam; nam ſi in B. Virgine peccatum originale ex culpa Adami reſultaſſet; diſcurſus Auguſtini infirmus eſſet: poſſet enim quilibet reſpondere, Chriſtum condendo Matrem non fuiſſe maculatum, quia ipſe ſolùm naturam, & perſonam phyſicam Virginis produxit; nihilominus naſcendo ex ea, coinquinari; ſiquidem ortus fuiſſet ex Matre ob peccatum Adami aliquando contaminata, & captiua diaboli.

93. *Iterum idē argumentū formatur.*

Denique argumentum factum pro immunitate Mariana ex dignitate Matris Dei, aliter ſic deduco. Quidquid congruit Virgini, vt illa digniſſima Dei Mater fuerit; eidem concedendum eſt: ſed dignitati Matris Dei congruit, vt B. Virgo caruerit peccato originali; ergo illa eo caruit. Conſequentia eſt legitima. Minor liquet; nam ſi maternitati diuinæ congruit, vt fœmina, quæ erat Deum paritura, non fuiſſet vnquam corpore deformis, neque remiſſa in operando, neque intellectu imperfecta; multò magis decens fuit, vt ipſa nunquam Deo inimica & diaboli mancipium fuiſſet. Maior auctoritate Patrum innititur: illi enim, vt vidimus, plura priuilegia B. Virgini impenſa fuiſſe deducunt

ducunt, ex eo quòd ea dignitati Matris Dei conſentanea ſunt: vnde vt præfatus Patrum diſcurſus ſolidus ſit, eos prædictam maiorem propoſitionem ſuppoſuiſſe oportet; ſiquidem ſi illa vniuerſaliter accepta vera non fuiſſet, inde B. Virginem fuiſſe corpore pulchram, Scripturarum conſciam, feruentem in opere, & intellectu perfectam, & alias ſimiles prærogatiuas, ſolidè non deduxiſſent, vt patet. Lege, ſi placet, noſtrum Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. diſputatio. 3. ſect. 19. vbi ex dignitate Matris Dei, varia argumenta pro eius immunitate à peccato deducit.

Granados.

CAPVT IX.

Nonnullæ aliæ rationes pro immunitate Marianâ à peccato originali, breuiter attinguntur.

94. *Prima ratio.*

PRimam rationem ſic confficio: omnia priuilegia, ſeu gratiæ beneficia collata ſanctis; B. quoque Virgini impenſa fuiſſe, fateri debemus; ſed non ſolùm Angelis, ſed etiam primis parentibus conceſſa fuit gratia ſanctificans in primo inſtanti ſui eſſe; ergo præfatum beneficiū etiam Virgini donatum fuit. De conſequentia nemo dubitare poteſt: minor etiam eſt veriſſima, vt conſtat ex his, quæ Suarius de Opere ſex dierum lib. 3. cap. 17. adducit; vbi bene perſuadet primos parentes, ſicut & Angelos, in gratia, & ſanctitate fuiſſe creatos. Maior videtur communi conſenſu Patrum ſtabilita. Porrò S. Bernardus epiſt. 175. ſic ſcripſit: *Quod vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari, tantæ Virgini fuiſſe negatum;* & quia forſan reſpondebis, Bernardum locutū de priuilegijs conceſſis hominibus iam mortalibus, non verò Angelis, vel primis hominibus ante eorum peccatum; accipe alia clariora, & vniuerſaliora teſtimonia. Sapientiſſimus Idiota lib. de Contemplat. Virginis cap. 2. ait: *Sanctorum omnium priuilegia eſſe in Maria, & neminem eſſe illâ maiorem, niſi Deum.* Vbi cum poſterioribus verbis denotatur, Angelos etiam illâ inferiores eſſe; etiam in prioribus eorū priuilegia Virgini communicata fuiſſe, ſignificatur. Quod adhuc clariùs, & ad rem præſentem tradidit Anſelmus, relatus in ſexta lectione quintæ diei infra octauam officij Conceptionis, compoſiti à Nogarolo, & approbati à Sixto quarto, dum ſcripſit: *Angelos, alijs peccantibus, à peccato ſeruauit; & fœminam matrem ſuam futuram, ab aliorum peccatis exortem, ſeruare non potuit?*

Suarez. Bern. Idiota. Anſel.

Præterea noſtra ſententia proba-

95. *Alia ratio.* tur: nam si Deus non sanctificauit B. Virginem in primo instanti suæ Conceptionis, eamque à peccato originali præseruauit, id prouenire debuit, vel quia id non potuit efficere; vel si potuit, quia noluit, (siquidem quod Deus potest, & efficaciter efficere vult, illud fieri necesse est) sed Deus potuit, & efficaciter voluit B. Virginem à peccato originali præseruare; ergo illam in instanti suæ Conceptionis sanctificauit, & à peccato præseruauit. Minor in quâ est difficultas, duas continet propositiones, nempe Deum potuisse, & efficaciter voluisse suam Matrem à peccato originali præseruare. Et primò, quòd Deus id per suam omnipotentiam efficere potuit, suppositum Anselmus suprà numero immediatè præcedenti relatus; & patet, quia non apparet repugnantia in eo quòd Deus ita res, quando pactum iniuit cum Adamo, ordinauerit, vt Adamo postea peccante, & reliquis eius posteris peccatum originale contrahentibus; nihilominus eius futura Mater non inficeretur, vt liquet ex dictis disput. 8. cap. 1. & 2. & amplius constabit ex solutione argumentorum. Confirmatur: nam eisdem verbis, & sub eadem conditione comminatus est Adamo, & posteris mortem spiritualem animæ, ac materialem corporis, vt diximus suprà disput. 5. cap. 5. numero 33. & tamen Deus potest diuinitus, cæteris morientibus, quemlibet à morte corporali liberare (& forsan aliquos ex illis, qui in fine mundi viuent, liberabit, vt aliqui apud Suarium tom. 2. in 3. p. disput. 50. sect. 1. & Cornelium in illud Pauli Corint. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, volunt:) ergo etiam potuit diuinitus, non obstante peccato Adami, & eius in reliquos posteros deriuatione; suam Matrem ab illo præseruare. Secunda propositio inuoluta in minore Sylogismi facti, erat; Deum voluisse efficaciter suam Matrem in instanti suæ Conceptionis sanctificare, & consequenter peccati originalis penitus expertem reddere; quam colligo ex ingenti amore, quo Deus B. Virginem diligebat: ille enim amor diuinus erga Virginem, longè maior quàm explicari potest, fuit, vt bene expendit noster Ripalda tomo 2. de Ente supernaturali disput. 79. Inde Patres ingētia beneficia illi collata fuisse inferunt; inde deducunt eius efficacem & veluti omnipotentem intercessionem; inde eius pulchritudinem tam corporalem quàm spiritualem colligunt; inde tandem quidquid gratiæ, & gloriosum fuit Virgini de facto ei impensum fuisse, confirmant. Quare si semel admittatur Deū potuisse diuinitus suam Matrem à peccato originali præseruare; id

Suarez. Cornelius.

id efficaciter voluisse, & de facto fecisse, fateri debemus.

96. *Responsio affertur.* Bandelus. Aduersarij cum Bandelo 2. p. sui Tractatus, ad rationem 13. non defectui amoris diuini erga B. Virginem; sed veluti defectui potentiæ diuinæ, negationem prædicti priuilegij adscribunt: aiunt enim, licèt Deus diuinitus potuerit res ita disponere, vt eius Mater peccato originali non innodaretur; attamen suppositis decretis, quæ Deum habuisse constat ex Patribus, & Scriptura; id efficere non valuit. Primum enim decretum, quod Deus habuit, fuit, vt peccante Adamo, omnes eius posteri per seminalem propagationem orituri, sanctitate & iustitia in suâ conceptione certissimè priuarentur: vnde cùm B. Virgo fuerit orta per seminalem propagationem, ea prædictam pœnam subire debuit, ne decreto prædicto contraueniretur. Secundum decretum Dei fuit, vt omnes homines, nemine dempto, redimerentur per Christum; quapropter cùm ad redemptionem, peccatum contractum in redimendo præsupponatur; idcirco, vt B. Virgo redimeretur, & sic firmum permaneret prædictum secundum decretum, eam contraxisse peccatum originale, necesse fuit.

97. *Depulsio.* Granados. Hæc solutio meritò refellitur à nostro Granados, tom. de Incarnat. controu. 2. tractat. 1. disput. 3. sect. 20. n. 230. & refutari facilè potest: nam primò supponit ad redemptionem prærequiri, vt redimendus præcessisset peccator, & diaboli captiuus; quod falsum est, & nunquam probabitur à Bandelo. Ad propriam enim redemptionem sufficit, vel debitum peccati, & captiuitatis (vt tradiderunt Caietanus 1. 2. q. 81. art. 3. Durandus in 3. dist. 3. q. 1. & nonnulli alij etiam ex Doctoribus, qui B. Virginem peccatum contraxisse, volunt) vel periculum proximū peccandi in Adamo, & illud incurrendi, vt suprà disput. 8. cap. 3. numero 11. ostendimus: quare cùm B. Virgo vel contraxerit debitum peccati, vel (quod verius putauimus loco proximè citato) fuerit per comestionem Adami in periculo peccati constituta; ideo disput. 10. cap. 7. n. 49. illam & à peccato originali immunem, & pariter propriè redemptam fuisse, propugnauimus. Primum etiam decretum non persuadet præseruationem virgineam à peccato originali, esse impossibilem; tum quia supponit vt certum, B. Virginem fuisse inclusam in pacto inito cum Adamo, quod licèt verum sit, certum tamen non est, cùm id multi negent Doctores, relati suprà disput. 3. à cap. 1. tum quia admisso B. Virginem pactum intrasse, supponit Bandelus in prædicta responsione, quod nunquam euincet; nempe Deum,

Caietan. Durandus.

quando pactum iniuit, decreuisse efficaciter absolutè omnes & singulos, nullo prorsus excepto, per seminalem propagationem orituros, priuare ineuitabiliter iustitia originali ; si Adamus comedisset. quod etiam non solùm incertum est, cùm plures doctissimi viri relati disp. 8. numero 3. asserant Deum, quando pactum iniuit, non decreuisse absolutè & omnino efficaciter punire omnes & singulos filios Adami, ipso peccante ; sed conditionaliter, nempe illos, cum quibus postea per suam potentiam extraordinariam dispensare noluisset. Vnde etiam viso peccato Adami, fuit locus dispensandi cum B. Virgine, & eam ob merita Christi præseruandi. Denique supponit Bandelus in instanti temporis, quo Adamus fructum vetitum deglutiuit, infecisse naturam, & omnes inclusos in pacto peccasse in Adamo, & culpæ debitum incurrisse ; quod etiam incertum est, siquidem, vt constat ex dictis disput. 6. & præcipuè disp. 7 post comestionem Adami, interiacuit tempus, in quo peccatum Adami eius posteris non fuit imputatum, neque natura corrupta; sed solùm in periculo peccati eramus constituti ; valeat ergo prædicta solutio; siquidem quod probari nequit frustra supponit.

CAPVT. X.

Testimonia Patrum, S. Bernardo antiquiorum, quæ contra nostram opinionem obijciuntur, breuiter explicantur.

98. LIcèt magno labore & studio Caietanus in opusculo de Conceptione, & Bandelus in parte 1. sui Tractatus, & alij doctissimi viri ex Dominicanâ familiâ, testes omni acceptione maiores, nempe antiquos Patres, cõquisiuerint, vt B. Virginem in instãti suæ Conceptionis reã culpæ originalis, peccatricẽ, & captiuã diaboli, fuisse probent ; nihilominus non minori studio, & diligentia Vas. 3. p. disp. 117. Suarez ibidem tom. 2. disp. 3. Salazar in suo lib. de Conceptio. Salmeron in epist. ad Rom. disp. 49. vsque ad 59. Granados tom. de Incar. controu. 2. tract. 1. disp. 3. & alij innumeri, tum ex alijs religionibus, tum præser in è nostrâ Societate ; quorum aliquos refert Granados suprà sect. 14. & 15. pro omnimoda innocentia B. Mariæ, plures & grauissimos testes adducunt, & pariter testimonia allegata ab Aduersarijs examinant, & ea B. Mariæ immunitati non contradicere ostendunt. Quare ne actum agam, ea in compendio referam, & eis compendiosè satisfaciam. Qui enim verba

Vasquez. Suarez. Salazar. Salmeron. Granados.

verba prædictorum Patrum legere, & eorum sensum germanum scire voluerit ; legat Vasquez, Suarium, Salmeronem, & Granados suprà citatos.

99. *Aliqui Patris explicantur.* Testimonia ergo Patrum S. Bernardo antiquiorũ (de quibus in hoc capite solùm agimus) contra immunitatem B. Virginis, ab Aduersarijs allegata, ad quatuor capita reduci possunt. Primò sunt propositiones vniuersales Patrum, & Scripturæ, in quibus vniuersaliter omnes per seminalem propagationem ex Adamo descendentes, absolutè dicuntur maculati, & in peccatis concepti. Verùm præfatæ propositiones vniuersales parum vrgent; nam nulla regula generalis est, quæ exceptionem aliquam non patiatur, si eam auctoritas vel ratio suadeat, vt varijs exemplis ostendit Granados de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp 3. sect. 23. cùm autem ratio, & auctoritas denotent B. Virginem à communi regula peccati demptam fuisse ; idcirco eam sub illis verbis generalibus Scripturæ, & Patrum comprehensam fuisse negatur. Quod adhuc solidius apparebit, si aduertas Concilium Tridentinum. sess. 5. capite de peccato originali rogatum, an in prædicto capite, vt vniuersaliter definierat omnes posteros Adami peccasse in Adamo, & culpam originalem incurrisse, B. Virgo fuisset comprehensa ; in fine subiungit, non fuisse suæ intentionis B. Virginem in prædictis propositionibus vniuersalibus includere, quod fine dubio desumsit ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 36. idem ferè testificante.

Granados. Trident. August.

110. *Testimonia alia ponuntur.* Secundò obijciunt alia testimonia, in quibus Patres Bernardo antiquiores, non solùm vniuersaliter asserunt, omnes peccato originali maculatos prodijsse; sed insuper excluiuã solius Christi supperaddunt, dum dicunt, omnes, solo Christo excepto, culpâ originali infectos fuisse. Hæc obiectio si efficax esset, etiam Aduersarios opprimeret : nam, vt bene aduertit Gran. suprà, Patres non de Conceptione, sed de natiuitate omnium in locis citatis ab Aduersarijs, cõmuniter agunt, & affirmant solã Christi natiuitatẽ ex vtero materno sanctã, & omnis peccati expertem fuisse; vnde si præfata testimonia, vt sonant, acciperentur, etiam conuincerent B. Virginem ex ventre S. Annæ immundam & peccatricem prodijsse; quod omnes Catholici falsissimum esse supponunt. Quapropter ne prædictũ absurdũ sequatur, Patres citati aliter, ac Aduersarij volũt, sunt interpretandi.

111. *Aliqui respondent.* Primò Salm. in epi. ad Rom. disp. 41. ait, eam esse connexionẽ inter Christum & eius matrem, vt vterque in multis casibus pro vno, & eodem à Patribus vsurpetur: vnde quando excipiunt nati-

Salmeron.

uitatem, aut conceptionem Christi à peccato, etiam Matris conceptionem subintelligunt. Quòd autem Patres Christum & Matrem vnum & idem esse innuant, est clarum. Augustinus enim homil. 4. de Assumpt. *Cum gratiæ vnitate ipsa specialitas naturæ vnum efficit matrem ac filium.* Et Petrus Damianus serm. 2. de Natiuit: *Habitat Deus in Virgine, cum quâ vnius naturæ habet identitatem.* Accedit Arnoldus Carnotensis tract. de laudibus Virginis: *Vna est*, inquit, *Mariæ & Christi caro, vnus spiritus, vna caritas, vnitas indiuisionem non recipit, nec secatur in partes; & licèt ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltra scindi non potest, atque adeo filij gloriam cum matre, non tam communem iudico, quàm eandem.*

Aug.

Damian.

Arnoldus.

102. *Aliæ explicationes referuntur.* Granados.

Præterea respondeo cum Granados suprà, sect. 24. §. 1. Patres, dū asserunt omnes, præter vnicū Christū fuisse maculatos, sermonē instituisse de illis, qui secundùm suam naturam, vel modum procedendi, ex Adamo fuerunt infecti, aut si eos gratia redemptionis non præueniret, macularentur: cùm autem solus Christus (tum propter vnionem hypostaticam ad Verbum, tum quia sine opera viri conceptus est) secundùm suam naturam, & secundùm modum procedendi ex Adamo, immunis ab omni peccato in sua natiuitate, & conceptione fuerit; idcirco Patres absolutè adstruūt, omnes præter Christum, fuisse maculatos; nempe quia omnes, vnico Christo dempto, secundùm suam naturam considerati, vel peccatum incurrerūt, vel illud haberent, si à Redemptore non præuenirentur. Quòd autem præfata expositio Patrum sit germana & legitima, multa suadent; primò quia Patres præfati, etiam dum loquuntur de natiuitate ex vtero materno, Christi solius natiuitatem sanctam, & liberam à peccato fuisse tradunt, vt constat ex Ambrosio lib. 2. in Lucam cap. 20. August. lib. de peccatorum meritis. S. Fulgentio de fide ad Petrum cap. 2. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 27. aliàs 51. quorum verba referunt Granadós suprà numero 180. & Salmeron in epist. ad Rom. disput. 51. vbi eos locutos de natiuitate ex se, seu secundùm suam naturam, munda & sancta, supponunt; ne eos asseruisse, B. Virginem, imò Ioannem Baptistam natos in peccato fateri cogantur. Sicut ergo Aduersarij, Patres excipientes solam natiuitatem Christi à peccato, aiunt locutos esse de natiuitate ex se sancta, ita nobis licebit eosdem, dum Conceptionem solius Christi excipiunt à peccato, de Conceptione secundùm se, seu secundùm suam naturam, sancta interpretari. Quod solidius apparebit, si aduertas, plures ex Patribus, qui Christum solum à pec-

Granados.

Ambros. S. Aug. Fulgentius. Gregor. Granados. Salmeron.

peccato exceperunt, etiam in alijs locis B. Virginis Conceptionem à peccato originali vendicasse, vt constat ex locis suprà cap. 2. allegatis. Quare, ne illos inconstantes, & sibi dissimiles fuisse admittamus, expositionem assignatam germaniorem esse oportet. Denique si prædicta expositio non placet, respondere possumus, Patres locutos de primâ conceptione distanti nouem mensibus à natiuitate, & asseruisse, omnes, vnico Christo excepto, fuisse conceptos in peccato, nempe virtuali (vt dicemus infrà à numero 73. explicantes D. Bernardum) quia omnes præter Christum fuerunt in prima conceptione virtualiter semen immundum & peccatum, modo explicando in citato numero 73.

103. *Mens aliorū Patrum aperitur.*

Tertiò obijciunt Aduersarij alia testimonia, in quibus Beata Virgo dicitur mundata, vel purgata à peccato originali. Ita loquitur S. Maximus in serm. de Assump. Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. & nonnulli alij Patres, quibus bene respondet Granados suprà §. 2. nomen *mundus*, & verbum *purgo* interdum significare idem, ac *præseruo*, vt diserte verbis affirmat S. Thom. 3. p. q. 32. art. 4. ad 1. Vnde quando Patres asserunt, B. Virginem fuisse à peccato originali mundatam vel purgatam, solùm innuunt esse ab eodem præseruatam.

104. *Alijs Patribus fit satis.*

Quartò obijciunt Bandelus & Caietanus suprà, alios Patres, qui carnem B. Virginis appellant peccatricem, vel carnem peccati, vel peccato obnoxiam. Ita Ambrosius serm. 6. super Psal. 118. August. Concione 2. in Psal. 34. & libro 2. de peccat. merit. cap. 24. Ansel. lib. de Concept. Virg. cap. 13. & nonnulli alij. Verùm præfata testimonia (præterquam quòd aliqua parum fideliter recitantur, vt aduertit Granados suprà §. 3.) facilem habent solutionem; quippe Patres solùm volunt carnem omnium, etiam B. Virginis, ex se peccatricem, seu peccabilem esse; quod verissimum est, & Marianæ puritati minimè obest.

CAPVT IX.

Mens D. Bernardi circa Conceptionem Beatæ Virginis aperitur.

105. *Obijcitur S. Bernardus.* Vasquez. Canisius.

ADuersarij, Bernardum sua castra ita palàm secutum fuisse gloriantur, vt id Vasquez 3. p. disput. 117. cap. 9. Canisius lib. 1. de B. Virgine, & multi alij, qui B. Virginem peccato originali caruisse nobiscum sentiunt; perspicuè fateantur. Ille enim epist. 175. non solùm acriter inuehitur in Canonicos Lugdunenses, quia festum Conceptionis in sua Ecclesia celebrare incœperunt; sed etiam validis rationibus

nibus persuadet Dei Genitricem in sua Conceptione, non sanctam, sed peccato originali contaminatam fuisse; licèt postea fuerit in vtero materno sanctificata, & à peccato, quod contraxerat, mundata: *Ante conceptum sui* (ait Bernardus) *sanctificari minimè potuit, quoniam non erat; sed neque in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; restat, vt post conceptum in vtero iam existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato, sanctam fecerit natiuitatem, non tamen & Conceptionem.* Et paulò infrà addit, solum Christum Dominum fuisse in conceptione sanctum; & cæteris alijs omnibus conuenire illud Psalmi: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Neque audiendus est Petrus de Ogeda, qui in suo tract. de Concept. cap. 4. §. 2. & 3. prædictæ epistolæ auctoritatem eleuare satagit; nam non solùm recentiores omnes, sed etiam S. Thomas, Bonauentura, Albertus Magnus, & alij etiam illis temporibus viciniores, eam vti opus indubitatum D. Bernardi, admittunt: & opera Patrum contra receptam traditionem negare, aut in dubium vertere, non licet.

Ogeda.

106. *Solutio præoccupatur.*

Neque obstat, dicunt Aduersarij, quòd cum aliquibus respondeamus, Bernardum non solùm iam Beatum retractasse opinionē prædictā (vt refert Pet. Cellensis l. 9. epist. ep. 9.) sed etiā dum viueret, & senior esset, vt constat ex quodam ipsius Sermone super Salue Regina, & serm. 15. de cæna Domini: nam sermones super Salue Regina, & de cænà Domini, sunt, teste Bellarmino, de Scriptoribus Ecclesiasticis, supposititij, & apparitio, quam refert Petrus Cellensis, non est authentica.

Bellarm.

107. *Bernardi testimoniū retorquetur.*

Enimuerò si prædictum argumentum efficax esset, & D. Bernardus, quod Aduersarij volunt, tradidisset, plura absurda contra reuerentiam tanti Doctoris deuorari deberent. Primò S. Bernardus reprehendit Canonicos Lugdunenses, quia temerè & leuiter induxerūt nouā festiuitatē Conceptionis: *Quam*, inquit, *ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, nō commendat antiqua traditio.* Et infrà in fine epistolæ, ait, prædictum festum esse contra Ecclesiæ ritum. Quæ omnia falsa sunt: nam festum Conceptionis, neque erat nouum, neque ignorabatur ab Ecclesia, neque erat contra eius ritum, cùm adhuc ante tempora Bernardi, in multis Prouincijs, & Ecclesijs prædicta festiuitas celebraretur, vt constat ex antiquis Liturgijs, & breuiarijs relatis suprà n. 10. & 48. Insuper Bernardus in fine prædictæ Epistolæ opinionem de immaculata Conceptione, ait, esse simplicitatem imperitorum; quod etiam falsum est, cùm nostram opinionem Anselm. S. Ildefonsus, sapientissimus Idiota, & alij doctrina & sanctitate venerandi, tradiderint. Præterea Bernardus ibidem prædictam opinionem, errorem appellat; vnde cùm Sixtus quartus, & alij Pontifices eam opinionem probabilem esse declarauerint, eos Bernardum in hac censura condemnasse, fateri opus esset; quæ omnia contra reuerentiam debitam D. Bernardo esse, nemo ignorat. Quapropter vt prædicta euitemus & mens Bernardi aperiatur, aliqua præmittere oportet.

108. *Notabile.*

Primò aduerto, Conceptionem esse duplicem; primam, inquam, & secundam. Conceptio prima est, quando semen virile prolificum in vuluam fœminæ infunditur, & hæc nouē mensibus à partu distare solet. Conceptio secunda partui vicinior est, & accidit in instanti, quo anima rationalis creatur, & corpusculo iam organizato vnitur: inter quas conceptiones magnum discrimen intercedit; nam in conceptione secundà verè existit anima rationalis vnita corpori; at in prima solùm semen virile in vulua matris reperitur. Nihilominus quia prædictum semen est causa instrumentalis hominis futuri; ipse, quando semen prædictum est receptum, conceptus & existens, nō formaliter, sed virtualiter censetur; & ita iuxta communem modum loquendi dicimus, tunc filiū esse conceptū, & existere. Ita loquitur Scriptura 2. Reg. 11. dum ait Bethsabee reuersam esse in domum suam concepto fœtu, id-est recepto semine prolifico. Ex quo apparet rectè dici posse B. Virginem extitisse tempore primæ & secundæ Conceptionis; nēpe tempore primæ, virtualiter & in semine paterno; & tempore secundæ, formaliter & in se.

Lib. Reg.

109. *Aliud notabile*

Secundò moneo, iuxta modū loquendi Patrum & Scholasticorum, in semine paterno, & cō-sequenter in fœtu, quatenus cum illo virtualiter idem est; inesse vitium & peccatum; non quia ibi sit aliqua qualitas vitiosa, aut culpa formalis; sed quia, vt bene Granados tom. de Incarnatio. tract. 1 disput. 1. sect. 15. numero 122. illud, supposito pacto inito cum Adamo, & eius præuaricatione, oritur communiter ex libidine; & est causa, vt fœtus, quando formaliter & in se existit, culpa originali maculetur; & ideo illud Iob 14. immundum appellatur. Ita loquitur Augustinus lib. 2. de nuptijs cap. 8. S. Thom. in 2. distin. 30. q. 1. art. 2. ad 3. & 4. Vnde nos omnes, tam in prima, quàm in secunda conceptione contaminati censemur; in secūda, inquam, formaliter; siquidem verè habemus peccatum originale, quo Deo inimici nominamur & sumus; & in prima virtualiter, quia tunc virtualiter sumus semen ortum ex libidine, &

Granados.

Iob. S. Aug. S. Thom.

ordinatum ex se ad procreationem hominis maculati. Quo posito,

110. *Bernardus explicatur.*

Respondeo, Bernardum in prædicta Epistola locutum fuisse, non de Conceptione secundâ; sed solùm de conceptione prima B. Virginis, distante nouem mensibus ab eius natiuitate; & contendisse B. Virginem, quatenus ipsa tunc erat idem virtualiter cum semine paterno, in vluam B. Annæ immisso; non fuisse sanctam, sed virtualiter maculatam modo nuper explicato: & quia existimauit festum prædictę primæ Conceptionis, à Canonicis Lugdunensibus celebrari, illos acriter reprehendit, vtpote temerè & inconsultè introducentes festum nouum contra ritum Ecclesiæ, contra rationem, & traditionem. Quod immunitati B. Virginis à peccato originali nullatenus contradicit; siquidem nos etiam admittimus, neque B. Virginem in prima conceptione fuisse sanctam; nam tunc formaliter anima rationalis B. Virginis, quæ sola erat capax sanctitatis, non existebat; neque festum prædictæ primæ conceptionis celebrari posse; siquidem tunc B. Virgo erat virtualiter idem cum semine paterno; vndè cùm hoc ex se fuerit immundum, & peccatum, vt suprà n. 72. dicebamus; etiam B. Virgo secundùm se considerata, peccatum virtuale habere censebatur. Quare sensus verborum Bernardi suprà numero 68. relatorum, est: *Si ante conceptum fui* (nempe primum) *sanctificari minimè potuit, quoniam non erat* (nempe neque virtualiter existens in semine:) *sed neque in ipso quidem conceptu* (nempe primò;) *propter peccatum, quod inerat* (nempe virtualiter in semine;) *restat vt post conceptum in vtero, iam existens* (nempe in instanti secundę Conceptionis) *sanctificationem accepisse credatur; quæ excluso peccato* (nempe quod virtualiter inerat in semine) *sanctam fecerit natiuitatem, non conceptionem*, nempe primam. Ex quo bene concludit Bernardus, prærogatiuam Conceptionis sanctæ, solùm Christo conuenisse; & illa verba Psalmi, *In iniquitatibus conceptus sum*, nomine omnium & singulorum, excepto vnico Christo, fuisse pronunciata: quippe solùm Christus Dominus, non medio semine virili; sed operâ Spiritus Sancti ex Virgine ita productus fuit, vt etiam tempore primæ Conceptionis distante nouem mensibus ab eius natiuitate; verè & formaliter Sanctus, & Verbo vnitus extiterit; quod neque Virgini, neque alijs competit; siquidem cæteri alij, vnico Christo excepto, primam conceptionem, in qua, non ipsi formaliter & in se, sed solùm semen virile interceffit, habuerunt; vnde illi omnes, excepto Christo, respicientes

cientes ad dictam primam suam conceptionem, verè dicere possunt: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: nempe quia tunc virtualiter erant ipsum semen virile, quod peccatum & vitium esse censetur, vt explicui suprà numero 72.

111. *Confirmatur explicatio dicta.*

Prædictam expositionem esse legitimam multa suadent. Primò iuxta eam omnia absurda suprà numero 70. relata, vitantur; siquidem opinio asserens B. Virginem in prima conceptione fuisse sanctam, est imperitorum, & erronea; & istiusmodi conceptioni festum agere, est contra ritum Ecclesiæ, contra rationem, & traditionem. Secundò Bernardus in prædicta epistola probat B. Virginem non fuisse sanctam in sua conceptione, de qua ipse loquitur; quia tunc non ipsa formaliter, sed oscula, amplexus maritales, & libido existebat: *An forte* (ait Bernardus) *inter amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit, & concepta?* Equidem cùm non tempore conceptionis secundæ, sed tempore conceptionis primæ, amplexus, & oscula maritalia interueniant; de hac egisse Bernardum, necesse est; ni velimus rationem Bernardi futilem, & infirmam fuisse. Denique pro hac explicatione sunt non solùm Bellarminus, Valentia, & alij recentiores, quos citat & sequitur Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 11. §. 4. sed etiam S. Thomas in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. Albertus Magnus in 3. dist. 3. art. 4. Bonauentura ibidem q. 1. Alensis 3. p. q. 9. memb. 2. art. 2. & alij temporibus Bernardi viciniores; qui probantes auctoritate prædictæ Epistolæ conceptionem primam B. Virginis non fuisse sanctam; quando agunt de Conceptione secunda ipsius, illam non citant; nempe quia supponebant Bernardum in prædicta epistola, non de conceptione secunda, sed solùm de prima, sermonem instituisse; alioquin suam opinionem de conceptione secunda maculata Dei Genitricis, auctoritate Bernardi confirmassent. Granados. S. Thomas. Albertus. Bonaven. Alensis.

112. *Obiectio soluitur.*

Obijcies saltem ex hac explicatione sequi B. Virginem fuisse obnoxiam peccato originali, & eius debitum contraxisse; siquidem ipsa, vt tempore primæ conceptionis virtualiter in semine virili paterno continebatur, in peccato virtuali erat. Aliqui admittunt consequentiam; verùm respondere possumus, semen illud paternum fuisse immundum & peccatum; quia illud secundùm se consideratum erat producturum fœminam peccatricem; quod autem non produxerit B. Virginem infectam, fuit per accidens; nempe ex eo, quòd diuinitus à pacto vindicata fuit;

quod non arguit B. Virginem peccasse in Adamo, aut debitum peccati incurrisse; sed solùm eam peccatum incursuram, si per prouidentiam Dei extraordinariam à pacto non fuisset exclusa.

113. *Alteri obiectioni fit satis.*

Secundò obijcies: Bernardus sermone 2. de Assumptione ait: *Si originalem à parentibus maculam traxit*, & in sermon. de priuilegijs Ioannis Baptistæ, ait: solum Christum non traxisse culpam originalem. Respondeo Bernardum in sermone de Assumptione conditionaliter locutum fuisse, vt constat ex eius verbis; & in serm. de Ioannis priuilegijs, generaliter: vnde sicut neque in propositionibus, quibus omnes peccasse dicimur, B. Virgo comprehenditur, neque propositio conditionata aliquid de facto, & absolutè contigisse affirmat; idcirco prædicta testimonia immunitati Marianæ non obsunt. Neque obstat Bernardum asseruisse omnes præter Christum culpam originalem traxisse; nam loquitur de primâ Conceptione: Christi autem sola Conceptio prima sanctissima fuit, vt dicebamus suprà numero 73.

Bern.

CAPVT XII.

Alij Patres, qui asserunt B. Virginem peccatum habuisse, explicantur.

INter Patres, qui circa præsentem controuersiam clarè locuti sunt, numeratur S. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. ad 4. S. Bonauentura in 3 dist. 3. art. 1. q. 1. fateor eos in prædictis locis opinionem minùs piam tradidisse; nihilominus eorũ auctoritas nobis obesse nequit; quia in alijs locis nostram docuerunt opinionẽ. S. Thomas eam secutus fuit in 1. dist. 44. art. 3. ad 3. & S. Bonauentura in ser. 2. de B. Virgine, quorũ verba refert Gran. suprà sect. 10. §. 5. & aliunde testes, qui modo contra innocentiam alicuius deponunt, & modò eundem innocentem fuisse testantur, litem non dirimunt. Idem fero iudiciũ de S. Bernardino Senensi citato pro se ab Aduersarijs; siquidem ipse tom. 1. ser. 52. & tom. 4. ser. 49. ex impressione Veneta anno 1591. nobis apertè fauit.

114. *De mente D. Thomæ, & D. Bonauenturæ.*

Bernardin.

115. *Quid sensit S. Eusebius.*

Secundò obijciunt Aduersarij Eusebiũ Emissenum in Serm. 2. de natiuit. Domini, vbi ait: *A peccati originalis nexu nullus immunis extitit, nec ipsa Genitrix Redemptoris.* S. Erardus Episco. & Martyr in serm. de nat. Virg. *O felix puella, quæ concepta in peccato, purificatur ab omni peccato.* Respondeo deo Eusebij testimoniũ sic referri à Suario to. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. *A peccati originalis nexu nullus per se liber extitit, neque ipsa Genitrix Redemptoris.* quod nobis non opponitur; siquidem sæpe animaduertimus B. Virginem non ex se; sed ob speciale priuilegium, culpam originalem non contraxisse. Ad B. Erardum respondeo ipsum non de Conceptione secunda, sed de prima B. Virginis egisse, vt suprà cap. 8. explicantes S. Bernardum, dicebamus.

Suarez.

116. *Mens aliquorũ Pontificum.*

Tertiò obijciunt Innocentium secundum & quintum, & Clementẽ sextum, in quibusdam sermonibus expresè asserentes B. Virginem peccatũ originale contraxisse. Verùm si præfati sermones prædictorum Pontificum sunt, de quo est lis, eos non vt Pontifices, sed vt concionatores particulares locutos fuisse, nemo ignorat.

117. *S. Vincentius ferrer.*

Obijciunt quartò S. Vincentium Ferrer serm. 1. de Natiuit. asserentem: *B. Virginem in eadem horâ fuisse sanctificatam*; sed hoc testimonium parum vrget; tum quia S. Vincen. non ait B. Virginem fuisse maculatam, sed solùm ait fuisse eadẽ horâ sanctificatam: quod cum nostrâ opinione subsistit; siquidem etiam eâ in instanti temporis suæ Conceptionis sanctificatâ, possemus dicere eam fuisse in prima hora suæ Conceptionis sanctitate condecoratam; tum quia idem Sanctus serm. 2. de Natiuit. perspicuè negauit Virginem delicto originali fuisse inquinatam, vt bene Granados suprà sect. 11. n. 157.

Granados.

118. *Rupertus.*

Insuper citatur pro contraria opinione Rupertus ad illud Can. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Verùm ibi locutum fuisse Rupertum, sicut suprà n. 73. explicuimus D. Bernardum, de conceptione primâ B. Virginis, eamque fuisse maculatã, mihi suadet ipse Rupertus ibidem, dum ait: *Libera es ab omni tugo peccati.*

119. *Obijcitur decretum sanctæ inquisitionis.*

Alia testimonia Aduersarij passim obijciunt; sed ea vel suppositicia, vel infirma esse ostendit Gran. suprà sect. 24. §. 4. & ideo illa omitto. Solùm oppono decretum editũ 20. Ian. anni 1644. à congregatione generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis vniuersalis, quod sic habet: *Eminentissimi & reuerendissimi DD. Cardinales Inquisitionis generalis prædictæ decreuerunt, quòd quando agitur de tribuendo titulo immaculatæ Conceptionis B. Virgini, nullo modo permittatur; sed solùm dicatur: Conceptio immaculatæ Virginis.* Ex quo apparet B. Virginem non fuisse sine macula conceptam; alioquin Congregatio prædicta Eminentissimorum Cardinalium, Conceptionem Beatæ Virginis immaculatam appellari, non prohibuisset. Neque sunt audiendi aliqui recentiores, qui præfatum decretum subreptitium fuisse volunt, & consequenter nullius auctoritatis, cùm id gratis supponant; vnde illud

admittere, & explicare oportet.

120. *Notabile.* Pro quo noto, si hoc decretū, vt sonat, intelligeretur, nō solū illud communi modo loquendi Theologorum; sed etiam decretis Pontificum aduersaretur: quod quàm absurdum sit nemo ignorat. Sixtus enim quartus in Extrauaganti *Graue nimis*, de reliquijs & veneratione sanctorum, appellat Conceptionem B. Virginis immaculatam, & idem Sixtus in Extrauaganti *Cum præ excelsa*, approbat officium Bernardi Nogarolis, in quo multoties Conceptio immaculata repetitur. Sixtus quintus, vt ait Laurentius Pertel in dubis verbo *Conceptio*, in quadam bulla relata ab Emanuele Rodriguez, Conceptionem B. Virginis puriſſimam vocat: Paulus quintus, vt refert Hieronymus Rodriguez Resol. 30. fouet indulgentijs eorum pietatem, qui dixerint Antiphonam cum oratione illa, *Deus, qui per immaculatam, &c.* & superaddit ibidem idem auctor, Vrbanum octauum die 21. Maij anni 1627. in litteris pro Iubileo de Conceptione pro conuentu Minorum Salmanticensi, dediſſe prædictum titulum immaculatæ conceptioni. Præterea Ecclesia in responsorio octauo festi Conceptionis eam absolutè sanctam appellat. Eundem modum loquendi hactenus Theologi, sacri Interpretes, Concionatores, & ferè omnes fideles obseruarunt: quapropter non est credendum Congregationem Eminentiſſimorum Dominorū Cardinalium, tot Pontifices, & ferè omnes Theologos corrigere voluiſſe; quare prædictum decretum interpretari, necesse est.

Sixtus IV.

Vrb. VIIJ. Breuiar.

Respondeo ergo, licèt Conceptio accipiatur pro prima, & secunda (vt animaduerti suprà n. 71.) tamen prima propriùs & communiùs Conceptio nuncupatur. Vnde, qui absolutè ait, Conceptionem B. Virginis fuiſſe immaculatam, denotare videtur eius primam Conceptionem, nempe effusionem seminis prolifici in vuluam S. Annæ, sanctam & immaculatam fuiſſe, quod vt suprà diximus numero 73. falsum est; & ideo à sacra Congregatione prohibitum. Nihilominus si ex antecedentibus, vel consequentibus innuatur, sermonem esse de secunda Conceptione Dei Genitricis, eam prædicto titulo insigniri, nullatenus vetatur, vt Pontifices citati, & Theologi fecerunt. Neque obstat si dicas cum aliquibus recentioribus, etiam primam Conceptionem fuiſſe immaculatam, vtpote sine libidine inordinatâ, aut peccato parentum peractam, vt tradunt Damascenus orat. 1. de natiuit. Virg. & B. Amadæus raptu 4. S. Birgitta relata à Canisio lib. 1. de B. Virgin. cap. 7. Hoc, inquam, non obest; nam licet

121. *Explicatur prædictum decretum.*

Damasc. Amadæus. S. Birgitta. Canisius.

licet in prædicta Conceptione prima Mariana, nulla libido, aut peccatum in parentibus interceſſerit; tamen B. Virgo tunc temporis neque in se, neque in semine prolifico recepto in vulua materna, fuit formaliter sancta aut amica Dei: vnde meritò sacra Congregatio prædictam Conceptionem absolutè immaculatam appellari, vetuit; non quia exiſtimauerit ibi peccatum vllum interueniſſe; sed quia illo modo loquendi datur occasio, præcipuè rudioribus, exiſtimandi vel semen prolificum receptum in vulua B. Annæ, aut animam Virginis antequam crearetur & exiſteret; fuiſſe tunc formaliter sanctam, & Dei amicam; quod cùm falsiſſimum sit, idcirco prædictum modum loquendi prohibuit.

DISPVTATIO DVODECIMA.

An à summo Pontifice, saltem cum Concilio generali, definiri possit, B. Virginem sine peccato originali, aut cum illo conceptam fuiſſe?

SI tam Patroni piæ opinionis, quàm minùs piæ, suæ causæ fiderent, præsens controuersia euitaretur. Verùm quia forsan causa cadere timent, neutram opinionem Ecclesiæ determinationi subesse posse, nonnulli testantur. Ita Canus lib. 4. de locis capite 4. & lib. 7. cap. 3. Medina 3. p. q. 27. art. 2. Caietanus Opusc. de Conceptione. Grauina 2. p. tomi 4. q. 3. art. 9. difficult. 3. & plures alij Thomistæ. Quod vt aliqui suadeant, quasdam regulas Sedi Apostolicæ præscribūt, vt licitè & validè ad definitionem authenticam controuersiarum procedere valeat. Quapropter antequam præfixam disputationem aggrediar, illas examinare operæ pretium duxi, vt inde nostrum placitum magis clarescat, & roboretur magis.

Canus. Medina. Caiet. Grauina.

CA-

CAPVT I.

Quædam anteloquia præmittuntur, in quibus conditiones requisitæ ad validam, & licitam controuersiarum definitionem, breuiter examinantur.

2. CVm omnes Catholici Ecclesiam in rebus fidei à vero deuiare non posse, firmiter credant; eam in suis definitionibus ritè factis, errare etiam non posse constanter affirmant, quare hac veritate, vtpote dogmate, suppositа, solùm conditiones, quas obseruare debet Ecclesia, vt eius definitiones validæ & licitæ sint, inuestigamus.

§. I.

Aliqua præsenti difficultati deseruientia breuiter adnotantur.

3. *Controuersia diuiduntur.* COntrouersiæ inter Catholicos agitatæ sunt in duplici differentia: aliæ continentur expressè, aut virtualiter in verbo Dei scripto aut non scripto; & aliæ in illo neq; formaliter, neq; virtualiter, neq; vllo alio modo includũtur; quales sũt plures quæstiones inter Philosophos excitatæ. Cæterùm has posteriores controuersias, non esse determinabiles per Ecclesiam ferè omnes meritò supponunt. Nam vt bene S. Thom. 2.2. q. 1. art. 10. Palao tom. 1. tract. 4. disput. 1. punct. 5. §. 4. numero 3. Turrianus de Fide disput. 3. dub. 2. Granados controu. 1. de Fide tract. 3. disp. 2. Grauina 2. p. tom. 4. q. 3. art. 7. & 8. in dubitat. 1. appendice & alij passim; Ecclesia accepit potestatem definiendi, & declarandi verbum Dei scriptum, & non scriptum: quare cùm præfatæ controuersiæ ad verbum Dei nullatenus pertineant, eas extra latitudinem quæstionum definibilium ab Ecclesia contineri, necesse est. De quo iterum infrà n. 40. sermo redibit. Præterea priores controuersiæ subdiuiduntur: aliæ enim ita versantur circa materiam reuelatam, vt aliqua illarum pars in verbo Dei expressè contineatur, vel ex illo per legitimam consequentiam euidenter deducatur. (qualis est illa propositio; Christus crucifixus & mortuus fuit, & illa in Christo sunt duæ voluntates, humana, inquam, & diuina; prior perspicuis verbis legitur in sacro textu; posterior ex eo quòd ibi Christus Deus & homo nuncupatur, per euidentem illationẽ concluditur) Aliæ licèt certò versentur circa materiam reuelatam; nihilominus neutra illarum pars ex verbo Dei scripto, aut non scripto, certò & euidenter inferri potest; sed solùm probabiliter: vnde Theologi circa illarum veritatem inter se digladiari solent; & alij partem affirmatiuam ex reuelatis deduci, & alij negatiuam esse ibi inuolutam, tã rationibus, quàm auctoritate persuadere contendunt. Talis est illa celebris quæstio inter Dominicanos, & Iesuitas excitata de auxiliorum efficacitate; & ila antiquitus mota inter Franciscanos, & Dominicanos de sanguine Christi in passione fuso; An inquam, totus fuerit hypostaticè vnitus diuinitati? & præsens lis de maculata, vel immaculata Deiparæ Conceptione; & aliæ similes, quarum aliquas tetigit Augustinus lib. 2. contra Pelagium, & Cælestium cap. 27. & alias quotidie inter Theologos agitari videmus. Et si de priori-

S. Thom. Palao. Turrian. Granados. Grauina. Augusti. Grauina.

bus controuersijs sermo instituatur, certissimum, & inter Catholicos indubitatum est, eas licitè & validè determinari posse; cùm id satis superque praxis Ecclesiæ conuincat. Imò, vt optimè addit Grauina 2. p. to. 4. q. 3. art. 9. harum definitio non est protelanda ab Ecclesia; sed statim, ac de illis dubium excitatur, illud supprimendum, ne error silentio serpat, & in pectoribus fidelium maiores radices agat; & ideo Patres, vbi primùm inceperunt Ariani, Pelagiani, Eutichiani, & alia similia monstra, suos errores disseminare, se illis opposuerunt, & ad Sedem Apostolicam, vt eos condemnaret, recurrerunt.

4. *Lis exponitur.* Quapropter solùm est lis de alijs controuersijs, ita certò versantibus circa materiam reuelatam, vt neutra pars ex verbo Dei scripto, aut non scripto per legitimam & euidentem illationem concludatur. Et inquirimus, an præfatæ quæstiones sint definibiles à Sede Apostolica, vel Ecclesia, & quas conditiones ipsa in eis obseruare debeat, vt eius determinatio licita, & certa de fide censeatur. Cæterùm, quia in hac quæstione nostro instituto deseruiente, duæ graues difficultates inuoluuntur, nempe an Ecclesia validè? & an illa validè, & pariter licitè præfatas controuersias determinare valeat? de illis seorsim agendum est.

§. II.

An Ecclesia validè definire possit controuersias certò contentas in verbo Dei, quando neutra pars certò constat; sed ad summum magis probabilis apparet?

5. *Prima sententia.* HÆc quæstio vel eadẽ prorsus est, vel necessariam connexionem habet cum alia diuersis vocabulis agitata, nempe an si Ecclesia per possibile, vel impossibile, præfatas controuersias, non bene eliquata veritate, neque

neque præmisso sufficienti examine, sed temerè definiret, errare posset? In quâ re prima sententia negat has controuersias posse validè determinari ab Ecclesia: vnde si ea Sedes Apostolica, vel per possibile, vel impossibile, ad earum definitionem de facto veniret, eam posse errare aiunt. Ita aliqui apud Okam lib. 3. dialog. 3. p. cap. 31. Grauina 2. p. tom. 4. q. 2. art. 9. qui pro se citat Cardinalem Turrecrematam:

Okam. Grauina.

6. Dilucidatio.

Hæc sententia summopere mihi displicet: vnde verissimum puto si Ecclesia, vel Sedes Apostolica, per possibile vel impossibile, neque eliquatâ veritate, neque præmisso sufficienti examine, sed temerè ad definitionem procederet, eam in suis decretis ad fidem pertinentibus nullatenus erraturam. Ita Palao tom. 1. tit. 4. disput. 1. punct. 5. §. 2. numero 12. Suarius de Fide disput. 5. sect. 8. n. 1. Granados ibidem tract. 7. disput. 2. n. 13. Henriquez in quodam Opere de Pontifice & Concilijs, quod in hoc Collegio Madritensi habemus, lib. 3. cap. 1. numero 2. & videtur sensus communis recentiorum.

Palao. Suarez. Granados. Henriquez.

7. Notabile.

Quod, vt magis appareat, præmoneo, veritates, seu propositiones fidei esse in duplici differentia: alias quoad se & quoad nos; & alias quoad se, non tamen quoad nos: illæ sunt, quæ ita à Christo, vel Apostolis traditæ sunt, vt earum certam notitiam habeamus; quales sunt propositiones in sacro textu contentæ, vel quæ inde, vel per indubitatam traditionem, vel per declarationem Ecclesiæ, certò deducuntur. At propositiones de fide, & non quoad nos, sunt quæ à Christo, vel Apostolis fuerunt prolatæ; & tamen nos illas ignoramus; vel saltem certò non scimus: quas omnes propositiones, & veritates intra obiectum vniuersale fidei diuinæ inuolui, omnes meritò supponunt. Nam cùm fides diuina sit assensus alicuius veritatis à Deo testificatæ, & quidquid Christus, vel Apostoli Ecclesiæ proposuerunt, sit à Deo affirmatum: ideo prædictæ omnes propositiones, & veritates siue nobis notæ, siue ignotæ, ex se credibiles sunt fide diuina; licèt ignotæ de facto à nobis expressè per accidens non credantur, sed solùm virtualiter; nempe non quia non dictæ sunt à Deo, sed quia eas à Deo certò dictas esse ignoramus. Secundò aduerto, potestatem definiendi à Christo Ecclesiæ concessam, cum latitudine obiecti adæquati fidei diuinæ commensurari: vnde sicut illa nequit veritates non dictas à Deo, seu existentes extra latitudinem obiecti adæquati fidei, authenticè determinare; ita Ecclesia eas, quas Christus, vel Apostoli docuerunt, designare, & explicare per se valet. Quòd verò has vel illas hîc & nunc non

non proponat, non oritur ex defectu potestatis; sed ob alia accidentia, & circumstantias. Hæc doctrina meo iudicio est certissima, & eam omnes Theologi supponunt, dum tanquam certum contra hæreticos absolutè statuunt, Ecclesiam in suis decretis pertinentibus ad doctrinam fidei errare non posse. Hoc idem supponit S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 10. cui omnes assentiuntur, dum ait, declarationem, seu expositionem authenticam, & certò veram locorum Scripturæ, ad Ecclesiam pertinere. Hoc idem Scriptores Canonici satis apertè significarunt, dum Ecclesiam iam columnam, iam magistram, iam domum, & custodem veritatis, nempe fidei, appellarunt; & portas inferi aduersùs eam præualituras esse negarunt.

S. Thom.

8. Alia impugnatio.

Ex quo nostra sententia confirmatur, & contraria depellitur: nam Deus promisit se adfuturum Ecclesiæ, ne in designatione verbi Dei scripti, aut non scripti, neque in eius expositione, neque in alijs rebus pertinentibus ad doctrinam fidei, à vero deflecteret, vt inter alios benè contra hæreticos conuincunt Bellarm. lib. 4. de Pontif. à cap. 3. Granados controuer. 1. de Fide tit. 7. sect. 2. Becanus de Fide cap. 5. à numero 11. sed præfatarum controuersiarum determinationes ad fidem spectant, cùm, vt nuper suppositimus, sint designatio, aut explicatio veritatum contentarum in verbo Dei; ergo Deus ex vi suæ promissionis Ecclesiæ assistere tenetur, ne falsum pro vero fidelibus credendum proponatur. Confirmatur, quia Ecclesia non solùm est verax, sed etiam sancta, ea in decretis ad mores pertinentibus decipi nequit, neque quod intrinsecè malum est, seu iuri naturali, aut diuino aduersatur, vt licitum & honestum approbare, vt suprà disp. 11. cap. 3. n. 42. ex communi, & iam recepto placito Doctorum adnotaui, & ita omnes Sedem Apostolicam aut Ecclesiam neque in canonizatione Sanctorum, neque in cultu publico eis primariè exhibito, errare posse vno ore fatentur; ergo etiam eadem, quia verax est & magistra veritatis, in decretis ad materiam fidei spectantibus à vero deflectere non valet. Neque satisfacies respondendo, Deum nunquam permissurum, vt temerè seu non præmisso sufficienti examine, & non eliquata veritate, veniat de facto ad definitiones. Hoc, inquam, non obest: nam hîc non tractamus, an Deus de facto permissurus, vel non permissurus sit præfatarum controuersiarum temerarias definitiones; sed, vt inobliquitas Ecclesiæ meliùs cognoscatur, inquirimus aan data hypothesi per possibile vel impossibile; quòd Sedes Apostolica,

Bellarm. Granados. Becanus.

ca, vel Ecclesia temerè, & non præmisso sufficienti examine ad determinationem authenticam prædictarum quæstionum deueniret, eius articuli certissimi essent, & affirmamus eos fore certissimos, & inobliquæ veritatis. Nam etiam est implicatio, quòd Angeli cælestes nobis aliquid contra Euangeliū proponant; & tamen Paulus ad Gal. 1 vt firmitatem fidei manifestaret, eos, qui data hypothesi quòd Angeli aliquid contra Euangelium annunciarent, eis assensum præberent, anathemati subiecit: ita nos, vt infallibilem veritatem definitionum Ecclesiæ declaremus, asserimus eam per possibile vel impossibile, etiam temerè in suis decretis pertinentibus ad materiam fidei procedentem, falsum pro vero approbare non posse. Vnde pro comperto habeo, vel Deum non permissurum præfatas temerarias definitiones; vel si permittit, eas esse dogmata, & certissimos articulos fidei.

Paulus.

9. *Responsio adducitur.* Grauina.

Præfatæ doctrinæ respondit Grauina suprà, promissionem factam Ecclesiæ de inobliquitate suorum dogmatum, non fuisse absolutam; sed conditionatam, nempe si priùs prudenter se gesserit, & præmisso sufficienti examine fecerit, quod in se est, vt veritas definienda eliquetur: quare cùm in similibus casibus Ecclesia conditionē appositam, sub qua Deus illi suam manutentionem promisit, non adimpleuisset, Spiritus Sanctus ei assistere non teneretur; & ita posset errare. Addit hic Doctor, vt duram doctrinam emolliat, non esse ab inferioribus in controuersiam vertendum, an fuerit diligentia prudens præmissa, seu an veritas fuerit sufficienter eliquata; sed simpliciter Pontifici definienti credendum.

10. *Responsio allata explodituir.*

Hæc doctrina mihi summopere displicet; tum quia falsa, tum quia dogmata hactenus in Concilijs determinata, eneruare; tum quia Hæreticis patrocinari videtur. Primò Deus absolutè constituit Ecclesiam domū, magistrā, & columnam veritatis, & neque Petrum, seu (vt Catholici interpretantur) neq; eius Successores, defecturum à fide, neq; portas inferi contra Ecclesiam præualituras asseruit; quæ inobliquitatem decretorum Ecclesiæ pertinentium ad fidem, quomodocumque editorum, satis superque manifestant, vt liquet ex his, quæ Bellarminus & Becanus suprà, & alij Controuersistæ cōtra hæreticos ponderarunt. Neque obstat si dicas, in his omnibus locis subintelligi conditionem illam, si Ecclesia priùs faciat, quod in se est ad eliquandam veritatem; nam licèt in promissionibus diuinis absolutè prolatis, multoties aliqua tacita conditio inuoluatur (vt ostendi suprà disp. 5, cap. 7. n. 45.) tamen id non est gratis asse-

Bellarm. Becanus.

uerandum, nisi id auctoritas, ratio, vel euentus expostulat; quod hìc non euenit; siquidem neq; auctoritas Patrum, neque euentus alicuius dogmatis falsi, præfatæ explicationi fauet; neque pro illa discursus firmus fieri valet. Confirmatur: nam, vt nomine omniū Catholicorum ait Turrianus de Fide disp. 23. dub. 1. Ecclesia, & sacer textus in inobliquitate veritatis sunt æquales; & ita Patres, & Theologi Ecclesiam, & Scripturam certissimam, & rectissimam regulam fidei appellant; cui consonat illud celebre dictum Augustini libro contra Epist. Manichæi: *Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas.* & illud Gregorij libro 2. Registri indict. 10. epistol. 10. suscipientis & venerantis quatuor priora Concilia, sicut quatuor Euangelia. & ita Patres (vt vidimus disputatio. 11. capite 2. §. 1. & 4.) iam ex orationibus, & exorcismis Ecclesiæ, iam ex cultu ab illa Sanctis exhibito, iam ex consuetudine illius, nonnullas veritates concinunt. Vnde sicut quæ affirmantur in sacro textu sine vlla exceptione verissima sunt; ita, quæ Ecclesia determinat, necessariò vera esse oportet. Alioquin neque Ecclesia, & Scriptura essent æquales in infallibilitate veritatum à se traditarum; neque argumentum à Patribus confectum, validum esset, si ad certitudinem, & inobliquitatem veritatis decretæ, præfata conditio requireretur, vt liquet, & infrà n. 12. magis declarabimus.

Turrian.

Aug.

Gregor.

11. *Iterum reiicitur.*

Præterea impugnatur prædicta solutio: nam si ad inobliquitatem dogmatum, præter auctoritatem Sedis Apostolicæ, seu Ecclesiæ, requireretur quòd eadem prudēs præuium examen præmitteret, seu priùs faceret quod in se est, vt veritas eliquaretur; inquiro quis de purificatione iudicaturus est? an ipsa Ecclesia, seu Pontifices summi? an Theologi, & Doctores particulares? Si prius respondeas, planè sequitur præfatas definitiones esse validas, & certò inobliquas; siquidē eo ipso quòd Pontifices dogma statuunt, & illud vt certū de fide fidelibus credendū proponunt, illud sibi constare satis abundè significant; ni velis ad certitudinē dogmatū, præter authenticam promulgationem, requiri superadditā expressā assertionem, quā Pontifex seu Ecclesia perspicuis verbis testetur, se in illa determinatione præuiū examen præmisisse, & eliquatā veritate illam definiuisse; quod magnum absurdum est: tum quia multoties hoc additamentum in articulis fidei constitutis à Sede Apostolica, vel Ecclesia non reperitur; tum quia si ad valorem infallibilem primæ definitionis definitio expressa huius additi requireretur, etiam

ad validitatem istius secundæ definitionis tertiâ esset opus, quâ Pontifex pronunciaret, se in secunda definitione prudèter processisse, & sic, vt certum esset aliquod dogma, infinitæ definitiones prærequirentur. Si verò posterius dicas, nempe Doctores particulares iudicaturos, an Pontifex, vel Ecclesia prudenter & bene eliquata veritate articulos constituerit; præterquam quòd magnam iniuriam irrogabis Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ; peruiam hæreticis portam panderes, vt decretis Apostolicis in materia fidei resistant; & veritates ibi cõtentas nõ esse certas obganniant; siquidem obuium cuilibet est dicere (quod ipsi sæpe blaterant) Ecclesiam non bene eliquata veritate controuersiarum, ad earum determinationem deuenisse.

12. *Aliter dicta responsio impugnatur.*

Insuper iuxta præfatam responsionem certitudo multorum dogmatum hactenus à Pontificibus definitorum, prorsus euertitur; & ita, qui ea esse vera negaret, hæreticus non esset; quod nemo sanæ mentis cõcedet. Quis enim nisi diabolico spiritu agitatus, effutiet non esse certum de fide sacramenta gratiam conferre, fidem sine operibus ad salutẽ non sufficere, & similia contra Hæreticos ab Ecclesia declarata. Sequela probatur: nam, vt aliquod dogma sit certum, & de fide, non sufficit (vt vult Grauina) vt illud Pontifex è Cathedra definiat; sed insuper requiritur, vt ille in hac re temerè non procedat, sed priùs faciat quod in se est, vt veritas ante definitionem bene eliquetur; sed non est certum & de fide Pontificem in hac & illa definitione fecisse quod in se est, seu præmisso sufficienti examine, & bene eliquatâ veritate, hoc & illud dogma determinasse; ergo non est certum & de fide præfata dogmata esse vera. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Grauinæ. Minor est euidens; tum quia (vt suprà n. 11. dicebam) non est definitum Pontificem in hac definitione fecisse priùs quod in se est, vt veritas eliquetur; tum quia, vt supponit Grauina, contingere potest vt Sedes Apostolica temerè, & non faciendo priùs quod in se est, deueniat ad determinationem controuersiarum, cùm Deus non promiserit Ecclesiæ se infallibiliter id impediturum. Quare cùm non sit definitum Sedem Apostolicam in constitutione huius, vel illius articuli, fecisse priùs quod in se est, vt veritas eliquaretur; ideo neque certum, neque infallibile est, Deum Pontifici astitisse, neque Pontificem in hac vel illa definitione, temerè nõ processisse, aut priùs fecisse quod in se fuerat. Confirmatur, quia Deus promisit suam infallibilem assistentiam in rebus fidei Petro, & eius

eius veris successoribus, vt dogma ab Innocentio v. g. X. determinatum sit certò de fide verum; communiter Doctores aiunt esse quoque certum, & de fide illum esse verum Papam; siquidem si certum non esset illum verum Petri successorem esse, etiam non esset certum Spiritum Sanctum illi in suis definitionibus adstitisse, & consequenter neque eas esse certò veras, vt bene conuincunt Suarius de Fide disp. 10. & Palao tom. 1. tit. 4. di. 1. pu. 5. §. 2. n. 9. ergo vt dogmata à Pontificibus statuta sint certò, & de fide vera, vnum è duobus certissimum quoque necesse est; nempe vel Deum non permissurum veros Pontifices temerè aliquid definire, vt volunt Canus lib. 5. de locis cap. 5. ad 2. Bannez in breui Comment. dub. 2. ad 3. & Granados suprà; vel si id permittit, eum certissimè manutenturum Pontifices, ne errent, vt tradit Valentia 2. 2. disp. 1. q. 1. punct. 7. in q. 5. §. 40. obiect. 6.

Suarez. Palao. Canus. Bannez. Granados. Valentia.

13. *Ex relata responsione absurdum colligitur.*

Deinde ex præfata doctrina sequitur, non fore hæreticos, qui aliquot dogmata ex hactenus definitis à Sede Apostolica, vel Ecclesia, vti falsa reijceret, non ob defectum auctoritatis Ecclesiæ, sed ob defectum debiti examinis ad definitionem requisiti; siquidem præfatus hæreticus admitteret Ecclesiæ infallibilem auctoritatem, & solùm negaret, quod licèt sit temerarium, tamen certum, & de fide non est; nempe Sedem Apostolicam fecisse quod in se est, & præmisso sufficienti examine, & veritate eliquata ad determinationem controuersiæ deuenisse; quod magnum absurdum est, cùm Concilia, & Pontifices, propositiones è diametro oppositas dogmatibus à se definitis, hæreses; & harum sectarios hæreticos soleant appellare. Confirmatur, quia Pontifices, & Concilia generalia in materia facti errare, & innocentem, vt reum condemnare; & reum vt innocentem absoluere possunt; si quis ignotâ causâ eos in prædictis iudicijs temerè processisse & erasse affirmaret; non hæreticus, sed impudens & temerarius esset: nam ille non potestatem Ecclesiæ, sed rectum, & diligentem vsum illius impudenter negasset; ita si Pontifex potest temerè lites pertinentes ad fidem determinare, & sic errare, non hæreticus, sed ad summum temerarius, & impudens esset, qui illum temerè processisse effutiret; siquidem prædictus accidisse, quod euenire potuit, & non est definitum, solùm testatur.

14. *Obiectio.*

Obijcies ex doctrina Patris Granados suprà, cùm Deus omnia suauiter disponat, suam assistentiam Pontificibus humano modo procedentibus solùm promisisse censetur; cùm autem huma-

humanus modus determinandi aliquod difficile & graue negotium, maturam deliberationem, & præuiam consultationem exposcat; idcirco dicendum est, Deum non simpliciter, sed sub conditione, si Pontifices humano modo seu maturo consilio procederent ad definitionem, eis se adstiturum promisisse. Hæc impugnatio, ni fallor, nostram doctrinam mirificè confirmat; quod vt innotescat,

15. *Notabile.* Aduerto, Deum, vt Ecclesia sua magis vniretur, & fideles in materia fidei non discreparent, voluisse regulam visibilem fidei inobliquam relinquere, nempe Pontifices è cathedra loquentes, iuxta quam quid amplectendum, quid reijciendum certissimè cognoscemus. Secundò moneo, controuersias ad fidem pertinentes non esse æquales in certitudine; siquidem aliæ facilius, & aliæ difficilius ex sacro textu dirimuntur: vnde consultatio, & examen illorum æquale necessariò esse non debet: quare, vt bene adnotauit Suarius de Fide disput. 5. sect. 8. prudentis arbitrio relinquendum est, an ad determinationem authenticam huius controuersiæ, tale vel tale examen, & consultatio sufficiat, vel maior diligentia requiratur. Cæterùm cùm hominum iudicia sint varia; & quòd aliqui sufficere dicunt, alij insufficiens esse autument; si Deus infallibilitatem articulorum fidei ab Ecclesia decernendorum, dependenter à sufficienti examine & consultatione promisisset, prædictum finem non consequeretur; siquidem si Deus non se obligauit ad impediendum temerarias definitiones, vel si eas permisisset, ad manutenendum Pontifices, ne errarent, quilibet dubitare posset (vt suprà arguebamus) an in hac vel illa determinatione Pontifex præmisso sufficienti examine processisset: quare vt prædicta dubitatio penitus tollatur, & articuli fidei prorsus indubitatæ veritatis sint; dicendum est, vel Deum nullatenus permissurum præfatas determinationes; vel si permittit, non passurum, vt in eis deflectatur à veritate: quo posito,

Suarez.

16. *Responsio ad obiectionem.* Ad obiectionem respondeo, Deum omnia suauiter disponere, & sic Pontificibus humano modo procedentibus suam assistentiam infallibilem promisisse: verùm cùm humanus modus procedendi in grauissimis negotijs sit duplex, nempe licitus, & illicitus, seu imprudens; ex eo quòd Deus suam assistentiam promiserit Pontificibus humano modo procedentibus, non sequitur inobliquitatem veritatis in determinationibus Apostolicis à modo humano licito dependere; sed à modo humano vt sic abstrahente, à licito & prudenti, siue illicito & imprudenti, nempe

pe à Pontificibus è cathedra voluntariè & liberè loquentibus, & suum sensum manifestantibus: hoc enim exigit suauis Dei prouidentia, vt dogmata à Pontificibus proposita, vt certissimè firma ab omnibus sine vlla tergiuersatione habeantur (vt sæpe repetiui.) Idem suadet mos diuinus in multis alijs materijs, v.g. sacramentorum, vbi, licèt Deus promiserit ministros sacramentorum ea conficientes, causaturos gratiã in rite ea recipientibus, tamen ad hunc effectum non licitam ex parte ministrorum, sed externam administrationem liberam expostulauit.

17. *Solutio alterius obiectionis.* Instabis, si inconsulta definitio est inobliquæ veritatis; sequeretur Pontifices temerè procedẽtes ad determinationẽ controuersiarũ, non peccaturos; quod est absurdum. Sequela probatur: nam matura deliberatio, & consultatio in rebus grauibus, ideo requiritur, ne in illis periculo errandi exponamur; cùm autẽ Pontifex, iuxta nostram doctrinam, etiam temerè procedens à vero in suis definitionibus deuiare nequeat, consultatione, & examine non esset opus. Respondeo Pontificem temerè procedentem in suis definitionibus, peccaturũ, nõ quia præuium examen prætermittens se exponat periculo errandi; sed quia contraueniret præcepto diuino, quo (vt bene Palao suprà) tenetur hoc facere, ac si ab eo in-

Palao.

18. *Alij oppugnationi occurritur.* Instabis secundò, hoc præceptum esse fictitium; nam non est humanum, cùm Papa in terris nõ habeat superiorem, à quo illud oriretur: insuper non est diuinum positiuum, cùm tale non extet: denique non est naturale; nam natura solùm exigit consultationem ob periculum errandi, quod cùm in nostro casu non adsit; etiam præceptum naturale obligans ad examen; & consultationem articulorum definiendorum, non erit. Respondeo, prædictum præceptum non esse humanum, neque positiuum diuinum, sed naturale diuinũ, quod oritur ex ipsa natura eleuata ad finem supernaturalem, & gubernatam per suauem Dei prouidentiam: nam huius proprium est res suauiter & modo ordinario sine multiplicatione miraculorum, ad finem etiam supernaturalem intentum deuenire; cùm autem modus ordinarius humanus eruendi veritates obscuras, sit studium, matura consultatio, & deliberatio; ideo, ne Dei assistẽtia & gubernatio sit magis extraordinaria, ac esset, si Pontifex temerè procederet, consultatio, & matura deliberatio ex præcepto naturali diuino requiritur. Accedit alia ratio, ob quam Pontifex tenetur de rebus definiendis consultare, & præuium examen præmittere, nempe ne pusil-

li scandalizentur ; & ex temera definitione accasionem tergiuersandi assumant; quod adhuc magis vrget , si consideres aliquos Catholicos doctos sentire ad validam definitionem, maturâ deliberatione , & præuio examine opus esse: sanè si temerè Pontifex aliquam controuersiam diremisset, alij Pontificiam definitionem vt dogma certissimum reciperent ; alij vt inualidum, contemnerent ; & ita contentiones satis periculosæ in Ecclesia suborirentur; quas cùm Pontifex non promouere , sed impedire teneatur ; idcirco de rebus definiendis maturè inquirere,& consultare tenetur. Quare meritò Pontifices ab exordio Ecclesiæ præfatam consuetudinem obseruarunt , vt dicitur in cap. Apostolicæ Sedis, 35. q. 9. desumpto ex S. Gregorio : *Apostolicæ Sedis sententia*, ait, *semper consilij moderatione concipitur, patientiæ maturitate decoquitur , & deliberationis grauitate profertur.*

S. Greg.

§. III.

Prima opinio circa conditiones ad licitam determinationem controuersiarum requisitas, refertur, & impugnatur.

19. *Prima opinio.*

PRima sententia aliquas regulas designat ad validam , vel saltem licitam controuersiarum definitionem ; quæ omnes, si absint , determinatio Apostolica irrita, & inualida , aut saltem illicita euadet ; quas ad duo capita reducere possumus. Prima est, vt pars definienda expressè in verbo Dei scripto, vel non scripto contineatur , vel saltem ex expressè reuelatis per legitimam consequentiam,certò deducatur. Cæterùm, quia aliqua dogmata sunt definita,quæ neque in verbo Dei scripto clarè reperiuntur, neque ex expressè ibi significatis certò inferuntur , alia regula affignatur, nempe traditio indubitata , vel communis Patrum, vel Doctorum consensus, ex quo illam partem fuisse à Christo, vel Apostolis ore-tenus prolatam, certò demonstratur. Quare iuxta hanc sententiam , solùm illæ controuersiæ vtrimque probabiles, & ad fidem pertinentes, quarum alterutra pars in Scriptura clarè continetur , vel ex clarè reuelatis certò infertur , vel cui indubitata traditio, vel consensus Patrum, vel Doctorum certò suffragatur, validè, & licitè determinari valent. At controuersiæ vtrimque probabiles , quarum neutra pars ex præfatis principijs decidi potest , indefinibiles sunt ab Ecclesia: ita Grauina 2. p. tom. 4. q. 2. art. 9. Grauina.

20. *Explicatur.*

Hæc sententia (præterquam quòd excogitata videtur ad præcludendam definibilitatem de opinione negante Deiparam in peccato

peccato conceptam fuisse) aliqua falsa , & absurda inuoluit ; & ideo illam multi iure depellunt. Primò ex ea sequitur , ad conseruandam Ecclesiam vnitam in materia fidei, non esse tam necessarium (vt volunt Catholici contra hæreticos) iudicem visibilem controuersiarum (nempe Pontifices supremos , aut ipsam Ecclesiam,) quod absurdum esse bene ostendunt Bellarminus lib. 3. de Verbi Dei interpretatione, cap. 1. Becanus de Fide cap. 5. Turrianus ibidem disput. 23. Suarius de Fide disput. 5. sect. 5. Sequela probatur : nam cùm iuxta præfatam doctrinam solùm sint terminabiles illæ controuersiæ, quarum alterutra pars in sacro textu expressè continetur ; vel ex clarè reuelatis per legitimam consequentiam infertur ; vel constat ex certâ traditione , seu vnanimi Patrum , & Doctorum consensu ; iudex visibilis ad has solùm lites decidendas requireretur ; siquidem aliæ indefinibiles sunt. Cæterùm has cognoscere quilibet mediocriter doctus , & in scholis versatus valet. Primò quod expressè reperitur in Scriptura , vt Christum fuisse crucifixum, conscij linguarum bene intelligunt. Insuper veritatem necessariò connexam cum expressè reuelatis , docti sine regula , seu iudice visibili , bene deducunt. Quis enim dicet ad certò infe-

Bellarm. Becan. Turrian.

rendum,ex eo quòd Christus homo in Scriptura nuncupetur, eum esse risibilem , iudice visibili indigere? Tertiò etiam quòd certa & indubitata traditio , seu vnanimis Patrum, & Doctorum consensus insinuat , fuisse à Christo , vel Apostolis traditum , esse verum, non solùm Catholici, sed etiam Cassander , & aliqui alij hæretici , apud Grauinam 2. p. tom. 4. q. 3. art. 4. & 5 nomine suorum Collegarum testantur: vnde ad decidendas controuersias ex præfatis capitibus constantes , iudice visibili non erit opus.

21. *Solutio præoccupatur.*

Neque satisfacies respondendo, iudice visibili esse opus , quia multi veritates certò deductas ex præfatis capitibus , obstinatè negant ; nam etiam multi negant auctoritatem Sedis Apostolicæ; vnde si ob prædictam causam Sedes Apostolica iudex controuersiarum constituitur, etiam ob eandem alius iudex , quem præsati admitterent , designandus esset. Declaratur , & amplius noster discursus confirmatur : multi hæretici iudicem controuersiarum, nempe inobliquitatem Sedis Apostolicæ , ideo depellunt, quia Scripturam, & traditiones indubitatas,ad controuersias decidendas,sufficere arbitrantur; & ideo Marcus Antonius Episcopus Spalatensis nomine suorum Collegarum aiebat : (vt refert Grauina suprà art. 1.) *Neque Ecclesia* Spalaten. Grauina.

clesia tenetur vlli articulo fidei prius latenti assentiri, nisi discursionem viderit, & probarit: nempe ex verbo Dei, vel certâ traditione. E contrariò Catholici iudicem visibilem controuersiarum necessariò esse admittendum demonstrant, tum ex eo quòd Scriptura multoties plures sensus capit; & ita obscura est, vt ex illa alterutram partem certò deducere nequeamus, vt arguunt Becanus de Fide cap. 7. à n. 10. & passim alij Controuersistæ; tũ quia traditiones multoties sunt incertæ, & falsis permixtæ, vt aiunt bene Suarius de Fide disput. 5. sect. 5. Turrianus ibidem disp. 23. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei non scripto cap. 9. Canus de locis lib. 3. cap. 4. & alij communiter: vnde præter Scripturam, & traditiones, alium iudicem visibilem controuersiarum necessariò admittendum esse volunt, qui verbi Dei legitimam expositionem aperiat, & quæ sint traditiones Apostolicæ certò designet, & vera à falsis secernat. Cæterùm si solùm dirimibiles essent lites fidei, quarum alterutra pars ante definitionem certò ex Scriptura, vel indubitata traditione, seu, quod idem est, vnanimi Patrum consensu liquidò constaret, præfatum argumentum Catholicorum rueret; vt ergo tam ipsum, quàm conclusio inde deducta, firma perseuerent; dicendum est, etiam controuersias, quarum neutra pars ante eorum determinationem ex præfatis regulis certò infertur, esse definibiles; & ideo iudicem visibilem inobliquæ veritatis, nempe Sedem Apostolicam, ad illas certò decidendas admitti debere.

Becanus,

Suarez,

Turrian, Bellarm.

Canus.

22. *Iterum refellitur opinio relata.*

Secundò falsum est, ad determinationem authenticam quæstionum in materia fidei, necessariò præsupponi, antequam Pontifex ad earum determinationem procedat, vt alterutra pars certò ex reuelatis, vel indubitatâ traditione, aut vnanimi Patrum consensu, inferatur: nam vt, Catholicorum commune proloquium est, Scriptura sæpè obscura est, & plures sensus admittit, & traditiones multoties sunt incertæ, & consequenter Patres diuisi; vnde ex illis solis principijs nihil certi concludi potest. Confirmatur discursus à posteriori; nam in Concilijs Oecumenicis (vbi ob concursum plurimorum Doctorum veritas melius discuti, & eliquari solet) sæpe accidit, vt Episcopi, iam auditis sententijs Theologorum, & de controuersijs definiendis instructi, diuersa sentiant; & quod alij verum, alij falsum existiment: & ita quando veniunt ad decisionem contradictoria suffragia ferant. Hanc contrarietatem suffragiorum multoties contigisse

gisse supponunt Theologi, & Iuristæ, dum tractant, an sit conciliariter definitum, quod maior pars Episcoporum congregatorum asseuerat; & an Episcopi vltimo loco loquentes, si videant maiorem partem Patrum aliquid determinasse, teneantur illi adhærere, & alia simili. Quod dissidium inter Catholicos siue Episcopos, siue Doctores legitimè congregatos, præcedens definitionem, manifestè conuincit neutram partem controuersiarũ determinandarum ante earumdem decisionem, ex Scriptura, aut indubitatâ traditione, seu vnanimi Patrum consensu, certò constitisse; sed vtramque partem tunc fuisse probabilem; alioquin omnes in suffragijs conuenirent, & contradictorium partis definiendæ tot Patronos pro vero nõ habuisset. Neque satisfacies respondendo, contradictorium partis definiendæ, non fuisse probabile: nam opinio probabilis censetur illa, quam homines Catholici, & docti, postquam perpenderunt omnia fundamenta partis contrariæ, adhuc suam amplectuntur, & retinent: vnde, vt benè notant Vasquez 1.2. disp. 62. cap. 4. n. 8. Sanchez in decalogum lib. 1. cap. 6 n. 7. Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 1. n. 2. & alij passim; reprehensione digni sunt, qui ex eo, quòd ipsi nequeunt sua argumẽta dissoluere, suam doctrinã certam, & contrariam ab alijs pugnatam, improbabilẽ arbitrantur. Vnde cùm in prædictis Concilijs multi graues, & docti Episcopi, & Theologi (imò aliquãdo totum Conciliũ legitimè congregatũ, vt ait P. Granad. contr. 1. de Fide tract. 8. disp. 1. sect. 3. cum multis, ante confirmationẽ Pontificiam in decisione controuersiarũ errauit) postquam argumẽta contrariæ partis examinarunt, suã nihilominus opinionem retinuerint, & eam definiendam iudicarint; dicendum est illam partem, saltem ante determinationẽ conciliarem dogmatis, fuisse probabilem; & consequenter contrariã postea definitam antea non fuisse certam, neque ex Scriptura, aut certa traditione, seu vnanimi antiquorum Patrum consensu certò deductam.

Granados.

Vasquez. Sanchez, Palao.

23. *Alia impugnatio.*

Tertiò, regulæ, quibus reguntur Pontifices ad Sanctorũ canonizationes, non sunt penitus inobliquæ, neq; ita certæ, vt eis falsum subesse nequeat; ergo etiã ad controuersias pertinentes ad fidẽ decernẽdas, regulæ omnino inobliquæ & certæ necessariò non requirentur; siquidem tam certum est defunctos post canonizationem esse in cœlo, ac post constitutionem dogmatis, illud esse verum. Minor probatur: nam regulæ ad canonizationem sunt testimonia hominum fide dignorum de virtutibus, & famâ sanctitatis canonizandi, de miraculis illius, & alijs

rebus similibus ; cùm autem testimonium hominum sit ex se ita fallibile, vt ei falsum subesse non repugnet, vt liquet ; ideo præfatas regulas, quibus in canonizatione vtuntur Pontifices, metaphysicè certas non esse extra controuersiam est.

24. *Alia depulsio.* Quartò sententia suprà n. 19. relata, reijcitur ; quia ex ea manifestè concluditur, plurium articulorum fidei determinationes hactenus statutas, fuisse inualidas, aut saltem illicitas ; quod solùm hæreticus admittet. Sequelam vt demonstrem, aliquas determinationes Ecclesiæ, seu Sedis Apostolicæ ad fidem, vel mores pertinentes, recensere operæ pretium est. Primò olim ambigebatur, an animæ iustorum ante corporum resurrectionē, Deum intuerentur? *Et licèt priscis temporibus* (Gabrielem Vasquez 1. 2. disput. 19. cap. 3. legis) *satis anceps, & dubia fuerit propter varias grauissimorum Doctorum, & Patrum de ea opiniones ; tamen iamdiu definitione Ecclesiæ certum, & extra controuersiam est, animas iustorum ante diem iudicij clarè Dei visione beari.* Secundò olim dubitabatur, an Angeli ante mundi corporei creationem fuerint producti? & licèt id nobiles Patres affirmauerint; nihilominus pars negatiua vel est definita in cap. firmiter, vt tradit Ferrara 2. contra gentes cap. 83. vel saltem definiri potest, vt ait Suarius lib. 2. de Angelis cap. 3. numero 13. cuius rationem, quia nostro instituto mirificè deseruit, suis verbis refero : *Quia licèt non sit euidens in Scriptura contineri* (nempe Angelos simul tempore cum hoc mundo visibili fuisse pruductos,) *nihilominus est euidens secundùm aliquem sensum verbis Scripturæ consentaneum, in ea contineri.* Tertiò lis fuit, an Angeli ex corpore subtili, & Spiritu constituerint ; & plures Patres, quos recenset Suarius suprà lib. 1. eos fuisse corporeos affirmarunt : vnde S. Bernardus serm. 5. in Cant. proponens hanc quæstionem, respondet, Patres in hoc puncto diuersa sensisse, & se, quid verius sit, ignorare ; & ideo lib. 5. de Consideratione ad Eug. denotat vtramque partem esse dubiam, & opinabilem ; & tamen postea Ecclesia in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, eos ita corporis expertes esse declarauit, vt id saltem sine temeritate negari nemo possit, vt Suarius suprà n. 10. aduertit. Quartò antiquitus probabiliter disputabatur, an infantibus per sacrum lauacrum sanctitas infunderetur, vel solùm eorum peccatum sine infusione gratiæ deleretur? vt constat ex cap. Maiores de Baptismo, & ex Clementina vnica de summa Trinitate & Fide Catholica ; & nihilominus postea Tridentin. sess. 6. in decreto de Iustificatione cap.

Vasquez. Lateran. Suarez. Bern. Cap. Maio. Clementin. Ferrara. Trident.

cap. 4. & 7. & can. 11. item diremit. Quintò olim controuertebatur, an liceret Confessarijs in aliquo casu pœnitentes absentes sacramentaliter absoluere? & licèt Paludanus, D. Antoninus, Syluester, Fumus, Tabiena, vterque Sotus, & plurimi alij ex Dominicana Familia ; & ex alijs Scholis apud Fagundez de quinque præceptis Ecclesiæ lib. 2. cap. 10. numero 4. partem affirmatiuam asseruerint ; tamen eam postea Clemens Octauus, vtpote ad minus falsam, temerariam, & scandalosam reiecit. Sextò antiquitus discutiebatur, an Montes pietatis, in quibus aliquod lucrum ex mutuo sub certis conditionibus reportatur, essent liciti ; & Caietanus, Syluester relati à Lessio, de Iustitia lib. 2. cap. 20. dubit. 23. & multi alij negabant ; & tamen Leo 10. in Concilio Lateranensi sess. 10. eos licitos esse declarauit. Denique septimò tempore Gregorij magni, vt ex eius epistola decretali ad Secundinum liquet, lis satis ambigua erat de origine animarum, an, inquam, illæ ex traduce Adami, vel per veram creationem producerentur ; quā postea Leo nonus in explicat. fidei ad Petrum Antiochenum determinauit. Cæterùm præfatas controuersias, & plures alias, quas omitto, fuisse vtrimque probabiles, & neutram illarum partem ante earum determinationem Apostolicam ex Scriptura, vel indubitata traditione, seu communi Patrum, & Doctorum sensu constitisse, patet : nam primò neutra pars illarum in Scriptura expressè continetur, cùm loca omnia, quæ adducuntur, alios sensus patiantur, & ita ex illis certò conuinci nequeat, an sensus fauens parti negatiuæ, vel affirmatiuæ fuerit ab Spiritu Sancto intentus. Quapropter olim alij Doctores ea pro se citabant, & alij ea aliter interpretabantur : insuper neutra pars prædictarum quæstionum cum expressè reuelatis in Scriptura, aut antiquis Concilijs, seu constitutionibus Apostolicis connexionem ita necessariam habent, vt ex illis eadem per legitimam consequentiam, aut certum discursum Theologicum concludatur ; siquidem illud principium non assignatur, & illud abesse conuincit auctoritas grauissimorum Patrum, & Doctorum illud ignorantium, imò negantium. Præterea prædictis decretis non certò suffragatur indubitata traditio, aut vnaminis consensus Patrum ; siquidem (vt nuper tetigimus) Patres, & grauissimi Theologi de illis disputantes, non concordabant ; sed alij vnam partem, & alij contradictoriam, vt veriorem, sequebantur. Ex quo apparet partes prædictarum litium damnatas à Pontificibus, vel vt hæreticas,

Fagundez. Clem. VIII. Lessius. Leo X. Gregor.

ticas, vel vt temerarias, & falsas, vel vt scādalosas, vel vt erroneas, ante prædictam censuram fuisse probabiles ; & consequenter eas ex statu probabilitatis cecidisse, & earum controuersiarum partem contradictoriam ad statum altiorem auctoritate Ecclesiæ ascendisse.

25. *Solutioni occurritur.* Forsan aliquis respondebit, veritatem harum controuersiarum olim Doctoribus antiquis occultam, modernis certò constitisse ; & ideo alterutram partem earum eis omnino improbabilem apparuisse ; & ita à Sede Apostolica condemnatam. Contra hoc est : nam olim quando præfatæ controuersiæ vtrinque probabiliter disputabantur, eadem scripta Patrum, & priscorum Doctorum legebantur ; & eadem loca Scripturæ allegabantur, ac tempore subsequenti, quando decisæ fuerunt ; vnde, si tempore illo prisco erant probabiles, & neutra earum pars ex Scriptura, vel indubitata traditione, seu vnanimi consensu Patrum, certò concludebatur, gratis asseuerabitur, postea aliquot diebus ante decretum Apostolicum, eam doctoribus omnibus tunc viuentibus, non iam probabilem, sed metaphysicè certam apparuisse. Confirmatur, quando Ecclesia opinionem aliquam probabilem statuit, illa ita probabilis manet, donec ipsa Ecclesia aliud determinet, vt eam improbabilem iudicare nefas sit, vt benè Granados tom. de Incarnat. controuers. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 30. numero 339. Et ita qui priusquam Ecclesia controuersiam de maculata, vel immaculata Conceptione dirimat, alterutram partem probabilem esse negaret, meritò castigaretur. Sed Ecclesia cap. *Maiores de Baptismo*, & in Clementina nuper citata, decreuit, opinionem negantem paruulis infundi gratiam in baptismo, esse probabilem : ergo illa antequam eius contradictorium defineretur in sess. 6. Tridentini, probabilis perseuerauit ; & consequenter pars definita ante dictam sessionem, neque certò ex Scriptura, neque ex indubitata traditione, aut vnanimi Patrum consensu, deducebatur. Ex quo iam appareret absurdum, quod ex doctrina suprà numero 19. relatà inferre studuimus ; nempe plures determinationes Ecclesiæ, vel Sedis Apostolicæ, esse inualidas, aut illicitas ; siquidem continent decisionem controuersiarū vtrimque probabilium ; & quarum neutra pars ex Scriptura, aut indubitata traditione, aut vnanimi Patrum sensu, clarè & certò concluditur ; quod ampliùs ex solutione argumentorum roborabitur.

Con-

§. IV.

Conditiones sufficientes ad licitam determinationem controuersiarum, breuiter perstringuntur.

26. *Varia regula deseruiūt ad definiendum aliquid à Pontifice.* VArias conditiones, & regulas Doctores assignare solent, vt Sedes Apostolica aliquod dogma de nouo statuat, & controuersias licitè decidat. Prima est, sensus clarus Scripturæ : secunda, traditio Apostolica indubitata : tertia, determinationes antiquæ Pontificū, seu Conciliorum ; seu quòd ex his tribus principijs certò deducuntur : quarta est, vnanimis Patrum consensus. Verū, quia (vt vidimus §. præcedenti) aliqui articuli sunt decreti, ad quorum definitiones prę fatæ certæ regulę non concurrunt ; alias ex se fallibiles, (quæ non metaphysicè, sed solùm moraliter, conclusionē verā arguunt) ex communi sententia adducit Gran. contr. 1. de Fide tra. 4. n 1. nempe decreta Conciliorum Prouincialium, communis sensus, tum Episcoporum, tum Scholasticorū, tum cęterorū fideliū illo tępore viuentiū ; historias Ecclesiasticas, & rationē ipsā naturalē. Aliqui addunt miracula, & reuelationes ; sed de miraculis commodiùs infrà §. 6. agemus.

Granados.

27. *Regula adducta à Suario.* Inter quas præcipua est, quam adducit P. Suarius lib. 2. de Angelis ca. 3. n. 13. nempe quòd pars definiēda euidenter sit cōsentanea sensui literali alicuius loci Scripturæ ; licèt ignoretur, an ille sensus sit ab Spiritu Sancto intentus, vel alius huic oppositus, cuius præfatus locus euidenter capax est. Verùm quia hæc sola conditio neutrā partem cōtrouersiæ in meliori statu probabilitatis constituit (cùm opinioni affirmatiuæ, & negatiuæ sensus euidenter cōsentaneus Scripturæ faueat) alia adminicula tum ex historijs, tum ex traditione probabili, tum ex decretis Pontificū, tum ex communi sensu Doctorum, & fideliū, tum ex miraculis, & reuelationibus, tum ex ratione, tum ex consuetudinibus approbatis per Ecclesiā, tum ex aliquibus Patribus, & Sanctis desumpta adiungi debent ; quæ omnia licèt neq ; vllam partē metaphysicè certā reddant, neque probabilitatem contrariæ partis euertant ; nihilominus alterutram partem iudicio multorum Doctorum, vel certam moraliter, vel longè veriorem, & probabiliorem reddunt. Nam licèt singula prædicta adminicula seorsim sumpta, neutram opinionem concludant ; at eadem simul collecta iuuant, & aliquam partē esse verā, iudicio sapientū conuincūt. Itaque vt Ecclesia non solùm validè, sed licitè tractet de imponendo fine alicui controuersiæ ; sufficit quòd iudicio multorū Doctorum alterutra pars ita sit euidenter consentanea sensui Scri-

Peñalosa de B. Virgine.

turæ, vt pariter pro se habeat alia adminicula, quibus ea moraliter certa, vel longè probabilior, & verior appareat. Ita sentire debent Vasquez 3. p. disput. 117. cap. vlti. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 32. Salazar de Concept. cap. 43. & alij innumeri, qui existimantes opinionē piam de Conceptione immaculata, non deduci certò ex Scriptura, neque ex indubitatà traditione, neque ex communi sensu Patrum; nihilominus eam esse definibilem arbitrantur.

Vasquez. Granados

Salazar.

28. *Conclusio probatur.*

Probatur, tum quia ad determinationem validam, & licitam controuersiarum ad fidem pertinentium, non requiritur quòd alterutra pars sit metaphysicè certa, neque quòd ex Scriptura, indubitata traditione, aut communi sensu Patrum per legitimam consequentiam deducatur (vt satis superque ostendi suprà §. præcedenti) ergo sufficiet quòd alterutra pars sit moraliter certa, aut longè probabilior; siquidem inter certitudinem vnius partis, quæ tollit probabilitatem contradictoriæ, & hanc moralem certitudinem, seu maiorem probabilitatem, alia media certitudo non agnoscitur; tum quia (vt monstraui suprà numero 24.) aliæ controuersiæ sunt ab Ecclesia determinatæ, quarum neutra pars erat certa; sed solùm altera probabilior; tum quia si ad definitionem alicuius controuersiæ requireretur, quòd alia pars esset certa, & opposita improbabilis, erronea, vel temeraria; iam Episcopi, & Doctores, qui in Concilio ante editionem decreti affirmarunt partem contradictoriam, fuissent digni reprehensione, vtpote tradentes opinionem improbabilem, erroneam, vel temerariam, seu certæ veritati oppositam: quod absurdum est.

29. *Idem declaratur.*

Ratio à priori est; nam inobliquitas dogmatum definitorum, non sumitur ex fundamentis, quibus Theologi moti à Sede Apostolicâ definitionem alicuius controuersiæ humiliter exposcunt; sed ex illustratione, & motione Spiritus Sancti, quâ Pontificibus ita Deus assistit, illos mouet, & regit, vt in materia fidei eos à vero deuiare, nullatenus permittat; siquidem non illa fundamenta, sed hæc diuina assistentia Petro, & eius veris successoribus promissa, articulos certissimos, & de fide reddit. Quare præfata fundamenta solùm sunt veluti conditiones, seu dispositiones, quibus Pontifices suauiter disponuntur ad hoc vt adueniente impulsu, & motione Spiritus Sancti, ipsi efficaciter velint articulum constituere, & de facto constituant. Sicut fides humana, quâ credis Doctoribus asserentibus hanc vel illam numero veritatem fuisse in tali vel tali

tali Concilio determinatam, ad actum fidei diuinæ circa illam eliciendum conditio est: vnde sicut non est opus, vt hæc præuia dispositio sit metaphysicè certa, quia conditio est; ita quia argumenta Doctorum, quibus Papa aliquatenus mouetur ad aliquid definiendum, conditio sunt, metaphysicè certa esse non requiruntur; sed ea esse moraliter certa, vel longè veriora, sat est.

§. V.

Nonnullis argumentis satisfit.

30. *Obiectio & ad eam responsio.*

OBijcies, si ad definibilitatem controuersiarum non requiritur quòd alterutra pars illarum ex Scripturâ vel indubitatâ traditione certò deducatur; sed sufficit quòd ita vera sit à parte rei, vt iudicio sapientium longè verior, & probabilior appareat; sequeretur Ecclesiam in suis definitionibus posse errare; cùm multoties quod longè probabilius, & verius à pluribus doctis iudicatur, re ipsa falsum sit. Respondeo, aliud esse loqui de opinione in cuius fauorem Pontifex è cathedra vltimam sententiam de facto pronunciat; & aliud loqui de iudicio prudenti, quod tam Theologi, & Consultores Pontificum, quàm ipsi Pontifices multò ante quàm rem definiant, de eadem controuersia habent: si loquamur de opinione authenticè decreta, & vt dogma Ecclesiæ proposita, certum est illam esse verissimam, & iudicium, quod tunc habuit Pontifex, quando de facto definiuit, certissimum; non ob motiua extrinseca, sed ob assistentiam infallibilem Spiritus Sancti. Si verò loquamur de iudicio Consultorum, seu quod, multò ante quàm controuersia determinetur, habuit Pontifex; non est necessarium illud esse certissimum; sed sufficit esse moraliter certum, seu longè verius, cùm hoc solum sit conditio, vt Pontifex suauiter ab Spiritu Sancto illuminetur, & ad definiendam veritatem moueatur; & aliunde conditionem certam & infallibilem esse, non est opus (vt suprà numero 29. dicebamus.)

31. *Oppugnatio labefactatur.*

Instabis, cùm sint incerta hominum ingenia, multoties continget, meliorem, & maiorem partem Consultorum Pontificis, in partem falsam inclinari; & eam longè veriorem iudicare; in quo casu inquires, quid Pontifex, præcipuè si neque Theologus fuerit, neque in Scholis versatus, acturus sit; cùm ipse vtpote illitteratus, controuersias non calleat? nam si propendet in plura suffragia, definiet partem falsam; si in pauciora inclinatur, imprudenter operaretur; siquidem ille in re tam graui, quod

UNIVERSITARIA GRANADA

verius apparet, sequi debet. Hoc præcedens telum, vtpote in officinâ Hæreticorum fabricatum; si vires haberet, non solùm nostram doctrinam; sed etiam relatam suprà n. 19. vulneraret; & euinceret infallibilem potestatem definiendi controuersias, quarum alterutra pars certò constat ex Scriptura, aut traditione, in Ecclesia nō residere; siquidem sæpe accidere potest (vt etiam fatetur Grauina suprà q. 2. art. 8. in solutione obiectorum) quòd maior, & melior pars Consultorum, ex Scriptura, vel indubitata traditione, vel vnanimi Patrum sensu, certò concludi arbitrantur, quod re ipsa falsum sit. Quare respondeo cum ipso Grauina, Pontifices esse instrumentum animatum Spiritus sancti, ad quem pertinet, eos in casu prædicto ita suauiter regere, & gubernare, vt illi in rebus fidei non deflectant à veritate; & ita eorum mentem congruâ cogitatione illuminabit, vt partem, quæ re ipsâ vera est, meliùs intelligant, & apprehendant; & insuper eorum voluntatem mouebit, vt efficaciter illam determinare velint, & de facto definiant. Vnde Pontifici, postquam præuium, & prudens examen præmisit, & varias sapientum Consultorum sententias audiuit; illud, quod Propheta Nathan 1. Paralipom. 17. Dauidi dixisse fertur, meritò dicere possumus: *Omnia, quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est*: seu quod verum iudicas, è cathedrâ pronuncia: Spiritus enim sanctus tibi, vt nullatenus erres, assistit.

Grauina.

Paralipom.

32. *Alia oppositio infirmatur.*

Tertiò obijcies, controuersiæ vtrimque probabiles sunt adiaphoræ, seu indifferentes, & non pertinent ad fidē; vnde hac illæsâ, defendi possunt, ergo determinari nequeunt. Consequentia est Aug. li. 1. de Gen. ad lit. vbi innuit, de controuersijs, quarum neutra pars fidem lædit, non esse multū contendendum; sed vnicuique liberum relinquendum, vt partem, quam mauult, sequatur. Hoc argumentū si efficax esset, plus, quā volunt Aduersarij, persuaderet; nēpe nonnullas determinationes Ecclesiæ fuisse illicitas, aut inualidas; siquidē (vt suprà n. 24. ostendimus) sunt aliquæ definitiones controuersiarum, quæ antiquitus erant vtrimq; probabiles, & vtraque pars sine læsione fidei à Catholicis propugnabatur. Quare respondeo, præfatas cōtrouersias ante determinationē Apostolicā, fuisse vtrimq; probabiles, & consequenter tunc sine læsione fidei potuisse vtrimq; defendi; at post decretū authenticum Sedis Apostolicæ, partē definitam redditam esse certā, & contrariā hæreticā; vnde huic, post dictum decretū, sine læsione fidei assentiri nequimus; siquidē eo ipso inobliquitas Sedis Apostolicæ negaretur.

Aug.

Quartò obijciunt aliqui apud Okamum 3. lib. dialo. p. 3. ca. 31. Ecclesia damnando alterutram opinionem, obligaret fideles ad credendum aliquid contra conscientiam; vel ad negandū, vel tenendū quod negando nullū esset periculum; & asserendo, nullam affert vtilitatē. Hoc argumentum eodē vitio laborat, ac præcedens, vt consideranti patebit: vnde respondeo, si Ecclesia relinquendo vtramque partem controuersiæ probabilem, præciperet, vt alicui assentiremur, præfatū argumentū vim haberet: attamen Ecclesia id non facit; sed nomine Spiritus sancti declarat illam partem esse veram; quâ declaratione positâ, neque prudens conscientia dictare potest illam partem esse falsam, neque periculum aberit, si ea negaretur.

33. *Alteri obiectioni fit satis.* Okam.

34. *Aliud argumentum obijcitur & dissoluitur.* Grauina.

Quintò Grauina suprà q. 2. art. 14. in dubitatione appendice, ait: Quæ sic controuertuntur sunt intra latitudinem opinabilium; ergo quousque extrahatur ab ea opinabile, & constet inter necessariò credenda recenseri; melius est aliquid per se opinabile in sua indifferentia relinqui, quàm vt necessarium dogma prædicari; nam, sicut teste S. Thoma 1.2.q. 106. art. 2. & 2.2. q. 176. art. 7. Christus Apostolos non instruxit de omni veritate, neque de quocumque opinabili; sed de necessarijs ad salutem; ita Deus Pontifici non assistet infallibiliter ad proponendū, & determinandū opinabile, sed quæ reuelata sunt, vel ex reuelatis certò deducūtur. Antequam obiectioni satisfaciam, inquiro, an illa antiqua controuersia, vtrum paruulis infundatur gratia per baptismum, fuerit, antequam à Tridentino definiretur, vtrimque opinabilis, nec ne? Si prius responderis, argumentum præfatum planè ruit; cùm ob auctoritatem Ecclesiæ, quod erat ex se probabile, amiserit opinabile, & ascenderit ad certitudinem. Si posterius dixeris, manifestè Ecclesiæ cōtradicis, testāti in cap. *Maiores de Baptismo*, & in Clemētina citata suprà n. 24. eam partem fuisse probabilem. Quapropter respondeo, esse magnum discrimen inter Doctores particulares, & Sedē Apostolicam: illi enim, cùm non habeant assistentiam infallibilem Spiritus sancti in suis conclusionibus, controuersias vtrimq; probabiles, & à Doctoribus, & grauissimis Catholicis pro vtraq; parte propugnatas, non possunt certò dirimere, neq; alterutram earū partem prudenter condemnare vt improbabilē, vel temerariam, aut erroneam; nisi priùs ipsi extrahant opinabile, & ex Scripturâ, vel reuelatis, aut indubitatâ traditione eam esse falsam clarè & euidenter demonstrent. Attamen Sedes Apostolica, cùm in suis decretis pertinentibus ad fidem, infallibiliter ab Spiritu sancto regatur, illam euidentiam extrinsecam non requi-

S. Thom.

Cap. Maiores. Clementin.

quirit; sed iudicium prudentissimum de veritate coniunctum cum assistentia diuina, ad extrahendum opinabile, & eleuandum partem definitam ad statum certitudinis, & fidei; sicut multoties feciſſe suprà n. 24. satis suasi. Neque nobis aduersatur exemplum allatum de Apostolis; nam cùm illi Spiritus primitias habuerint, vt ait Paulus ad Rom. 8. Christus eis vsque ad ad finem mundi expressè credenda reuelauit, iuxta illud Ioannis 14. *Docuit illos, & suggesſit omnia;* & ita (vt aiunt Bannez, & Valentia, quos citat, & sequitur Granados controu. 1. de Fide tract. 4. disput. 2. numero 4.) illi omnia dogmata, quæ Ecclesia hactenus declarauit, & in posterum declaratura erit, expressè cognouerunt; & ita cùm in omnibus controuersijs fidei respectu aliorum fidelium vtrimque probabilibus, certò illis constiterit, quænam pars esſet vera, & quænam falsa; idcirco nullam partem vt opinabilem, sed solùm vt certò veram approbare potuerunt. Addo, hoc priuilegium reliquæ Ecclesiæ non fuisse concessum; siquidem eam processu temporum creuisse in sapientiâ, scimus; & quod antea probabile statuerat, postea meliùs indagatâ veritate, vt hæresim condemnasse. Vnde inter Apostolos, & Ecclesiã est discrimẽ, in eo quòd Apostoli fuerunt certò instructi de veritate omnium controuersiarum pertinentium ad fidem, quæ respectu fidelium futuræ erant vtrimque probabiles; & ita respectu ipsorum Apostolorum nihil pertinens ad fidem opinabile esse poterat; at Ecclesia de controuersijs his, non simul, sed paulatim ab Spiritu Sancto instruitur. Ex quo argumentum factum in Aduersarios retorquere possumus. Apostoli certò agnouerunt quænam esſet pars vera ex omnibus controuersijs pertinentibus ad fidem, quæ vsque ad finem mundi futuræ sunt; ergo Ecclesia de illis instructa, eas determinare poterit; siquidem non dissonat, vt Deus suam instruat Ecclesiam de omnibus articulis fidei, quos Apostoli expressè crediderunt.

Paulus.

Ioannes.

Bannez. Valentia; Granados.

35. *Tridentinũ explicatur.*

Denique obijcies, Tridentinum editis omnibus suis decretis acclamauit: *Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum.* quibus verbis denotauit, omnia dogmata, quæ in Concilijs leguntur, credita fuisse ab Apostolis, Patribus, & Orthodoxis antiquis; sed controuersiæ vtrimque probabiles, non fuerunt creditæ ab antiquis Patribus, & Catholicis; siquidem eas adiaphoras & indifferentes iudicarunt; ergo &c. Præfatum quoque argumentum, si alicuius ponderis fuisset, conuinceret Tridentinũ non potuisse definire paruulis infundi gratiam per baptismum; siquidem hanc partem Orthodoxi antiqui, imò ipsa Ecclesia probabilem esse dixerunt. Respondeo, veritates traditas à Christo posse credi expressè, vel virtualiter: expressè creduntur quando illius veritatis in particulari notitiam habemus, qualis est articulus de resurrectione mortuorum, de diuinitate Christi; at fides virtualis est, quando illam veritatem in particulari ignoramus; tamen quia continetur in aliquo expressè credito, illam veritatem credere censemur v. g. certò credimus esse verum quidquid Christus, & Apostoli tradiderunt, & Ecclesia declarauit, aut in posterum declaratura est; cùm autem in articulo credito virtualiter contineantur omnes veritates in posterum authenticè decernendæ ab Ecclesia: idcirco qui credit articulum hodie statutum ab Ecclesia, illum quod Apostoli, Patres, & antiqui Orthodoxi crediderunt, credere dicetur, quo argumentum factum ruit.

§. VI.

Appendix quæstio, an miracula, & reuelationes de aliqua veritate controuersa, & contenta in Scriptura, iuuet ad eius definitionem authenticam?

36. INter argumenta, quibus piam opinionem esse veram, & definibilem ostendimus; miracula, & reuelationes de hoc mysterio factas S. Birgittæ, & alijs sanctitate illustribus, adduximus; quare an hoc motiuum conducat ad definitionem alicuius controuersiæ, examinare expedit.

37. *Prima opinio.* Prima sententia affirmat, Pontificem neque via ordinaria, neque via extraordinaria posse ob miracula, aut reuelationes nouas aliquem controuersiam fidei vtrimque probabilem, determinare. Ita Grauina 2. p. tom. 4. q. 2. art. 12. & q. 3. art. 6. sed expressiùs art. 7. & 8. dubit. 2. vbi addit hanc partem discursibus Theologicis demonstrari; & ideo eam grauiores Theologos tueri.

Grauina.

38. *Secunda opinio.* Secunda sententia asserit, Pontificem non solùm viâ extraordinariâ, seu de plenitudine potestatis; sed etiam viâ ordinariâ præfatis controuersijs ad fidem pertinentibus, ex nouis miraculis,

lis,& reuelationibus posse finem imponere. Ita Ouandus in 3. sentent.lib. 1. q. 44. Corduba in quæstion. lib. 1. q. 44. conclus. 6. Serranus Opusculo de Concept. cap. 2. & multi alij recentiores; eam etiam videtur tenuisse Caiet. tom. 2. opuscul. tract. 1. cap. 1. vbi inter motiua, ob quæ aliquis articulus de nouo potest constitui, numeratur, *Reuelatio facta sacris Doctoribus, ijs præcipuè quorum vita,& doctrina approbata est ab Ecclesia.*

Ouandus. Corduba. Serranus. Caieta.

39. *Notabile.* Pro resolutione huius difficultatis præmitto, nos non agere de reuelationibus quibuscumque factis huic vel illi mulierculæ;sed factis huic vel illi personæ fide dignæ, præcipuè canonizatæ;& quas viri docti, & prudentes, imò ipsi Pontifices, re diligenter examinatà, approbarunt: illæ cùm non habeant auctoritatem, & multoties deliria, vel impostura sint;virum cordatum, ad rem præcipuè tam grauem efficiendam,mouere non debent, vt bene Bernardus epist. 175. ad Lugdunenses animaduertit. Secundò moneo, præfatas reuelationes factas personis doctrinâ, vel sanctitate illustribus, esse duplices : aliæ sunt de veritatibus latentibus in Scriptura, & aliæ de alijs veritatibus in verbo Dei scripto, aut non scripto nullatenus contentis : quo posito, duabus conclusionibus nostram mentem aperio.

Bern.

40. *Prima conclusio.* Dicendũ est primò, reuelationes factas Sanctis de veritatibus neq; formaliter, neque virtualiter contentis in verbo Dei scripto.aut non scripto antiquo, non posse deseruire ad hoc vt Sedes Apostolica illas nouiter reuelatas definiat, & Ecclesiæ vt noua dogmata proponat. Ita Doctores primæ sententiæ, à quibus in hac parte Patronos secundæ sententiæ dissentire non puto; eamque tenent ferè omnes Theologi asserentes cum S. Thom. 2.2.q.1.art.6. articulos fidei nõ creuisse, sed quidquid modo credimus, fuisse quoque ab antiquis saltem virtualiter creditum; & ratio est, nam, vt ait S. Thomas 2. 2. q. 176. quem cæteri Theologi sequuntur, Apostoli fuerunt sufficienter instructi de omnibus veritatibus pertinentibus ad doctrinam fidei ; quod adeo certum putant Bannez, & Valentia, quos citat,& sequitur Turrianus de Fide disp. 13. dub. 2. vt id negare, errorem appellent : ideo Apostoli à Patribus Tridentinis, sess. 4. & alijs, fontes fidei cognominantur, & alijs titulis insigniuntur, quibus denotatur nullam veritatem dogmaticam futuram esse in Ecclesia, quæ in illis veluti in fontibus expressè non fuerit. Ex quo apparet, Ecclesiam non posse determinare aliquas veritates pertinentes ad fidem, quas Apostoli non fuerunt assecuti ; alioquin Ecclesia in rebus fidei Apostolis sapientior esset ; quod nemo dicet. Cæterùm cùm veritates de nouo huic vel illi personæ particulari reuelatæ, non fuerint expressè in Apostolis, vt in fonte fidei, vt supponimus ; idcirco eas Pontifices vt dogmata declarare non valent. Alia argumenta hanc partem conuincentia, omitto, tum quia conclusio prædicta communiter recepta est; tum quia ea quilibet in Lorca de Fide disp.38. Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 6. & Ægydio Coninctz de Fide disp. 12. dub. 6. & alijs videre poterit.

S. Thom.

Bannez. Valent. Turrian.

Trident.

Lorca. Valentia. Ægidius.

41. *Secunda conclusio.* Secundò dicendum est, reuelationes factas præcipuè Sanctis canonizatis, & per Ecclesiam, aut viros doctos examinatas, & approbatas; si fuerint de veritatibus latentibus in Scriptura, posse deseruire ad decisionem authenticam controuersiarum ad fidem pertinentium, & eas ad dictũ effectum sufficere; præcipuè si eis aliqua adminicula adiungantur sumpta ex sensu communi Doctorũ tunc viuentium, vel ex sanctionibus Pontificijs in eam partem propendentibus, vel ex aliqua consuetudine, vel ritu Ecclesiæ, vel similibus. Ita Doctores secundæ sententiæ.

42. *Probatur.* Probatur primò nostra conclusio:nam miracula nouiter facta in confirmationem sanctitatis alicuius defuncti, deseruiunt ad eius canonizationem, & ideo Pontifices inter motiua, quæ habent ad illud canonizandum, ea in Bulla canonizationis recensere solent ; ergo etiam miracula, & reuelationes de aliqua veritate latente in sacro textu (præcipuè si alia adminicula adiungantur) conducent ad eius determinationem ; cùm vtrobique eadem ratio esse videatur; vel dicant Aduersarij,cur miracula, & reuelationes facta de sanctitate S.Francisci, Dominici, Ignatij, & similium, adiunctæ alijs adminiculis de fama virtutum, & religiosæ vitæ eorum, sufficiant ad hoc, vt Pontifex hanc veritatem, nempe eos esse in cælo, vt certam Ecclesiæ proponat ; & similia miracula, & reuelationes de alia veritate in sacro textu inuoluta, non sufficiant ad hoc vt eadem tanquam certa à Sede Apostolica decernatur ? Neque obstat si dicas, Ecclesiam non consueuisse ob nouas reuelationes cõtrouersiarũ eas decidere. Hoc, inquam, non obest; tum quia id est falsum (vt infrà n. 47. attingam) tum quia quod Ecclesia miraculis, & nouis reuelationibus particularium fidelium vsa non fuerit ad aliquod dogma statuendum, nullatenus arguit, eam illis ad prædictum effectum moueri non posse; siquidem miracula,& reuelationes de veritate latente in sacro textu, non minùs probant eam veritatem fuisse ab Spiritu sancto traditam ; ac

miracula, & reuelationes de sanctitate alicuius defuncti, cum esse sanctum conuincunt. Vnde si his mouetur Ecclesia, vt aliquem inter Sanctos scribat, eis quoque moueri poterit, vt controuersiam aliquam declaret.

41. *Obiectioni occurritur.* Respondebis, si præfatum argumentum vires haberet, etiam conuinceret Ecclesiam ob noua miracula, & reuelationes de veritate nullatenus in sacro textu contenta, posse eam definire, & vt nouum dogma Ecclesiæ proponere; quod est absurdum. Aliqui, quos tacito nomine refert noster Ægidius de Fide disp. 12. dub. 6. opinatum absurdum deuorant; & aiunt, Ecclesiam posse noua prorsus dogmata fidei constituere. Verùm cùm hæc doctrina communiter reijciatur, securius est consequentiã prædictam negare; & inter præfata miracula, seu obiectum illorum discrimen assignare; ex quo inferatur non hæc, sed illa ad dogma fidei nouiter condendum deseruire posse. Respondeo ergo, Ecclesiæ solùm assistentiam Spiritus sancti infallibiliter fuisse promissam, vt superædificet super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, vt ad Ephes. cap. 2. innuitur. Id est, vt veritates illis diuinitus reuelatas, sine vllo errore manifestet, & explanet; ac proinde dum ipsa intra cancellos harum veritatum se continuerit, de fide est illam non erraturam. Quare cùm reuelationes de veritate inuolutâ in sacro textu proponant Pontifici veritatem veluti sibi subiectam, seu contentam intra latitudinem suæ potestatis definitiuæ; ideo ad eius definitionem inobliquam, & certam iuuare possunt. Attamen si Ecclesia illos terminos transilierit, & veritatem aliquam Apostolis non expressè reuelatam, seu intra obiectũ adæquatũ suæ potestatis non circumscriptam, vt dogma, per possibile, vel impossibile, decernere voluerit; in eius veritatis propositione infallibilem Dei manutentionẽ, ne in illa erret, non habebit. Vnde eius decretum miraculis, & reuelationibus solùm innixum, certius illis non erit: quare cùm miracula, & reuelationes solùm ob testimonium humanum accidisse constet; idcirco præfatum decretum habebit certitudinem, quam ei testimonium, seu fides humana communicabit. Ex quo apparet miracula, & reuelationes de prædictis nouis veritatibus, nullatenus in verbo Dei antiquo contentis, non ob ipsarum defectum: sed solùm quia manifestant veritatem non subiectam definitioni Ecclesiæ, non posse ad eius veritatis inobliquam declarationem deseruire; bene autem aliæ reuelationes, quæ veritates contentas in sacro textu palam faciunt.

Ægidius.

Paul.

Secundò probatur: nam reuelationes de aliqua veritate latente in sacro textu, sunt testimonia hominum fide dignorum asserentium Deum sibi dixisse illam veritatem fuisse intentam ab Spiritu sancto, quando talia, vel talia verba Scriptores Canonici protulerunt; sicut historia Ecclesiastica de aliqua veritate in aliquo Concilio, quod integrum non extat, est testimonium fidedignorum de eo quòd illa veritas fuerit antiquitus definita: sed historia Ecclesiastica à grauibus & Catholicis auctoribus scripta, validè iuuat, vt ea veritas statuatur, vt dogma ab Ecclesia, vt bene Canus lib. 11. de Locis cap. 4. Granados controu. 1. de Fide tract. 8. disp. 2. n. 13. & alij passim animaduertunt; ergo etiam reuelatio de veritatibus in Scriptura inuolutis, facta hominibus fide dignis, præcipuè canonizatis, etiam ad earum Apostolicam declarationem valdè conducet. Confirmatur, quamuis omnes supponant traditiones indubitatas de aliqua veritate à Christo, vel Apostolis oretenus prolatam, sufficere, vt eam Sedes Apostolica vt dogma decernat, tamen ipsi in designatione regularum, ex quibus certa traditio dignoscatur, valde desudant, vt videre est in Cano lib. 3. de locis cap. 4 & Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non scripto cap. 9. inter quas ad nostrum institutum valde conducit regula, quam ex S. Augustinò lib. 1. contra Iulianum, meritò approbat Grauina 2. p. tom. 4. q. 3. art. 9. difficult. 3. dum ait: *Si duo grauissimi Patres non suum, sed Ecclesiæ sensum exprimerent, quia sensum Ecclesiæ & collegarum exprimunt, testes sufficientes essent definitionis.* Sanè si testimonium Augustini, & Hieronymi affirmantium suo tempore Ecclesiam aliquam veritatem vnanimiter sensisse; sufficiens est, vt Sedes Apostolica illam determinet, & pro dogmate statuat; nescio cur si S. Dominicus, & Franciscus, vel alij Sancti canonizati indubitanter asseruissent, sibi hanc, vel illam veritatem latentem in sacro textu, fuisse diuinitus manifestatam, non sufficeret ad eius authenticam decisionem.

44. *Idem roboratur.*

Canus, Granados.

Canus, Bellarm.

S. Aug. Grauina.

45. *Probatur à priori.* Et ratio à priori est: nam non est opus quòd motiua ad definitiones Pontificias, ita certa sint, vt eis falsum subesse repugnet; sed sufficit quòd sint moraliter certa, & proportionata, vt inde valdè prudenter concluſio vera deducatur (vt constat ex dictis suprà §. 3. & 4.) sed miracula, & reuelationes præfatæ sunt motiuum sufficiens, vt inde valde prudenter, imò moraliter certò, pars definienda deducatur, vt liquet, tum ex dictis suprà disput. 11. cap. 6. à numero 71. tum ex praxi Ecclesiæ, quæ ob reuelationes factas particularibus, & fide dignis, Sanctos canoni-

zat,& alia sæpe statuit: ergo, &c.

46. Obiectioni satisfit.

Respondet Grauina, conclusionem principijs, ex quibus ea infertur, certiorem non esse, iuxta illud proloquiũ Logicorũ: Conclusio sequitur debiliorem partem; quare cùm non sit omnino certum reuelationes factas personis particularibus esse veras;ideo ex illis cõclusio certa omnino, quale est dogma, deduci nequibit. Contra hoc est:nam inter cõclusiones Theologorũ, & Pontificias,magnũ discrimen intercedit:quippe illæ suam certitudinẽ, vel probabilitatem ex præmissis emendicant; & ita si aliqua ex illis incerta, vel improbabilis fuerit;conclusio inde pendẽs,incerta quoq; & improbabilis euadet; at cõclusiones Pontificię è Cathedra pronunciatæ suã certitudinem,& inobliquam veritatẽ non habent ex motiuis, ob quæ Pontfex ad suas determinationes inclinatur; sed ex assistentia Spiritus sancti sibi infallibiliter promissa: vnde ex motiuis incertis,seu minùs certis determinatio omnino certa,& de fide esse potest. In hac doctrina omnes nobiscũ conuenire debent, ni velint sanctiones Pontificias in materia fidei esse fallibiles,vel motiua illarum fuisse certa de fide;quod nemo concedet. Declaratur, licèt demus Aduersarijs regulas,quibus regitur Ecclesia ad decisionem controuersiarum,esse certas, tamen extra controuersiã est illas multoties non fuisse de fide;neq; ita certas ac sunt conclusiones Pontificiæ inde deductæ. Quisenim dicet traditionẽ continuam Ecclesiæ,ob quam Tridentinum definiuit libros Scripturæ prout communiter in Ecclesia leguntur,esse canonicos, fuisse ante Trident. indubitatam & de fide? siquidẽ Caietanus & nonnulli alij Catholici, de illâ veritate dubitarunt. Manet ergo firmũ,& stabile,multoties regulas, seu motiua, quibus Pontifex ad articulos aliquos cõstituendos inclinatur,esse minùs certa, ac sunt articuli inde concluſi: sicut ergo quia certitudo conclusionis Pontificiæ nõ ex præmissis,aut motiuis,sed ex assistentia infallibili Spiritus Sancti deriuatur; præmissæ,& motiua præfatę cõclusionis minùs certæ, quàm est ipsa conclusio, esse possunt;ob eandẽ rationẽ motiua,& præmissæ incertæ, seu ex se fallibiles,quales sunt reuelationes nouæ, deseruire possunt ad conclusionem certam de fide.

47. Iterum conclusio suadetur.

Denique nostra pars probatur auctoritate Ecclesiæ, aliquando aliquã controuersiã decidentis ex miraculis, vel reuelationibus, vt contigit Pio primo qui,vt constat ex eius prima epist. ad Ecclesias liti inter Catholicos motæ, die in quo Pascha erat celebrandum,finem imposuit ob reuelationẽ de illa veritate factã Hermeti. Neq; satisfacit Grauina suprà, dum ait, Pontificem non determinasse ob dictam reuelationem Paschæ die Dominico celebrandam; sed ob consuetudinẽ Ecclesiæ, & traditionẽ,quæ ante prædictum Ponficem erat,vt constat ex S.Clem. li.5.constit.Apostol.& hist.Euse. cap.22.Hoc,inquam, non obest, tum quia illa traditio ante Pium primum non erat indubitata,neq; ab omnibus Ecclesijs recepta; siquidem multi de illâ dubitabant; imò illam negabant,vt ex præfata Epistola colligitur;tum quia,licèt verum sit, Pontificem nixum traditione,& cõsuetudine Ecclesiæ, præfatã quæstionẽ decidisse; tamen negari non potest, reuelationem factam Hermeti,vt ea decideretur concurrisse; siquidem Pontifex eam refert, & inde etiã concludit Pascha diẽ Dominico esse celebrandum: ait enim: *Licèt nos idem Pascha prædicta die celebremus; quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha in die Dominico ab omnibus celebraretur* (attẽdas quæso illationẽ) *Vnde & vos Apostolicâ auctoritate instruimus, omnes eadem seruare debere,quia & nos eadem seruamus, & non debetis dubitare quoquo modò dissidere.* Ex quibus verbis apertè colligitur, Pontificẽ duabus rationibus motum, prædictam litem diremisse; nempe traditione, & reuelatione facta Hermeti; ergo reuelationes, præcipuè si alia adminicula adiungantur, ad determinationes Pontificias sufficiunt.

Clemens. Euseb.

Pius I.

Insuper nostram sententiam aliqui stabiliunt ex miraculo S. Euphemiæ, ob quod dogmata Concilij Calcedonensis edita esse volunt. Verùm quia vt probat Baronius in Annalibus anno 451. n. 119. illud miraculum aliquandiu post finitam Synodum contigit, vt dogmata illa statuerentur, illud concernere non potuit: quare meliùs nostrum placitum auctoritate Christi, & Apostolorum roboratur;siquidẽ illi Euangelicam doctrinam ex miraculis tunc editis comprobabant. Neq; obstat si dicas, prædicta miracula non fuisse adducta, vt dogma aliquod nouum ederetur, sed vt fideles doctrinæ iam certæ & stabilitæ firmiùs assentirẽtur: nam si miracula, & reuelationes conducunt,ad hoc vt fideles firmiùs articulis fidei credamus; etiam ea ad hoc vt Pontifex illos condat, deseruire posse quis vetabit?

48. Aliorum probatio infirma.

Baron.

49.

Venio tandem ad argumenta, quibus Grauina suprà, suam sententiam Theologicè demonstrari putat;quæ si bene considerentur, vel debilia sunt; vel si vires habent, eius quoque doctrinam expugnant. Nonnulla retuli, & solui suprà disput. 11. cap. 6. quare aliys hîc satisfacere oportet.

50. Obiectio, & eius solutio.

Primò obijcit, reuelationes factas huic, vel illi personæ particulari, fuisse verè supernas, est incertum; ergo non possunt deseruire ad dogma certũ statuen-

dum; siquidem præmissæ incertæ ad conclusionem certam concurrere non valent. Verùm quia hoc argumentum (præterquam quòd praxim Ecclesiæ ex miraculis, & reuelationibus aliquos defunctos canonizantis, labefactare videtur, vt consideranti patebit) suprà n. 46. dissolui, illud omitto; sicut & aliud, quo aliqui probant reuelationes de veritatibus in Scripturâ nullatenus contentis, posse deseruire ad eorum authenticam determinationem, siquidem huic suprà n. 43. satisfecimus.

51. *Alia obiectio.* Secundò obijcit, si reuelationes, & miracula deseruiunt ad decisionem controuersiarum, est necessarium, vt in Pontifice donum infallibile discretionis Spiritus admittamus, quo secernat, & distinguat veras, & supernas reuelationes à falsis, & apparentibus; siquidem non reuelationes infernæ, sed solùm cælestes rem reuelatam veram esse arguunt. Consequens autem est absurdum, vt liquet; cùm præfatum donum esse concessum Sedi Apostolicæ, non constet: ergo &c. Hoc argumentum si efficax esset, planè morem Ecclesiæ miracula ad canonizationem Sanctorum exposcentis, & eos ob illa in catalogum sacrum referentis, condemnaret; siquidem ea donum discretionis spiritus, quo vera à falsis miraculis certò secernat, non habet; quare Catholici omnes huic discursui respondere debemus.

52. *Obiectioni variæ solutiones adhibentur.* Primò respondere quis posset, non esse absurdum, vt in Ecclesia donum discretionis spiritus admittamus; quando illud est necessarium ad aliquod dogma statuendum, vel Sanctos canonizandos: nam sicut quando Princeps concedit aliquod priuilegium, reliqua conducentia ad rectum vsum illius, impertiuisse censetur; vt in materia de legibus notum est; ita quando donum discretionis spiritus requiritur ad Sanctos canonizandos, vel articulos fidei è cathedra Apostolica pronunciandos, Deum præfatum donum spiritus, suæ Ecclesiæ impertiuisse, dici poterit. Sed melius respondetur, miracula, & reuelationes non esse rationem formalem, ex qua dogma, aut canonizatio certitudinem accipiant; sed solùm esse conditionem, mediâ quâ Deus Pontificem inclinat ad determinationem aliquam, sicut suprà n. 45. dixi de alijs motiuis. Vnde sicut alia motiua multoties certitudine metaphysicâ carent, & solùm sunt moraliter certa, aut longè probabiliora; ita miracula, & reuelationes, vt ad decernendum aliquos articulos conducant, metaphysicè certa esse, necesse non est; sed sufficit ea iudicio valde prudenti esse vera, & cælestia; cùm autem ad iudicium prudens de reuelationibus, & miraculis donum infallibile discretionis spiritus non requiratur, vt liquet; idcirco illud in Pontifice Sanctos, & veritates, ob miracula canonizanti, residere opus non

Grauina. est. Addo cum Grauina q. 5. art. 2. licèt nouas reuelationes, & miracula approbata per Ecclesiam, non sint de fide, neque eas Pontifices tanquam dogma fidei proponant; nihilominus esse magnam temeritatem ea negare; cùm exactè examinentur à viris prudentibus, & post maturam considerationem ab eisdem approbentur.

53. *Alia oppositio infringitur.* Tertiò obijcit, licèt miracula, & reuelationes in primitiua Ecclesia fuerint necessariæ ad confirmationem nostræ fidei; attamen, vt Patres communiter aiunt, quia iam fides est in pectoribus fidelium radicata; idcirco nouæ reuelationes necessariæ non sunt; & ideo eas expectare, vt dogma stabiliatur, non Catholicorum, sed Iudæorum, aut Hæreticorum proprium est. Respondeo, aliud esse expectare noua miracula, & reuelationes ad dogma aliquod constituendum; & aliud miraculis, & reuelationibus iam transactis vti ad prædicti dogmatis confirmationem: sanè nos nunquam tradidimus expectanda esse noua miracula, vt articuli fidei condantur; sed solùm asseruimus, si fortè constet testimonio fide dignorũ, fuisse aliquas reuelationes & miracula facta in confirmationem alicuius veritatis latentis in Scripturâ; posse Pontificem eis moueri, vt præfatam veritatẽ canonizet; quod non Iudæorum, neque Hæreticorum, sed Pontificum, & Sanctorum Patrum proprium est; siquidem illi vestigijs Christi Domini, & Apostolorum insistentes, ex miraculis, & nouis reuelationibus iam factis, fidem ampliùs confirmare, & roborare studerunt.

54. *Aliud argumentum soluitur.* Denique obijcies ex Grauina, inter calumnias, quas hæretici contra decreta Ecclesiæ agglomerant, & ob quas articulos fidei ab ea constitutos contemnunt, est; quia ad eos condendos nouis miraculis, & reuelationibus mouetur. Respondeo, huic Doctori familiare esse, vt doctrinam sibi contrariam, suspectam reddat; eam Hæreticis, seu Nouatoribus adscribere: vnde quòd præfatam doctrinam à pluribus Catholicis traditam, & firma ratione fulcitam, Hæreticis attribuat, mirum esse non debet. Sanè Hæretici non errant in eo quòd dicant Pontifices ob miracula, & reuelationes factas particularibus personis moueri ad Sanctos canonizandos, vel dogma aliquod statuendum; sed in eo quòd assistentiam infallibilem Spiritus Sancti, eis esse promissam, ne in decretis ad fidem, vel mores pertinentibus, errent,

errent, pertinaciter negant; & ideo eorum determinationes parui faciunt: quare cùm nos hanc assistentiam fateamur; & ideo eorum sanctiones pertinentes ad fidem, certissimæ, & inobliquæ veritatis amplectamur, ab Hæreticis valde distinguimur.

CAPVT II.

Ecclesiam posse aliquam ex dictis opinionibus definire, demonstratur.

55. *Verior opinio.* REtulimus suprà n. 1. aliquos negantes controuersiam de maculatâ, vel immaculatâ Conceptione, definibilem esse; contra quos Suarius tom. 2. in. 3. p. disp. 13. sect. 6. Vasquez ibidem disp. 117. cap. vlt. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 32. Salazar de Concept. cap. 43. & alij Theologi communiter insurgunt; & asserunt saltem in Concilio generali alterutram ex dictis opinionibus, esse validè, & licitè determinabilem. Idem placitum supponunt non solùm multi Principes & communitates præfatam definitionem à Sede Apostolica humiliter exposcentes: sed etiam integrum Concilium Basilense, eam de facto statuens. Sanè si Ecclesia validè, & licitè non posset huic liti finem imponere; neque Concilium Basilien-

Suarez. Vasquez. Granados.

Salazar.

Concil. Basilens.

se eam definiuisset, neque Catholici Principes, neque religiosæ, & doctæ communitates, neque alij innumeri fideles eam à Sede Apostolica postulassent.

56. *Probatur.* Prodeat primo loco ad prædictæ veritatis confirmationem, Sixtus quartus in Extrauaganti, *Graue nimis*, approbatâ à Tridentino sess. 5. cap. de peccato originali, vbi Pontifex, & postea Concilium sub grauibus censuris, & pœnis vetant, ne quis aliquam ex prædictis duabus opinionibus, vt hæreticam, aut erroneam damnet, donec ab Ecclesia, quænam ex illis sit certò vera, declaretur. Idem Paulus quintus, & Gregorius decimus quintus vetarunt, vt constat ex decreto ipsius Gregorij, edito die 24. Maij, anno 1622. Idem ante hos duos Pontifices Pius quintus tradiderat. Ex quo apparet tam Concilium Tridentinum, quàm Pontifices, supposuisse hanc controuersiam esse ab Ecclesia definibilem; alioquin damnationem alicuius ex præfatis duabus opinionibus ad tempus, quo Ecclesia litem dirimiret, non remisissent.

Sixtus IV. Trident.

Paulus V. Greg. XV.

Pius V.

57. *Iterum suadetur. Aliter idem adstruitur.* Secundò probatur: nam quotiescumque dubium aliquod circa verum intellectum alicuius loci Scripturæ occurrit, declaratio authentica illius pertinet ad Ecclesiam, vt cum S. Thoma 2. 2. q. 10. Theologi supponunt, & nos tetigimus suprà

S. Thom.

prà n. 7. Cui innixi principio Pontifices, saltem cum Concilio generali, plures cõtrouersias cum vera expositione textus sacri cõnexas, contra Hæreticos determinarunt. Sed præsens lis versatur circa legitimam expositionẽ multorũ locorum Scripturæ, & cum vero sensu illorum est necessariò connexa; ergo Ecclesia illam decidere valet. Consequentia est legitima. Maior auctoritate Sancti Thomæ & omnium Theologorum, & firma ratione fulcitur. Minor est euidens: nam dubium occurrit circa sensum illorum verborum Paul. ad Rom. 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, & 1. Corin. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, & similium propositionũ vniuersaliũ Scripturæ; an de omnibus posteris Adami sint intelligẽdæ? vel patiantur aliquam exceptionem? Insuper est dubium satis controuersum, an illa verba Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, (quæ communis Patrum, & Interpretum sensus ad Mariam refert) de pulchritudine totali, & immunitate ab omni peccato actuali, & originali, sint accipienda. Præterea ambigitur, an illa verba Gabrielis, *Aue gratiâ plena*, ad omnia instantia physica vitæ B. Virginis sint retrotrahenda, sicut Conciliũ Claremontanum sub Vrbano secunda ad instans, quo vsum rationis habuit, retrotraxit; & ita illis permotũ decla-

Paul.

Cantica.

Concil. Claramon.

rauit, Deiparam omnis culpæ actualis, etiam venialis expertem fuisse. Etiam dubitatur, an illis verbis Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, denotetur Dei genitricem ita feliciter caput serpentis fore contrituram, & mala ex eo deriuanda curaturam, vt inde ipsa nullum nocumentum acceperit. Denique est quæstio, an illa verba Pauli ad Roman. 5. *Sicut enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*; significent gratiam, & sanctitatem per Christum promeritam, pluribus numero posteris Adami fuisse re ipsa concessam, quàm fuerunt posteri ipsius Adami peccato maculati. Neque obstat si aliquis neget dubium esse circa intellectum prædictorum testimoniorum; siquidem ea Beatæ Virginis immunitati à peccato originali non fauere, certum est. Hoc, inquam, responsum indignum est homine docto, imò prudenti; cùm innumeri Doctores prædicta loca in fauorem Beatæ Virginis exposuerint, & aliunde quoties circa intellectum alicuius legis, vel textus, controuertunt periti, sensum illius, vt minimum dubium esse oportet.

Genes.

Paulus.

58. *Responsio.* Respondent aliqui, vt aliquod dubium præcipuè inter Catholicos controuersum decidatur ab

Ecclesia, non sufficere quòd illud cum vero sensu aliquorum locorum Scripturæ connexum sit; sed insuper requiri, quòd illum esse verum sensum illorum locorum ex ipsa Scriptura, vel ex indubitatâ traditione, aut communi Patrum, seu Doctorum consensu certò colligatur; cùm autem neque ex Scriptura neque ex alijs capitibus præfatis certò inferatur, cui opinioni ex prædictis allegata testimonia certò faueant; idcirco dicta controuersia ab Ecclesia determinari nequit. Hæc doctrina (præterquam quòd impugnata manet suprà cap. 1. §. 3. & 4.) iterum refellitur: nam iuxta illam potestas Ecclesiæ nimis coarctatur; siquidem non litem, cuius vna pars iudicio prudentum verior, & consequenter Scripturæ magis consentanea apparet; sed solùm litem, cuius alterutra pars certò ex prædictis capitibus constat, Ecclesia determinare valet. Sanè potestas iurisdictionis Ecclesiæ, sicut & aliorum Principum sæcularium, se extendit ad terminandas lites dubias, quarum neutra pars clarè constat, vt praxis manifestat; nempe quia hoc ad pacem reipublicæ valdè expectat; ergo etiam potestas declaratiua, seu definitiua Ecclesiæ, se extendet ad exponendum loca Scripturæ duorum sensuum capacia, etiamsi qualis eorum fuerit mens Spiritus sancti certò inter Doctores non constet, sed solùm magis probabiliter; siquidem hoc ad pacem fidelium valdè conducit.

Depulsio.

Denique prædicta solutio impugnatur, & pariter nostra sententia stabilitur: nam plures controuersiæ sunt definitæ ab Ecclesia, quarum alterutra pars neque certa erat, neque solidioribus fundamentis roborabatur, ac pia, vel minùs pia opinio adstruitur; ergo sicut aliæ lites licitè & validè potuerunt ab Ecclesia decidi; etiam præsens controuersia poterit ab eadem licitè & validè terminari. Quòd autem aliqua dubia, quorum neutra pars certò, sed solùm magis probabiliter constiterit Theologis, fuerint resoluta ab Ecclesia, satis superque ostendimus suprà cap. 1. n. 24. Quòd verò alterutra pars huius controuersiæ de maculata vel immaculata Conceptione, solidioribus, & firmioribus nitatur fundamentis, quàm erant ante definitionem Apostolicam fundamenta, quibus vtraque pars prædictarum controuersiarum fulciebatur, tradit Granados tom. 1. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 32. & patet: nam Patroni piæ opinionis, suam; & Patroni minùs piæ, suam ex Scriptura, & communi sensu Patrum deduci putant: ni aliquis, vt præfatum argumentum euertat, telam, quam ex varijs testimonijs Patrum,

59. *Alia impugnatio.*

Granados.

trum, & Scripturæ pro sua opinione firmanda texuerat, instar Penepoles retexere velit. Declaratur, opiniones antiquæ de incorporeitate Angelorum; de creatione illorum simultaneâ cum hoc mundo visibili; de infusione gratiæ in paruulis per baptismum; de inualiditate absolutonis sacramentalis absentibus datæ; & de similibus suprà numero 24. relatis, neque clarioribus locis Scripturæ, neque vnanimiori consensu Patrum; neque certiori traditione, neque tam vniuersali fidelium illo sæculo viuentium, plausu; neque tot reuelationibus, ac pia opinio fulcitur, adstruebantur, vt illarum opinionum fundamenta expendenti patebit; ergo &c. Quod totum magis clarescet, si aduertas, argumenta, quibus indefinibilitas huius controuersiæ suadetur, satis debilia esse, vt cap. 3. monstrabo.

CAPVT III.

Argumentis Aduersariorum fit satis.

60. *Oppositioni satisfit.*

PRimum argumentum est: Hæc quæstio in aliquibus Concilijs generalibus fuit ventilata, nempe in Concilio Lateranensi sub Leone decimo, & in Tridentino, Constantiensi, & Basiliensi; & tamen Patres neutram partem statuerunt; nempe quia eam indefinibilem iudicarunt. Respondeo, gratis dici prædictam litem non fuisse hactenus diremptam in præfatis Concilijs; quia Patres ibi congregati, eam indefinibilem iudicarunt; cùm id neque acta prædictorum Conciliorum, neque vllus auctor non suspectus affirmarint. Aliæ enim rationes Patres mouerunt, vt ad definitionem huius controuesiæ non venirent. Sed do, Patres huic liti finem non imposuisse, quia tunc neutram opinionem definitioni maturam iudicarunt; indène deducetur, neutram opinionem esse absolutè indefinibilem? Minimè gentium; quippe cùm Ecclesiæ multa progressu temporis innotescant, quæ antea illi non ita clarè patebant, vt constat ex illo dicto Tertulliani: *Tempus augere sapientiam, etiam Ecclesiæ Christi*; quod etiam Epiphanius hæresi 75. & Nazianzenus orat. 5. de Theologia, innuerunt. Sanè diu coram summis Pontificibus agitata fuit illa celebris quæstio de efficacia diuinæ gratiæ, inter Dominicanos & Iesuistas; & licèt Pontifices tunc neutram definere voluerint; nihilominus eam subsequentibus temporibus posse definiri, nemo inficias ibit. Insuper multoties accidit, vt vnus Pontifex aliquem insignem virum in numerum Sanctorum referre noluerit, & alius id efficiat; nempe quia sancti prædicti

Lateran. Trident. Constant. Basilienſ.

Tertul.

Epiphan. Nazianz.

hominis tempore modernorum Pontificum magis, quàm tempore antiquiorum, erat explorata: Ita quia tempore Concilij Tridentini certiùs agnouit Ecclesia, ac olim ipsa tempore Concilij Viennensis, intellexerat, paruulis per sacrum lauacrum infundi sanctitatem, id statuit; licèt tunc temporis Innocentius in prædicto Concilio id non definiuerit, sed illam partem probabiliorem solùm asseueranerit. Insuper Leo primus in epist. 93. ad Turibium, & alij Pontifices aliqua circa processionem Spiritus Sancti disputata, & non definita in Concilio Ephesino, decreuerunt; sicut Leo vndecimus in explicatione fidei ad Petrum Antiochenum, etiam definiuit animas ex nihilo creari, quod antiquitus in alijs Concilijs solùm fuerat discussum.

Leo I.

Concil. Ephesin. Leo XI.

61. *Illustratur responsio.*

Præterea si antiquitatem diligenter euoluerimus, inueniemus nunquam Concilia definitionem huius controuersiæ ob eius impossibilitatem, sed ob alias causas omisisse. Equidem quatuor sunt Concilia generalia, in quibus hanc litem motam scimus, Lateranense sub Leone decimo, Basilienſe, Constantiense, & Tridentinum. Primò Basilienſe nostram partem statuit sess. 36. verùm quia tunc temporis legitimum esse desierat, finem huic controuersiæ non imposuit. Insuper Constantiense prædictam quæstionem non decidisse, non ob eius difficultatem, sed ob alias causas, innuit Æneas Syluius, qui postea fuit assumptus ad summum Pontificatum, & vocatus Pius secundus; qui addit Antipapam, qui tunc erat, cum alijs Patribus quæstionem in fauorem Beatæ Virginis determinasse, quod decretum licèt velit Bandelus libro 10. de Concept. cap. 19. fuisse subreptitium, & à legitimo, & indubitato Pontifice nunquam confirmatum; nihilominus arguit præfatam controuersiam, non ob eius impossibilitatem, sed ob alias causas non fuisse decisam. Præterea scimus Ferdinandum Imperatorem vehementer expetijsse, ne Patres Tridentini alias controuersias tractarent, & definirent, nisi quæ ad sedandam Germaniam conducebant; ob quam causam Patres punctum de Conceptione non determinarunt: tamen ne decretum de peccato originali B. Virginis causæ nocere videretur; addiderunt suæ intentionis non esse eam in illo comprehendere. Denique licèt in Concilio Lateranensi fuerint oblati aliqui supplices libelli Innocentio contra immaculatam Virginis Conceptionem, non constat ex aliquo probato & non suspecto auctore, causa, ob quam prædictum Concilium ad definitionem

Æneas Syluius.

Basilienſ.

Constan.

Bandel.

nitionem prædictæ controuersiæ venire noluerit. Vnde gratis Aduersarij ad impossibilitatem recurrunt. Aliqua adducunt Aduersarij contra prædictam solutionem, ad quæ infrà disput. 13. cap. 3. à n. 20. commodiùs respondebimus.

62. *Alia oppugnatio.* Sixtus IV. Trident.

Secundò obijciunt, Sixtus quartus in Extrauaganti, *Graue nimis*, Concilium Tridentinum sess. 5. capite de peccato originali, & multi alij Pontifices vtramque opinionem probabilem esse decreuerunt; ergo non potest iam Ecclesia alterutram determinare; siquidem per alicuius definitionem statueretur aliam falsam, & nullatenus probabilem esse; vnde Ecclesia sibi contradiceret, & quod antea probabile definiuit, modò improbabile, imò hæreticum esse affirmaret.

Inno. III.

Paulus V.

61. *Retorquetur.*

Enimuerò si argumentum efficax esset, aliqua sequerentur absurda. Primò sequeretur Ecclesiam, etiam si Deus in confirmationem alicuius ex dictis opinionibus miracula ingentia effecisset, non potuisse ad definitionem deuenire; ne sibi aduersaretur, & quod antea probabile statuit, improbabile, & falsum esse asseueraret. Insuper sequeretur, Concilium Tridentinum errasse, aut malè fecisse, dum sess. 6. capite 4. & 7. definiuit infantibus per lauacrum regenerationis infundi sanctitatem; siquidem Ecclesia in cap. *Maiores* de Baptismo, partem negatiuam, probabilem esse statuerat. Præterea sequeretur, Ecclesiam vltimum iudicium ferre non posse de immediato transitu aquæ in sanguinem Christi Domini; & de efficacia diuinæ gratiæ: siquidem illam controuersiam Innocentius 3. in cap. *Martha*, de celebratione missarum; & hanc Paulus quintus probabilem esse dixerunt.

Trident.

64. *Obiectio soluitur.*

Granados.

Ad argumentum ergo respondeo, Ecclesiam quando aliquam opinionem esse probabilem statuit, potiùs permissiuè, quàm positiuè se habere; & solùm velle, ne ea à particularibus Doctoribus interim censuretur; aut ne ab eisdem erronea aut hæretica habeatur, vt bene Granados suprà disputatio. 3. numero 360. quod eius definitionem impossibilem non reddit. Et si instes, Ecclesiam positiuè declarasse, tam opinionem piam, quàm minùs piam esse probabilem; libenter do; inde tamen non sequitur, eam non posse de alterutra opinione iudicium ferre; nam per similem declarationem ad summum statuit tunc temporis sibi exploratum non fuisse quænam ex illis verior esset; cùm autem quod olim Ecclesiam latebat, modò eidem constare possit (vt

dicebamus suprà n. 9.) idcirco opinionem, quam ipsa antea probabilem esse dixerat, modò improbabilem, imò hæreticam esse decernere valet.

65. *Alia oppositio.* Tertiò obijciunt: ad hoc vt aliqua veritas nouiter decidatur, est necessarium, vt illam ex verbo Dei Scripto, vel indubitatâ traditione, vel vnanimi sensu Patrum manifestè deducatur; vnde cùm neutra opinio ex dictis principijs clarè & euidenter inferatur, idcirco neutra definibilis est.

66. *Respondetur oppositioni.* Licèt huic argumento quilibet ex dictis suprà à numero 6. satisfacere possit; nihilominus respondeo, ad hoc vt aliquid definiatur, non esse necessarium, vt id euidentiâ metaphysicâ contineatur in Scripturâ, aut in indubitata traditione, aut sit clarus vnanimis Patrum consensus, vt loco proximè citato ostendi: vnde licèt prædicta controuersia neque ex Scriptura, neque ex traditione indubitata euidenter deduci possit, nihilominus eam iudicio Ecclesiæ subijcimus. Addo esse sufficientissima fundamenta tum ex Scriptura, tum ex Patribus, tum ex traditione, tum ex ratione, tum ex reuelationibus dessumptâ, ad hoc vt alterutram partem Ecclesia determinare valeat, vt infrà disput. 13. afferemus.

67. *Altera obiectio soluitur.* Quartò obijcies, hanc controuersiam esse minùs grauem, si ad fidem comparetur, & inutilem ad mores informandos, & ideo indefinibilem. Equidem an B. Virgo caruerit venialibus, & an post partum Virgo permanserit, & an Angeli sint incorporei, & creati fuerint simul cum mundo visibili, ante definitionem neque maioris momenti, neque magis vtiles erant ad mores informandos; & tamen illæ definitæ sunt. Ad hæc, materia præsentis controuersiæ grauissima est, vt bene Salmeron in epist. ad Rom. disput. 49. agitur enim de puritate Matris Dei, an in vterum maternum sancta & amica Dei intrauerit: & an Filius Deus ita peccatum oderit, vt fœminam, quæ aliquando captiua diaboli fuerit, in matrem eligere noluerit. Insuper præfata quæstio pertinet ad mores informandos, quandoquidem conducit ad pietatem erga Virginem, ad fiduciam in eius precibus, quæ nunquam eum, quem orat, offenderit: conducit ad maiorem gloriam Dei, & excellentiam meritorum Christi, & pulchritudinem Ecclesiæ. Salmeron.

Nonnulla alia argumenta adducunt Aduersarij, verùm quia faciliora sunt, & ea Suarius, Vasquez, Granados, Salmeron, & Salazar suprà bene dissoluunt, ad alia propero; solùm prænoneo, Pium quintum asserentem in Bulla, *Super specula*, quòd hæc controuersia non sit de illis dogmatibus, de quibus dicitur: *Corde creditur ad iustitiam*, nobis non aduersari, vt voluit Grauina suprà: nam Pontifex loquitur de illa lite prout erat tunc; cùm autem tunc non fuerit definita, certò credi non debet, attamen si eam postea declaret Ecclesia, ab ea dissentire sine detrimento fidei nemo poterit. 69. *Alia obiectiones remittuntur.* Pius V.

CAPVT IV.

An expediat præfatam controuersiam definiri?

69. *Prænonitio.* Paulus. Bern. Meritò Apostolus 1. Corin. 6. loquens de adiaphoris, seu rebus indifferentibus, teste Chrysostomo, & Theophylacto ibidem, ait: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, ac si dixisset, licèt omnia, quæ prohibita non sunt, licitè fiant; tamen aliquando illa fieri non expedit: nam, vt bene Bernardus lib. 3. de Consider. ad Eugen. *Non continuò omne quod licèt decere, expedire consequens est.* Quare cùm Ecclesia, vtpote ab Spiritu Sancto gubernata, non solùm quod licet, sed quod expedit, & quando expedit, è Cathedra pronunciet; vt definitionem huius controuersiæ impetremus, non sufficit ostendisse hanc litem ab Ecclesia licitè, & validè terminari posse, ni pariter id expedire persuadeamus, & ideo in hoc capite inquiro, an expediat, vt præsens controuersia, saltem in primo Concilio generali congregando, determinetur? siquidem si hoc euicerimus, facilè id præsenti Pontifici etiam sine Concilio licere, & expedire persuadebimus.

70. *Aliorum opinio.* Grauina. Prima sententia negat expedire, vt huic liti finis imponatur. Ita aliqui, quos tacito nomine citat, & videtur sequi Grauina 2. p. tom. 4. q. 3. art. 9. punct. 2. fundamentum est, vel quia hæc quæstio non est definibilis; vel si est definibilis, & terminaretur, seditiones, & scandala, & contemptus aliorum articulorum Ecclesiæ timeri possent.

71. *Verior sententia.* Concil. Basilienf. Salazar. Granados. Contraria sententia longè verior, & communior est, nempe valdè expedire, vt præsenti liti de maculata vel immaculata Conceptione, finis ab Ecclesia imponatur. Hoc suppositi Concilium Basilienfe dum eam de facto definiuit; eiusdem mentis sunt multi Principes Catholici, communitates religiosæ, aliquot prouinciæ, & regna pro decisione huius controuersiæ instantia ad Sedem Apostolicam. Idem Salazar de Conceptione cap. 43. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. disput. 3. sect. 32. & alij plurimi recentiores asserentes, opinionem piam esse proximè definibilem supponunt.

72. *Notabile.* Pro huius posterioris sententiæ confirmatione præmoneo, defi-

definitionem alicuius controuersiæ inter Catholicos vtrimque probabiliter agitatæ, esse vltimum iudicium Ecclesiæ, per quod vna pars absoluitur, & alia condemnatur: vnde vtilitas illius, tum ex materia ipsius litis, tum ex ipso Pontifice, tum ex ipsa Ecclesia, tum ex fidelibus, tum ex fine, tum ex tempore, tum ex parte condemnata, desumi debet; siquidem accidere potest, vt ex defectu alicuius circumstantiæ ex dictis, etiam si cæteræ adsint, non expediat venire ad definitiones, sicut teste Baronio in Annalibus anno 648. Honorius hæresim de vnica voluntate Christi pullulantem, condemnare tunc temporis non expedire iudicauit.

Baron.

73. *Probatur verior opinio.*

Primò materia huius controuersiæ est definibilis, vt suprà cap. 2. satis ostendi: insuper est grauissima, non solùm ob rationes allatas suprà numero 66. sed etiam quia connexa est cum legitima expositione plurimorum locorum Scripturæ, vt suprà n. 57. tetigi; & consequenter alter utra pars illius est certò de fide quamuis non sciamus certò, quænam illa sit; vnde cùm lis cuius alterutra pars est de fide, leuis esse nequeat; idcirco præfatæ quæstionis materiam esse grauem, oportet. Quod autem aliqua pars huius controuersiæ sit certa, & de fide, patet: nam illæ propositiones vniuersales sæpe in Scripturâ repetitæ, *Omnes in Adam peccauerunt*, & *Omnes mortuos esse*, & similes, vel cum aliqua exceptione, vel sine vlla, fuerunt ab Spiritu sancto dictatæ, siquidem sunt contradictoriæ propositiones, inter quas nullum medium admitti posse scimus: si Spiritus sanctus in illis omnes posteros Adami ex semine virili procreatos, sine vllâ prorsus exceptione comprehendit, de fide esset B Virginem peccatum originale contraxisse. At si in illis Spiritus sanctus omnes non includit, sed aliquem exceptum esse voluit; etiam de fide esset illam peccatum originale non incurrisse; verùm quia nos latet, an Spiritus sanctus illas propositiones vniuersales cum aliqua exceptione, vel sine illa protulerit, idcirco probabiliter inter Catholicos cõtrouertitur, & ita qui prędictas propositiones sine vlla exceptione exponunt, suam sententiam; & nos, qui easdem cum exceptione interpretamur, nostrã de fide esse opinari debemus. Sicut ob similem causam, plures Theologi Christum, vt hominem non esse filium Dei adoptiuum; & in adultis infundi habitus fidei, spei, & charitatis, de fide esse probabiliter sentiunt. Neque obstat, si dicas, Spiritum sanctum illas propositiones vniuersales vt sic protulisse, abstrahendo ab illa quæstione an in illis exceptio vlla esset, vel non esset

esset intelligenda: nam si hæ propositiones fuissent ab homine dictatæ, forsan præfata solutio posset sustineri; verùm cùm sint prolatæ ab Spiritu sancto, omnia scienter, & nihil inaduertenter proferẽte; eum illas, vel cũ aliqua exceptione, vel sine illa, protulisse, fateri necesse est. Ex quo apparet non esse leuẽ materiã, & indignã declaratione Ecclesiæ, veritatẽ toties ab Spiritu sancto repetitã, præcipuè cùm videamus, eã cordi Ecclesiæ esse; & à grauissimis, & doctissimis viris valde æstimari. Neq; hæc doctrina est contra constitutiones Apostolicas prohibentes, ne quis alterutrã ex præfatis opinionibus notâ aliqua inurat: nam, vt bene aduertit Granados tom. de Incar. contro. 2. tract. 1. disp. 1. sect. 30. n. 336. Pontifices, opiniones prædictas censurare vetant, quod nullatenus facit, qui suã probabiliter esse de fide asserit, cùm hoc non certum, sed solùm opiniabile esse asserat, legatur Granados suprà.

Granados.

74. *Alia probatur.*

Secundò terminatio huius controuersię deseruiet ad fideles inter se pacificandos; quod vt melius intelligatur, scire oportet, varias contentiones, iurgia, & scandala ob hanc causam excitata fuisse in varijs Prouincijs, & Regnis. Testis est Gallia, vbi circa annum 1389. Dominicani, quia suam opinionẽ prædicabant, extra protectionem regiam facti fuere; & inhibiti sub pœnâ capitali, ne ex suis monasterijs exirent; & ne aliquis ad illũ ordinem reciperetur, vt refert Thom. Vualsinganus Benedict. in Vualsinga. sua historia Anglicana pag. 339. Testis est Hispalis, & nonnullæ aliæ ciuitates Hispaniarũ, vbi ob hanc causam ijdẽ innumeras molestias passi sunt: testis est Italia. quas turbas vt cõprimeret quondam Sixtus quartus, illam celebrẽ Bullam, *Graue nimis*, eddit, in qua sub grauibus pœnis inhibuit, ne opinio pia, aut minùs pia ab vllo vt hæretica, aut erronea condemnaretur. Sanè ad extinguendũ incendiũ rixarũ, quod ex hac controuersia sæpè excitatur, definitio illius valdè conducet; siquidem vtriusq; opinionis Patroni statim ac Spiritum sanctũ per suam Ecclesiã declarasse veritatẽ, viderint, vtpote religiosi, & Catholici, suũ intellectum in obsequium fidei captiuabunt. Neq: obest si dicas, huic malo satis superq; sucurrisse Gregor. XV. prohibendo ne minùs pia opinio, quæ bilem fideliũ accẽdere solet, publicè, aut secretè asseratur. Hoc, inquã, non obstat: nam cùm adhuc adhuc cuilibet sit liberum, quam voluerit ex præfatis opinionibus sentire, opinio minùs pia in pectoribus pluriũ ex sanctissima, & Religiosissima familia Dominicanorũ, manet alta mente reposta; cum quo pax, & imò inter illam, & reliquos fideles crescere vix potest: nam, vt aiebat Hormisda epistola 2. Hormisda. capite 6. *Quomodo connecti poterunt gratiæ vinculis, quorũ distant corda*

corda sentētijs? Sanè quia Corinthij diuersis opinonibus inter se pugnabant, quo charitas lædebatur, Apostolus ad eos epistolam scripsit, vt in præfatione illius aduertit S. Chrysostomus: expediens quoque erit, vt Ecclesia hanc litem dirimat, & occasionem tot iurgiorum è medio penitus tollat.

75. *Idem aliter suadetur.* Tertiò definitio huius controuersiæ vtilis est Ecclesiæ; tum quia per illam discordiæ euitarentur; tum quia veritas & legitimus sensus plurium locorū Scripturæ, clarescceret, & retineretur, ob quam causam multa ordinata & definita scimus: nam si, vt ait S. Leo epi. 67. ad Theodorium: *Ipsa quoque veritas & clariùs renitescit, & fortiùs retinetur, dum quæ fides, quæ prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret*: & ideo Concilium congregauit: potiori iure veritas latens in sacro textu, authenticè declarari expedit, vt clariùs renitescat, & fortiùs retineatur; siquidem ea sine hoc iudicio Sedis Apostolicæ, latescit, & in cordibus fidelium nutat.

S. Leo.

76. *Iterum idem roboratur.* Etiam determinatio huius controuersiæ expedit Pontifici: nam huius proprium munus & officium est, scandala vitare, & dubijs fidelium respondere: vnde Concilium Lateranense ex rescripto Adriani 2. ait: *A ratione non discordat, quòd ea, quæ inter se dubietatis scrupulum videntur continere, ad Apostolicæ Sedis iudicium referantur, vt inde Christi fideles in dubijs certitudinem se gaudeant inuenire.* Hac ratione vrgebant Patres Africani Theodorum Papam, vt ad definitionem aliquarum controuersiarum deuenirent, dum inter alia scripserunt: *Cuius*, nempe Summi Pontificis, *vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm probare laudanda*: Quod expedire Pontifici magis innotescet, si aduertas huius litis terminationem esse hoc tempore expetitam, & sæpe postulatam per Principes plurimos, communitates, & ferè totam Ecclesiam per orbem diffusam: quare cùm Pontifici expediat scandala vitare, fideles magis vnire, veritatem, & verum sensum Scripturæ aperire, suo muneri satisfacere, & principum, & ferè totius Ecclesiæ votis in re licita, & honesta annuere; idcirco definitio huius controuersiæ, per quam præfata bona comparantur, expedire videtur.

Concil. Lateran.

77. *Idem alio modo adstruitur.* Insuper per huius litis diremptionem ora Hæreticorum obturabuntur: hi enim, vt refert Coccius tom. 1. lib. 3. art. 6. occasione huius controuersiæ irridentes Ecclesiam: aliqui enim cultum exhibitum Sanctis contemnunt ex eo quòd Ecclesia celebrat festum Conceptionis immaculatæ, cùm sit incertum an à peccato fuerit præseruata. Vnde concludunt, vt refert Bellarmi-

Coccius.

Bellarm.

larminus lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 16. ex cultu exhibito Sanctis ab Ecclesia, eos visione clarâ Dei esse beatos, certò colligi non posse. Insuper Mollerius Lutheranus, teste Grauina 2. p. tom. 4. q. 3. art. 9. puncto 2. ex eo quòd prædicta controuersia tamdiu duret in Ecclesia, eam definiri posse negat. Sanè his malis mederetur Pontifex, si eam determinasset, siquidem ipso facto conuinceret, tum se fideles pacificare, & præfatæ liti finem imponere posse; tum Ecclesiam exhibendo cultum B. Virgini, vt immaculatæ, non erasse. Simili argumento Constantinus Imperator Agathonem Papam, vt Concilium congregaret, exhortabatur, vt habetur in epistolâ illius, sextæ Synodo Constantinopolitanæ præfixâ. *Propter viles, inquisitiones*, aiebat Imperator, *non sit infinita contentio, ne nobis insultent Pagani, & Hæretici, neque in nobis vsquequaque locum accipiant semina Aduersarij.* Neque hactenus dicta eneruabis, si dicas, ea si persuadent expedientiam definitionis huius controuersiæ, etiam conuincere expedire, vt cæteræ controuersiæ pertinentes ad doctrinam fidei inter Theologos agitatæ ab Ecclesia determinarentur. Hoc, inquam, non obest, tum quia veritas aliarum controuersiarum, non est ita eliquata; cùm earum alterutra pars neque communem sensum ferè omnium fidelium pro se habeat; neque alterutri parti ex ipsis festiuitas aliqua Ecclesiæ faueat; neque in eam Pontifices in suis sanctionibus tam clarè propendeant; neque disputatio, & assertio earum bilem moueat, & iurgia inter fideles excitet, & oriri faciat. Quare cùm plures causæ, quæ in alijs controuersijs non reperiuntur, huic adsint, idcirco etiamsi aliarum determinatio non expediat, hanc finiri oportebit. Quod magis adhuc ex solutione argumentorum illustrabitur.

Grauina.

Enasio præcluditur.

78. *Obiectioni fit satis.* Obijcies primò, satis explicata esse in præcedentibus Concilijs, & decretis Pontificijs, quæ credere debemus; vnde nouis dogmatibus onerare Ecclesiam, non expedit. Huic argumento satis superque respondit S. Thom. 2. q. 1. art. 10. dicens, decere nouas rerū definitiones, vt antiquæ magis explicentur; & ita superaddit: *Sic quælibet Synodus obseruauit, vt sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicuius hæresis insurgentis.*

S. Thom.

79. *Alia obiectio.* Secundò obijcies, esse periculum ne ex determinatione huius controuersiæ turbetur orbis: nam Hæretici videntes proponi vt dogma aliquam partem antea probabilem; & neque ex Scripturâ, neque ex certa traditione, neque ex indubitato communi

sensu Patrum, deductam, articulos fidei ab Ecclesia constitutos, contemnent; & forsan ob idem ferè fundamentum nonnulli Catholici eam definitionē parui facient; & consequenter scissuras, & schisma excitabunt; cui periculo vt exponatur Ecclesia non expedit, præcipuè propter controuersiam, cuius pars affirmatiua, vel negatiua, sine vlla læsione fidei sustineri potest. Quæ ratio apud prudentes tanti habita est, vt ob eam Victor Papa, hortatu S. Irinæi distulerit determinare quæstionem de Paschate: ne, inquam, plures Ecclesiæ Africanæ partem contrariam sequentes, à fidelium consertio separarentur.

8c. *Responsio ad obiectionem.* Euagri.

Profectò hoc argumentum (quo abutebatur Basiliscus Imperator, ne decreta Synodi Chalcedonensis promulgarentur, vt constat ex Euagrio lib. 3. cap. 3.) si vires haberet; euinceret non expediuisse definitionem factam à Tridentino de infusione gratiæ in paruulis per baptismum; neq; alias similes; siquidem contraria pars probabiliter, & cōsequētersime læsione fidei antiquitus propugnabatur, vt constat ex dictis suprà n. 24. Quare huic argumento bene aptatur solutio ab Augustino lib. de Bono perseuerantiæ, cap. 16. simili obiectioni exhibita: *Dicatur ergo verum* (respondet Augustinus) *maximè vbi aliqua quæstio, vt dicatur, impellit, & capiant, qui possunt; ne fortè cùm tacetur propter eos, qui capere non possunt, non solùm veritate nudentur, verùm etiam felicitate capiantur.* Accedit non posse ex definitione huius controuersiæ iure timeri periculum scandali alicuius momenti oriturum: nam ferè tota Ecclesia eam expetit, & cum plausu recipiet; & Patroni minùs piæ opinionis sunt tam religiosi, & summis Pontificibus obedientes, vt magnam iniuriam eis irrogaret, qui eos Sedi Apostolicæ vllo modo restituros suspicaretur. Quòd autem Hæretici præfatam determinationem ægrè ferant, non est curandū, cùm ipsi etiam alias determinationes Concilij Tridentini, & antiquorum Conciliorum spernant: vnde eorum scandalum, vtpote pharisaicum, honorem Virginis, manifestationē veritatis, germanam expositionem Scripturæ, retardare non expedit. Neque exemplum allatum de Victore Papa nobis nocet; tum quia illud, quod de paschatis celebratione tractabatur, magis ad materiam politicā, & iurisdictionem præceptiuam, quàm ad materiam fidei pertinebat; tum quia illæ Ecclesiæ Africanæ non erant ita obedientes Pontifici, sicut Thomistas esse scimus. Vnde non mirum quòd Pontifex, & Iræneus ex illo præcepto, schandala, & schismata timerent oritura. Neque etiam obest, quòd neutra pars ex reuelatis, aut indubitatā traditione, aut

S. Aug.

aut communi Patrum, vel Doctorum antiquorum, euidenter deducatur, tum quia, vt suprà n. 24. tetigi, plures huiusmodi lites sunt terminatæ ab Ecclesia; tum quia si alterutra pars ex præfatis capitibus clarè concluderetur, definitione non ita egeret, vt suprà n. 20. dixi; siquidem quilibet doctus eam veluti decidere valeret. Sicut ob hanc causam, B. Virginem resurrexisse, non ambigimus: vnde prædictum obstaculum prædictam controuersiam debere definiri, potiùs suadet.

8r. *Instantia satisfit.* Pius II. Bzouius.

Instabis, Pius Secundus, vt refert Bzouius anno 1463. n. 5. & colligitur ex Bulla ipsius, quæ incipit, *Satore diabolo*, non iudicauit expedire, terminare illam controuersiam inter Dominicanos, & Franciscanos excitatam; an, inquam, totus sanguis Christi in cruce effusus fuerit hypostaticè vnitus diuinitati, ne ingentes discordiæ inter prædictas familias orirentur. Respondeo illā cōtrouersiā non esse ita maturam definitioni, sicut nostram esse existimamus; siquidem neutra illarum pars communem sensum pro se habebat: vnde quælibet causa sufficiens fuit, vt illa tunc temporis omitteretur. Accedit tunc Pontificē indiguisse operā vtriusque familiæ, ut in Orientali plagà fidē prædicaret; vt ipse Bzouius recenset: vnde ne aliqua ex præfatis familijs in illa occasione molestiā afficeretur, distulit definitionem; quod in nostro casu non contingit, cùm ob misericordiam diuinam tot ministris Euangelicis abundet Ecclesia.

8t. *Obiectio & eius solutio.*

Quartò obijcies, vtraque pars huius quæstionis, non solùm nobilissimos Patronos, sed Sanctos pro se habet: vnde si ea ab Ecclesia terminaretur, aliquos Sanctos canonizatos errasse conuinceretur: quod non expedire omnes vident. Respondeo, non esse contra auctoritatem S. Bonauenturæ, vel S. Thomæ, aut alterius grauissimi Patris, quòd in rebus suo tempore non definitis ab Ecclesia, semel, aut iterum à veritate deuiauerit; cùm priuilegium non errandi, teste August. epist. 19. ad Hieronymū, solùm Scriptoribus canonicis concessum sciamus. Quare Ecclesia doctrinam ab aliquibus Patribus traditā, damnare non dubitauit. Cassianus enim, & Chrysost. vt refert Vasquez 1. p. disput. 89. cap. 4. & 5. doctrinæ Massilienſium apertè fauerunt. Insuper Chrysostomus, Hieronymus, Basilius, Epiphanius, vterq; Cyrillus, & Nyssenus, vt sensit Vasquez 1. p. disp. 37. cap. 2. & 4. Deum à Beatis clarè, & intuitiuè videri, negarunt. Insuper alia plura dogmata contra nonnullos grauissimos Patres sunt decreta, vt tetigimus suprà n. 24. ergo etiam si alterutra opinio ex his, fuerit aliquorum Sanctorum, sine vllo inconuenienti definiri valet.

August.

Vasquez.

DISPVTATIO DECIMA TERTIA.

Designatur opinio, quam Ecclesia, si ad alterutrius opinionis definitionem peruenire velit, statuere debet.

1. *Ecclesia solùm, quod est verum, definire valet.*

CVm Ecclesia in rebus pertinentibus ad fidem, errare nequeat, vt omnes Catholici contra hæreticos supponunt; si præsentem litem dirimere voluerit, eam electuram verum, de fide est. Vnde Caietanus, & alijs, qui minùs piam opinionem veram esse arbitrantur; suam, si Ecclesia ad definitionem alterutrius accedat, victricem fore aiunt. At cæteri alij Doctores, qui B. Virginem sine peccato conceptam fuisse, putant, Ecclesiam in fauorem piæ opinionis iudicaturam constanter asseuerant. Ita Suarius tom. 2. in. 3. p. disp. 3. sect. 5. Salazar de Concept. cap. 43. à §. 4. Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 32. Salmeron in epist. ad Rom. disput. 52. Vasquez 3. p. disputatio. 117. cap. 14. & alij communiter.

Suarez. Salazar. Granados. Salmeron. Vasquez.

Antequam posteriorem partem, vtpote veriorem, stabiliam, præmittere placet id quod nemo negare potest; nempe fundamenta piæ, & minùs piæ opinionis in aliquo æqualia, & in multis inæqualia esse. Primò conueniunt in eo quòd neutra opinio euidenter ex Scriptura, indubitatâ traditione, aut vnanimi Patrum consensu deducitur; & ideo Ecclesia alterutram notare vt erroneam, vel hæreticam seriò prohibuit. Secundò conueniunt in eo quòd vtraque probabiliter ex dictis principijs elicitur: quare Pontifices vtramque probabilem esse statuerunt. Tertiò conueniunt prædictæ opiniones in eo quòd aliquos Sanctos canonizatos, præcipuè Bernardo iuniores, pro se habet. Tamen præfatas opiniones in alijs prærogatiuis differre, indubitatum est. Primò Pontifices officium, in quo B. Virgo sine vllo peccato concepta dicitur, approbarunt, & illud recitandi potestatem fecerunt, saltem aliquibus diœcesibus

2. *Opinio pia, & minùs pia in aliquo conueniunt, & in multis differunt.*

bus, & communitatibus; & tamen nunquam scimus officium vllum, in quo Deipara maculata dicatur, approbatum ab Ecclesia. Secundò, opinio minùs pia paucos patronos habet, saltem ab anno 1400. at opino pia saltem à prædicto tempore ita in Ecclesia inualuit, vt eam ferè omnes sequantur. Tertiò differunt in eo quòd Pontifices relinquendo potestatem patronis piæ opinionis, vt eam prædicare, defendere, & populo persuadere possint; prohibuerunt, ne aliquis minùs piam opinionem doceat, aut defendat, aut de ea publicè, vel priuatim loquatur, vt constat ex dictis suprà disput. 11. cap. 6. Denique præfatæ opiniones in multis alijs differunt, vt ex dictis suprà disput. 11. liquet. Ex quo in capitibus sequentibus non opinionem minùs piam, sed solùm piam esse definibilem, persuadere conabor.

CAPVT I.

Opinionem minùs piam non esse definibilem, ostenditur.

3. *Probatur conclusio.*

LIceat in hoc & sequenti capite, quæ disput. 11. fusè tractaui, in compendium redigere, vt non minùs piam, sed solùm piam opinionem esse definibilem, quilibet facilè intueri possit. Primò ergo præfixa conclusio probatur: nàm cùm Ecclesia falsum statuere nequeat, & aliunde falsum sit, quod communi sensui ferè totius Ecclesiæ contradicit, vt suprà disput. 11. n. 29. & 30. ostendimus; idcirco minùs pia opinio, quæ ferè omnium Episcoporum, communitatum, Doctorum, & ferè omnium Christi fidelium iudicio refragatur, decerni non valet.

4. *Alia probatio.*

Secundò, licèt Ecclesia postquam duas opiniones contrarias, probabiles esse statuit, re maturiùs consideratâ, alterutram definire valeat, vt suprà disput. 12. numero 64. dicebamus; attamen postquam in aliquam ex illis magis propendit, & eam signis, aut verbis probabiliorem esse innuit, ei subesse falsum nunquam determinabit, vt ostendimus suprà disput. 11. numero 53. Sed Ecclesia magis propendit in opinionem piam, eamque saltem signis, & priuilegijs veriorem & probabiliorē, quàm oppositam, declarauit, vt bene Salazar de Concept. cap. 43. §. 4. & nos tradidimus disput. 11. cap. 4. ergo Ecclesia opinionem piam esse falsam, nunquam statuet.

Salazar.

5. *Idem sumitur.*

Tertiò non solùm à sæculo inauditum, sed etiam incredibile est, vt Ecclesia opinionem, quam publicè, & secretè doceri, & alicui suaderi seriò prohibuit, eam postea vt veram & traditam ab Spiritu sancto declaret: siquidem per hoc, ipsam, quæ est columna,

&

& custos veritatis à Congregatione omnium fidelium verum aliquando veluti exterminasse, denotaretur, vt disput. 11. cap. 4. latiùs deducebamus. Sed Ecclesia interdixit, ne opinio minùs pia doceatur; ne quis de ea publicè aut secretè loquatur, seu alteri suadeat; ergo prædicta opinio nullatenus dogma fidei esse poterit.

6 *Idem aliter roboratur.* Quartò postquā Pōtifex aliquā defunctum beatificauit, seu cultū sacrum ei exhibendi, toti Ecclesiæ, vel aliquibus prouincijs facultatē impertiuit; eū in peccatis mortalibus expirasse, vel ad inferos damnatū esse, è Cathedra pronuntiare nequit, vt omnibus notum est; sed Ecclesia, vt ait Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. opinionem piam veluti canonizauit, vel saltem aliquibus religionibus vel diœcesibus facultatem dedit exhibendi cultum sacrum B. Virgini prout erat in primo instanti sui esse, vt vidimus suprà disput. 11. cap. 3. numero 13. ergo Ecclesia B. Virginem tunc temporis immundam fuisse, & indignam cultu sacro determinare non poterit.

Suarez.

7. *Idem stabilitur.* Quintò, eo ipso quòd Ecclesia sententiam vltimam in fauorem opinionis minùs piæ pronunciaret; saltem implicitè, & virtualiter non solùm reuelationes de veritate opinionis piæ factas S. Mecthil. & alijs sanctitate illustribus, de quo suprà disp. 11. cap. 6. sed etiam S. Birgittæ damnaret, vt liquet; cùm hæ præfatæ definitioni opponerentur: sed Ecclesia prædictas reuelationes vt falsas, neque virtualiter declarare valet; ergo neque minùs piam opinionem definire. Minor probatur, tum quia illas sibi factas testantur varij viri aut fœminæ fide dignæ in diuersis prouincijs, & temporibus degentes; & quòd tot sanctitate illustres fuerint illusi à diabolo; vel nos illudere voluerint, est incredibile; tum quia Ecclesia reuelationes S. Birgittæ vt supernas approbauit, vt vidimus disput. 11. n. 73. & aliunde quod semel vt supernum statuit Ecclesia, infernum esse nequit.

8. *Alia probatio.* Sextò, opinio minùs pia non habet fundamenta sufficientia, vt ea definiri valeat; ergo indefinibilis est. Antecedens non solùm à patronis omnibus piæ opinionis; sed etiam ab aliquibus defensoribus minus piæ, admittitur; siquidem illi hanc controuersiam defectu sufficientis fundamenti decidi posse constanter negant; vnde illi suam opinionem esse indefinibilem fateri debent. Et ratio est; nam licet sensum huius opinionis euidenter verba Scripturæ, & ferè omnium Patrum capiant; tamen hoc ad definitionem prudentem non sufficit, nisi alia adsint adminicula desumpta vel ex traditione, vel ex communi sensu Ecclesiæ, vel reuelationibus, aut miraculis approbatis: quapropter cùm opinio minùs pia his adminiculis careat; in id, nempe quòd minùs pia opinio definiri non possit, tam Aduersarij, quàm nos meritò conspiramus.

CAPVT II.

Piam opinionem esse definibilem ab Ecclesia, monstratur.

9. *Consectarium.* EX dictis capite præcedenti præfixa veritas facilè demonstratur; nā cùm alterutra ex duabus opinionibus sit declarabilis ab Ecclesia, vt ostendimus suprà dis. 12. c. 2. & Aduersariorū opinio indefinibilis sit, vt capite præcedēti manifestaui; perspicuū fiet nostram opinionem vt dogma omnibus fidelibus ab Ecclesia proponi esse.

10. *Notabile.* Quæ conclusio, vt magis clarescat, adnotare oportet, Ecclesiā non posse aliquod nouum dogma statuere, quod tempore Apostolorum expressè, vel saltem virtualiter ab Spiritu sancto non fuerit reuelatum, vt tradidimus suprà disput. 12. n. 3. Vnde cùm quidquid reuelatum est in verbo Dei scripto, seu in eodem verbo non scripto, contineatur, vt Catholici contra sectarios supponunt; quidquid definibile est, in verbo Dei scripto, aut nō scripto, saltem virtualiter inueniri debet.

Cæterùm aliquid duobus modis in verbo scripto (& idem dicito de verbo Dei non scripto) contineri potest, nempe euidenter certò, aut euidenter probabiliter. Euidenter certò aliquid in Scriptura continetur, quando verba textus sacri antecedentia & consequentia, illū esse sensum legitimū, & intentum ab Spiritu sancto, quemlibet doctum, & cordatum conuincunt; quale est Christum esse verum hominē, mortuum, & pro nobis crucifixum. Attamen quādo verba Scripturæ, omnibus circumstātijs textus consideratis, ita indifferentia sunt, vt duplicem explicationem contrariā admittant, seu aliquem sensum ita capiant, vt contradictoriū, inde falsum esse clarè non arguatur; tunc ille sensus Scripturę solùm euidēter probabilis est, liquidē euidenter cōstat illū sensum esse consentaneū Scripturæ; & ignoratur, an ille, vel contradictorius fuerit ab Spiritu sancto significatus. Et ne longiùs abeamus, præsens controuersia huius veritatis exemplū sit: in Scriptura sunt varia testimonia, quibus vniuersaliter omnes in Adamo peccasse, & in peccatis concepti esse dicimur; verùm quia in Scriptura aliquando propositiones vniuersales, nullum excipiunt, & aliquando aliquem ab eis exceptum fuisse scimus, meritò dubitatur, an illę propositiones vniuersales, *Omnes in Adā peccauerunt*, *Omnes mortui sunt*,

omnes homines per seminalem propagationē natos, nullo prorsus excepto, includant; vel saltem aliquis, nempe B. Virgo, ab illis excludatur. Insuper illa verba Pauli ad Rom. 5 *Si enim vnius de icto multi mortui sunt : multò magis gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit* ; duplicem sensum euidenter probabilem admittunt (vt vidimus suprà disp. 10. c ap. 3.) alium comparatiuum, quo significatur plures numero filios Adami fructum & gratiam Christi participasse, quàm sunt illi filij Adami, quibus peccatum primi parentis nocuit ; & alium non comparatiuum, quo meritum Christi, & demeritum Adami ad eosdem numero homines se extendisse denotatur. Idem dicito de illo loco Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* ; qui si retrotrahatur ad primum instans existentiæ Marianæ, B. Virginem sine peccato conceptam fuisse, clarè conuincit. Si verò ad prædictum instans non retrotrahatur, ille opinioni piæ non fauet: vnde cum ex pura & puta Scriptura certò non eliciatur, an locus prædictus Pauli comparatiuè vsurpetur ; & an locus Canticorum allegatus ad præfatum instans retrotrahatur ; idcirco nostram, & Aduersariorum opinionem, non euidenter certò, sed euidenter probabiliter in Scriptura contineri asseueramus.

Paulus.

Cantica.

11. *Aliud notabile.*

Secundò aduerto, inter continentiam euidenter probabilem alicuius propositionis in Scriptura, & euidenter certam, esse magnum discrimen ; nam hæc sola sine alijs adminiculis extrinsecis ad aliquid definiendum sat est ; & ideo si aliquis negaret Christum Dominum esse risibilem, Ecclesia, ex eo quòd in Scriptura clarè & certò Christum esse verum hominem asseueratur, eum esse risibilem facilè statuere posset. Attamen continentia sola euidenter probabilis alicuius propositionis in Scripturâ, non sufficit ad hoc, vt Pontifex ad eius definitionem prudenter & licitè procedat; sed præter illam aliqua alia adminicula, vel ex traditione, & historijs, vel ex communi sensu Ecclesiæ, vel decretis antiquorum Pontificum, vel ex reuelationibus, aut miraculis desumpta desiderantur, quæ præfatam propositionem moraliter certam seu plurium iudicio valde probabiliorem reddant ; & ideo Innocentius primus, vt habetur in cap. *de quibus*, dist. 20. prædicta capita, vt veritas aliqua latens eruatur, designare videtur ; nempe primum Scripturam sacram; secundum Concilia Græca, quæ tunc temporis communiter in Græcia fuerant celebrata ; tertium decreta Sedis Apostolicæ; quar-

Innocen. I.

quartum historias Catholicas; quintum iustorum hominum exempla; & sextum denique Concilia seniorum. *De quibus*, inquit, *causis nulla soluendi ligandi auctoritas in libris veteris testamenti, quatuor Euangelorum cum totis scriptis Apostolorum appareat, ad diuina recurrere scripta Græca ; si neque in illis canones Apostolicæ Sedis iuuere ; si neque in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias à Doctoribus Catholicis scriptas, manū mitte ; si neq; in illis, Sanctorū exempla perspicaciter recordare ; quòd si in omnibus his inspectis huius quæstionis qualitas non dilucidè inuestigatur, seniores prouinciæ congrega, & eos interroga*, quæ omnia adminicula nostram opinionem definibilem esse persuadent.

12. *Prima ratio conclusionis.*

Primum adminiculum est sacra Scriptura ; nam licèt opinio minùs pia cum opinione pia in eo conueniat, quòd vtraque sacro textui consentanea sit, vt vidimus ; tamen in eo differunt, quòd minùs pia opinio definiri nequit, vt suprà cap. 1. ostendimus; quòd non Aduersariorum, sed nostram in Scripturâ contineri validum argumentum est.

13. *Secunda ratio.*

Secundum adminiculum sunt Concilia generalia, seu, vt loquitur Innocentius, scripta Græca; nam licèt in eis nostra opinio non definiatur, tamen illi fauere videntur. Magnus enim Proclus in Concilio Ephesino, B. Virginem sanctam, & impollutam absolutè appellat ; & Sophronius Patriarcha Constantinopolitanus in epistola approbata in sexto Concilio Constantinopolitano, Deiparam ab omni contagio seu labe peccati liberam fuisse asseuerat ; & denique Tridentinum sess. 5. cap. de peccato originali, in decreto de peccato originali, quo omnes illud incurrere statuit, B. Virginem comprehendere suæ intentionis non fuisse declarat ; sed obseruandas esse constitutiones Sixti quarti; vnde cùm Pontifex præfatus in eis nostræ opinioni magis fauerit, Concilium quoque nobis magis fauisse oportet, vt bene obseruauit Granados tom. de Incarnat. controu. 2. tract. 1. disp. 3. n. 117.

Granados.

14. *Tertio ratio.*

Tertium adminiculum sunt tum decreta Pontificum, qui vt tales in nostram opinionem magis propenderunt; & eam vt probabiliorem factis, & signis innuerunt (vt constat ex dictis disput. 11. cap. 4.) tum communis sensus ferè totius Ecclesiæ, quæ opinionem nostram veram & definibilem esse suadent, vt arguebam disp. 11. cap. 5.

15. *Quarta ratio.*

Quartum adminiculum est cultus exhibitus ab Ecclesia Deiparæ, vt erat in primo instanti sui esse, quo ea prout erat in præfato instanti veluti beatificata videtur, vt constat ex dictis disp. 11. cap. 3. Quare sicut post-

quam Ecclesia aliquem beatificauit, illum canonizabilem esse necesse est; ita cùm B. Virgo, prout erat in primo instanti sui esse, priuilegia beatificatorum ab Ecclesia habeat (vt tetigimus suprà disp. 11. cap. 3.) eam partē esse canonizabilem, seu definibilē censemus. Neq; satisfacies respondendo, Ecclesiā in beatificatione sanctorū non reliquisse opinionē cōtrariam sanctitati illorum vt probabilem, sicut in nostro casu reliquit; nam infallibilitas & certitudo de sanctitate defuncti beatificati, oritur ex eo quòd Ecclesia cultū sacrum illis exhiberi mandat aut permittit (vt dicebamus suprà loco citato.) vnde cùm Ecclesia cultum sacrum Virgini, vt erat in primo instanti sui esse, impertierit, idcirco nostra solùm opinio definiri poterit.

16. *Quinta ratio.*

Quintum adminiculum est præcipua ratio ferè omnium Patrum, quâ B. Virginem culpis actualibus, & fomite peccati caruisse, & pulchrā, & corpore integram fuisse, stabiliunt, quæ vel inefficax est & tot Patribus indigna; vel B. Virginem sine peccato originali fuisse conceptā conuincit: illi enim, vt vidimus suprà dis. 11. cap. 8. ex eo probant B. Mariam præfatas prærogatiuas habuisse, quia Deipara est, & ita illæ Dei Genitricem decent: cùm autem magis deceat Matrem Dei immunem fuisse ab originali; idcirco præfata ratio hanc prærogatiuam fuisse illi quoque concessam, persuadet.

17. *Sexta ratio.*

Sextum adminiculum sunt testimonia Sanctorum canonizatorum, & aliorum insignium virorum, qui B. Virginem sine peccato productam fuisse sibi diuinitus reuelatum fuisse testantur (de quo egi disputatio. 11. capite 6.) Sicut enim testimonia fide dignorum de miraculis factis in confirmationem sanctitatis alicuius defuncti, eum canonizabilem reddunt; ita testimonium Sanctorū de reuelationibus sibi factis, præcipuè approbatis ab Ecclesia circa immunitatem Marianam à peccato, hanc partem definibilem facient. Neque obstat si dicas, reuelationem alicuius Sancti etiam approbatam ab Ecclesia circa veritatem alicuius opinionis, non sufficere ad eius definitionem, nisi Ecclesiæ fiat de illo puncto noua reuelatio. Hoc, inquam, non obest; nam reuelatio prædicta facta aliquibus Sanctis de immunitate Marianâ, illustrat mentem Ecclesiæ, & est conditio, quâ iam illustrata moueatur ab Spiritu sancto, & sic speciali sua assistentia illuminetur; sicut testimonium D. Antonij de gloria S. Pauli primi Heremitæ, & testimonium fide dignorum de miraculis factis in confirmationem sanctitatis alicuius, defuncti, est conditio, vt Ecclesia illuminetur,

minetur, & sic eos canonizauerit; ita testimonium fide dignorum, & præcipuè S. Birgittæ de immunitate B. Virginis ab originali, est conditio vt Ecclesia specialiter ab Spiritu sancto immediatè illuminetur, & sic ad definitionem huius controuersiæ in fauorem Virginis procedat.

18. *Septima ratio.*

Aliud caput positum ab Innocentio ad eruendam veritatem occultam, sunt historiæ à Catholicis scriptæ, quæ sine dubio nobis fauent; siquidem, vt vidimus disputatione 11. num. 10. 83. & 84. graues & antiqui historici, S. Iacobum in Hispania, & alios Apostolos alibi Deiparam sine peccato conceptam fuisse, prædicarunt; quòd libri reperti in monte sancto Granatensi, & antiquitas festi Conceptionis, prædictos historicos vera recensuisse suadent, de quo suprà citato loco egimus.

19. *Corollarium.*

Ex dictis sequitur, nostram opinionem esse definibilē; quippe quæ non solùm testimonijs Scripturæ consentanea est; sed etiam eam tum verba vniuersalia Conciliorum generalium, tum canones Sedis Apostolicæ, tum sensus communis fidelium, tum cultus exhibitus ab Ecclesia Virgini primò conceptæ, tū reuelationes approbatæ, tum alia adminicula suprà relata, eam moraliter certam, vel saltem longè veriorem reddant. Confirmatur, aliæ opiniones definitæ sunt ab Ecclesia, quæ ante eorum definitionem, melioribus non nitebantur fundamentis, vt bene aduertit Granados tom. de Incar. Granados. controuer. 2. tractat. 1. disputatio. 3. sect. 32. & liquet ex dictis disputatio. 12. à numero 4. ergo sicut illæ definitæ sunt, ita nostra vt dogma statui poterit. Quod solidius adhuc apparebit, si aduertas, argumenta, quibus Aduersarij opinionem piam definiri non posse stabiliunt, debilia esse, vt ex eorum solutione capite sequenti persuadere conabimur.

CAPVT III.

Argumentis Aduersariorum satisfit.

20. Præter argumenta allata suprà disput. 12. cap. 3. quibus Aduersarij neutram opinionem esse definibilem, stabilire conabantur, alia nobis obijciunt, vt nostram opinionem decerni non posse, persuadeant.

21. *Obiectioni occurritur.*

Primum, nostra opinio est contra luculenta testimonia Scripturæ, & communē sensum antiquorum Patrum. Miror homines doctos argumentum, quo ipsi facilè reuincentur, nobis opponere: ipsi enim, vt vidimus suprà disp. 12. n. 1. vt præsentem controuersiam decidi non posse propugnēt, neutram ex Scriptura, indubitata traditione, seu communi

sensu Patrum, deduci constanter negant; & modò, vt nos oppugnent, suam opinionem, Scripturam sacram, & communem sensum Patrum esse volunt. Respondeo ergo, opinionem minùs piam solùm probabiliter contineri in sacro textu, & ad summum eam probabiliter deduci ex Patribus antiquis, quod nostræ opinionis definibilitati non obest; siquidem multoties Ecclesia opiniones olim probabiliter elicitas ex verbo Dei, & communi sensu Patrum, improbabiles; imò erroneas & hæreticas esse declarauit. Opinio enim Massilienſium initiũ, aliquod ex nobis ad fidem admittentiũ, ante eius condemnationem, proba bilis erat, & eius Patroni eam tunc temporis ex Scripturâ & communi Patrum, præcipuè Græcorum, sensu deducebant, vt tradit Vasquez 1.p.disput. 89. cap. 4. numero 24. & tamen illâ probabilitate non obstanti, postea per Ecclesiam fuit condemnata; & consequenter declaratum, eam neque probabiliter in Scripturâ contineri. Ita licèt opinio minùs pia probabiliter ex Scriptura, & Patribus inferatur; eam Ecclesia condemnare potest. Quod solidius apparebit, si aduertas, nullum ex Patribus Bernardo antiquioribus, minùs piam opinionem clarè tradidisse; sed ita eos locutos, vt facilem interpretationem admittant (vt vidimus suprà disput. 11. cap. 10.) Legantur Granados, Suarius, Vasquez suprà, qui loca Scripturæ, & prædictorum Patrum bene examinant, & exponunt.

Vasquez.

12. *Alia oppositio dissoluitur.*

Secundò obijcies, licèt opinio minùs pia, certò neque Scriptura sacra neque communis sensus Patrum antiquorum sit; tamen est clara sententia D.Thomæ, D. Bonauenturæ, Bernardi, & aliquorum aliorum Sanctorum Bernardo iuniorum (vt vidimus suprà disput. 11. cap. 12.) ergo illa non poterit definiri. Argumentum præfatum non conuincit; nam multas opiniones olim à Patribus traditas, postea condemnatas scimus (vt suprà disp. 12.numero 82.adnotabam) quare licèt opinio pia menti Bernardi, S.Thomæ, S. Bonauenturæ, & aliorum paucorum, contradiceret, decerni posset vt dogma. Accedit, neque Bernardum nobis refragari, vt ostendimus disp. 11. cap. 11. neque S. Thomam aut S.Bonauenturam constanter opinionem minùs piam secutos fuisse; siquidem iam nostram; iam contrariam defenderunt (vt suprà disput.11.cap.12.tetigimus.)

13. *Alia oppugnatio infringitur.*

Tertiò obijcies, ad hoc vt aliqua veritas definiatur, non sufficit quòd sit moraliter certa; imò neque metaphysicè euidens; nisi pariter fuerit à Deo reuelata; seu locus assignetur, ex quo eam à Deo dictam sciamus; & ideo neque

que propositiones Euclidis, neque aliæ multæ conclusiones scientificæ, articuli fidei esse queunt; sed nullus locus monstratur in Scriptura, ex quo moraliter certò inferatur nostram opinonem fuisse à Deo reuelatam; siquidem neque testimonia suprà allegata, neque traditio indubitata, neque communis sensus Patrum certò nobis fauent; ergo,&c. Respondeo primò, vt aliquid definiri possit, sufficere, quòd illud euidenter probabiliter consentaneum sit alicui loco scripturæ; si aliunde illud verum esse constet, vt suprà disput. 12. numero 27. ostendimus cum Suario: vnde cùm pia opinio sit certò consentanea Scripturæ; & aliunde adminicula allata eam veram arguant; idcirco ea definiri potest. Secundò respondeo, ex testimonijs Scripturæ, & alijs adminiculis suprà allegatis, moraliter certò colligi nostram opinionem in sacro textu virtualiter contineri, vt ea, quæ attulimus disputatio. 11. & 12. considerati, patebit.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

An opinio pia sit proximè definibilis, seu an Pontifex sine Concilio generali, aut prouinciali Episcoporum de ea vltimum iudicium ferre possit?

1. Suarez. Salmeron Granados, Salazar.

ALiqui negant Pontificem posse, saltem licitè, præfatæ controuersiæ sine Concilio, finem imponere. Verùm Suarius, Salmeron, Granados, Salazar suprà disput. 12. n.1.allegati, nostram opinionem esse proximè definibilem, meritò affirmãt, de quo in hac vltima disputatione aliquid dicere placet.

CAPVT I.

Aliqua ad resolutionem prædicti dubij præmittuntur.

2. *Notabile.*

PRæmoneo, Pontificem vt talem etiam sine Concilio generali in doctrina fidei tradenda, errare non posse; & ideo quid-

quidquid ille è Cathedra definierit, veriſſimum & certiſſimum eſt, vt cum S. Thoma 2.2. q. 1. art. 10. Caietanus, Bannez, Aragonius, & Valentia ibidem tenent. Huic veritati ſubſcribunt Bellarminus lib. 4. de ſummo Pontifice cap. 3. Suarius de fide diſp. 5. ſect. 3. Granados contro. 1. de fide tract. 7. diſput. 2. ſect. 2. Caſtro Palao tom. 1. tract. 4. diſput. 1. punct. 5. §. 2. & alij paſſim. Et patet, tum quia Petro, & eius ſucceſſoribus, vt præfati Doctores bene conuincunt, aſſiſtentia Spiritus ſancti, ne deficiant in fide, ſeu ne Eccleſiæ dogma falſum proponant, eſt promiſſa; tum quia ſummus Pontifex eſt ſupra Concilium generale legitimum, vt bene probant Bellarmin. lib. 2. de auctoritat. Concil. à cap. 23. Granados ſuprà diſput. 1. ſect. 5. & alij apud ipſos. Vnde ſi Concilium generale articulos condere poteſt, multò meliùs ſummus Pontifex, vtpote illo ſuperior, illos ſtatuere valet. Quare meritò Leo decimus in bulla contra Lutherum, quæ habetur tom. 5. Conciliorum, illum damnat, quia prædictam poteſtatem Pontifici negare auſus fuit.

S. Thom. Caietan Bannez. Aragon. Valent. Bellarm. Suarez. Granados. Palao. Leo X.

3. Quæres, an Pontifex extra Concilium procedens temerè & ſine præuio examine alicuius cõtrouerſiæ, ad eius definitionem veniret, errare poſſet? & reſpondeo negatiuè, vt ſatis oſtendi ſuprà diſput. 12. cap. 1. §. 2. vbi argumentis in contrarium adductis ſatisfecimus.

Ex dictis infero, Pontificem ſine Concilio poſſe, ſaltem validè, ſeu ſine periculo errandi, noſtram opinionem definire; nam Pontifex ſolus poteſt decidere quidquid definibile eſt, ſeu quidquid Concilium decernere valet, vt diximus; ſed noſtra opinio definibilis eſt, vt eam Concilium decernere poteſt, vt oſtendimus ſuprà diſputatio. 13. cap. 2. ergo Pontifex ſolus ſine Concilio illam canonizare valet. Confirmatur: nam multoties Pontifices ſine Concilio generali, aut prouinciali controuerſias aliquas, tum ad mores, tum ad fidem pertinentes, deciderunt: Leo enim decimus in bulla contra Lutherum, Pius quintus, & Gregorius decimustertius in bulla contra Michaelem Baium, plures eorum propoſitiones ſine Concilio condemnarunt. Clemens Octauus illi quæſtioni, an liceat abſentem ſacramentialiter abſoluere, finẽ ſine Concilio impoſuit, & Gregor. decimus tertius in Extrauaganti, *Aſcendente Domino*, contra opinionem aliquorum Catholicorum ſtatuit vota ſimplicia, quæ poſt biennium Scholaſtici Societatis in noſtra edunt religione, veros & proprios religioſos efficere. Præterea ambigebatur, an animæ ex nihilo crearentur, vt conſtat ex S. Gre-

4. *Concluſio deducitur.*

Leo X. Pius V. Gre. XIII. Cle. VIII.

Gregorio epiſt. 1. Decretalium ad ſecundum, & poſtea Leo vndecimus in explicat. fidei ad Petrum Antiochenum, eas ex nihilo creari determinauit. Idem in multis alijs occaſionibus Pontifices effeciſſe, conſtat ex varijs capitibus Decretalium. Vnde etiam Pontifex ſolus ſine Concilio noſtram piam opinionem, dogma fidei ſaltem validè efficere poterit. An verò id licitè fieret, dicemus capite ſequenti.

CAPVT II.

Pontificem non ſolùm validè, ſed etiam licitè poſſe ſine Concilio noſtram piam opinionem definire, ſtabilitur.

5. *Difficultas proponitur, & vera pars probatur.*

QVatuor capita excogitari poſſunt, ex quibus Pontificem, ſi hanc litem ſine Concilio dirimere vellet, peccaturum argueretur; primum, quia hæc controuerſia non ſubeſt iuriſdictioni Eccleſiæ, & ideo Pontifex, ſi illam decerneret, manum in meſſem alienam immitteret, & ita peccaret. Secundum, quia Pontifex ſi non præmiſſo Concilio circa illam ſententiam ferret, exponeretur periculo errandi, & decipiendi totam Eccleſiam, quod illicitum eſt. Tertiò, quia, etiam admiſſo hanc litem eſſe dirimibilem, & Pontificẽ ſine Concilio circa eius definitionẽ nullatenus erraturum, Pontifex iure diuino tenetur, antequã quæſtiones graues, & inter Catholicos controuerſas, determinet, qualis eſt præſens, ſummam diligentiã adhibere, & Concilium conuocare. Quartum, nam ſi præſens dubium à ſolo Pontifice ſine præuio Concilio reſolueretur, puſilli ſcandalizarentur, & eis occaſio contemnendi articulos propoſitos præberetur, quod inconueniẽs Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ euitare debet. Verùm hæc omnia Pontificem procedentem ad definitionem ſine Concilio peccaturum nullatenus conuincunt, vt per ſingula capita diſcurrendo, monſtrabo: vnde eum ſine Concilio licitè & meritoriè poſſe ſententiam vltimam in fauorem Beatæ Virginis pronunciare, ſapientiſſimi Theologi meritò concludunt.

6. *Item ſuadetur.*

Primò, prædicta definitio non eſſet illicita ex eo, quòd ea iuriſdictionem Eccleſiæ excedat; ſiquidem hæc lis dirimibilis eſt per Eccleſiam (vt ſuprà diſputatione 12. capite 2. oſtendi) & quod tota Eccleſia in Concilio congregata decidere poteſt, etiam ſolus Papa ſine Concilio determinare valet, vt arguebamus ſuprà numero 4.

7. *Alia probatio.*

Secundò, prædicta definitio nõ eſſet peccaminoſa ob periculum erran-

errandi, cui Pontifex sine Concilio sententiam ferens exponeretur; siquidem (vt suprà num. 2. demonstraui) certissimum est Pontificem in doctrina fidei errare non posse; vnde ipse præfatam litem dirimens, nullius erroris periculo exponeretur.

8. *Idem roboratur.* Tertiò scandalum, quod ex præfatæ litis determinatione sequi posset, non est magni faciendum; nam vel agitur de scandalo hæreticorum, vel de scandalo Catholicorum: sanè illud vtpote pharisaicum, non est curandum; alioquin neque Ecclesia in Concilio congregata, aliquod dogma statuere licitè valeret; siquidem illi illud contemnunt, & errorem esse impudenter buccinant. Insuper Catholici cùm firmiter teneant Pontificem sine Concilio articulos condere posse; ex eo quòd ille hanc controuersiam decidat, non scandalizabuntur: quòd verò vnus vel alter obmurmuraret, parum refert; nec propter hoc expedit, vt Pontifex gloriam & honorem B. Virginis promouere desistat.

9. *Idem adstruitur.* Denique præfata definitio culpabilis non redderetur ex eo quòd Pontifex summam deligentiam adhibere tenetur, quando aliquod dubium inter Catholicos ventilatū, resoluere intēdit; Suarez. nam vt bene Suarius suprà, quænam diligentia adhibenda sit à Pontifice ad alicuius quæstionis decisionem nullo iure præscripta est; sed id, attentis omnibus omnibus circumstantijs, prudentis arbitrio diiudicari debet. Vnde cùm sapientissimi, & prudentissimi Theologi ad determinandam hanc controuersiam Concilium non expoſcant, illo omisso Pontifex ei finem optatum imponere licitè & meritoriè poterit. Præterea licèt ad licitam definitionem alicuius veritatis, Concilium requiratur; quando quæstio decidenda, ita controuersa est inter Catholicos, & ignoratur quid vnusquisque sentiat, & quomodo argumentis contrariæ partis respondeatur; attamen quando clarè & euidenter prænoscitur, in quam partem ferè tota Ecclesia inclinet, & insuper notum est quid Doctores circa prædictam controuersiam sentiant, quibus nitantur fundamentis, & quid argumentis contrarijs respondeant; Concilio nō est opus, cùm iam factum præsupponatur id, ad quod præcipuè Concilium desiderabatur. Sed euidenter scitur ferè omnes Christi fideles opinionem piam sequi, & in eā Pontifices magis inclinari, vt liquet; etiam scimus quid aduersariæ partis Patroni dicere, & quid obijcere possint, cùm post diligens studium, & laborem his, quæ Caietanus, & Bandelus in fauorem minùs piæ opinionis scripserunt, ferè nihil hactenus addiderint; ergo ad hoc, vt prædicta

dicta controuersia licitè terminetur, Concilio non est opus. Confirmatur; nam alia dubia satis inter Catholicos controuersa, Pontifices sine Concilio deciderunt (vt tetigimus suprà n. 4.) & tamen eos tunc peccasse nemo, si temerarius non fuerit, asseuerare audebit; ergo etiam fas erit præsenti Pontifici nostram litem sine Concilio terminare, cùm eadem ratio esse videatur.

10. *Instantia occurritur.* Et tandem si instes, prærequiri Concilium, vt in iudicio contradictorio & disputatione inter Patronos piæ, & minùs piæ opinionis, lis maiori auctoritate dirimatur; designo Concilium generale Basilienſe, vbi post magnam huius controuersiæ inter grauissimos Episcopos, & Theologos discussionem, sententia in fauorem B. Virginis sess. 36. lata fuit. Neque obstat si dicas, prædictum Concilium generale, quando hoc punctum determinauit, non legitimum, sed illegitimum & conciliabulum fuisse; nam Concilium ad definitionem alicuius dogmatis non requiritur, vt definitio Pontificia à vero non deuiet, neque vt eam certam reddat, (siquidem Concilium etiam legitimum ante approbationem Pontificis errare Palao. posse. Palao suprà §. 7. & multi alij affirmant,) sed solùm vt manifestetur quid maior pars Ecclesiæ sentiat; & quænam sint vtriusque partis fundamenta: cùm autem hoc ex Concilio Basilienſi, licèt tunc illegitimo, fuerit consecutum; idcirco aliud Concilium ad decisionem licitam huius controuersiæ non requiritur. Confirmatur, Eugenius quartus, qui tunc in Ecclesia præsidebat, finito illo Concilio potuit illud quoad tractata in prædicta sessione approbare, sicut teste Salmerone in cap. 5. Epistolæ ad Rom. disput. 52. §. *tertio accedit*, ipse & Nicolaus quintus multa conciliariter facta à prædicto Concilio, probarunt. Et Martinus quintus Constantiense, quoad res pertinentes ad materiam fidei, canonizauit; ergo Pontifex præsens idem licitè efficere valet; cùm ei sit æqualis auctoritas cum antecessoribus; & aliunde opinio pia ob noua decreta Pontificum, & maiorem plausum fidelium, in meliori statu, ac antea erat, constituta sit. Salmeron.

CAPVT. III.

Operis conclusio, & ad Sanctissimum Dominum nostrum Innocentium decimum peroratio.

11. *Moderatione loquendi est in controuersijs.* QVà verborum grauitate & moderatione in controuersijs loquendum, vel disputandum sit, S. Gregorius Nazianze-

 Nazianze.

Chrys. nus Orat. 32. & S. Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. epistolæ ad Rom. Theologos omnes tum exemplo, tum grauissimis verbis instruxerunt. Ad tantorum Patrum præscriptam regulam, præsentem tractatum conformare optaui; & ideo à verbis asperioribus, quæ charitatem lacerare solent, abstinui, & solùm studui piam opinionem varijs argumentis tum ex sacro textu, tum ex decretis summorum Pontificum, tum ex auctoritate Ecclesiæ, tum ex Patribus, tum ex ratione desumptis, stabilire.

12. Peroratio. Supereſt ergo sanctissime Pater, vt causam Marianam ad tuum supremum tribunal delatam, tuearis; & in fauorem Deiparæ sententiam pronunties, eamque in primo instanti suæ Conceptionis, non ream, sed prorsus innocentem puram & Sanctam fuisse declares: ea enim vtpote grata, beneficium beneficio rependet; & vt eius sanctissimus Filius in extremo iudicio pro te sententiam quoque Prodigium. ferat, efficiet. Postquam S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus, virginitatem Dei Genitricis propugnauit, Sancta Leocadia virgo, & insignis Martyr, ei, præsente Rege Recensuinto, & vniuerso Clero Toletano, apparuisse, & his verbis gratias egisse, fertur: *O Ildefonse par te viuit gloria Domina mea.* Maiori profectò ratione sanctissime Pater, si innocentiam Deiparæ orbi è Cathedra manifestaueris, cælestes comprehensores tibi gratias agere, & dicere poterunt: *O Innocenti per te viuit gloria Domina nostra*; siquidem Ildefonsus incorruptionis corporalis B. Virginis, & tu incorruptionis spiritualis eiusdem longè excellentioris, nempe defensor & propugnator eris. Quod vt decentiùs fiat, humillimè tuæ Sanctitati propono testimonia Scripturæ, quibus piam opinionem consentaneam esse, nemo negare potest: secundò adduco dignitatem ferè infinitam maternitatis Dei, quæ iuxta communem sensum Patrum, omnimodam puritatem expoſcere videtur. Tertiò allego cultum sacrum exhibitum auctoritate Ecclesiæ B. Virgini, prout erat in primo instanti sui esse: quartò magnum robur addunt plures summi Pontifices, qui in piam opinionem magis propenderunt, & eam saltem signis, & factis veriorem esse inuerunt: quintò consensus ferè totius Ecclesiæ per orbem diffusæ, piæ opinioni suffragatur: sextò plures ex Patribus B. Virginem semper immaculatam fuisse vel perspicuè, vel saltem subobscurè insinuarunt: septimò reuelationes multorum fide dignorũ causam B. Virginis agunt: Octauò graues & antiqui historiographi, Apostolos hanc veritatem tradidisse, & vbique præ-

Varia causa pro determinatione huius controuersiæ agglomerantur.

dicasse, testantur: nonò opinio minùs pia definiri nequit, cùm sensui communi ferè totius Ecclesiæ opponatur; vnde pia opinio solùm statui potest. Denique Aduersariorum argumenta non conuincunt Deiparam aliquando fuisse ream peccati Adami, & maculatam; & quando culpa non probatur, accusatus iuxta omnia iura absoluendus est. Quæ omnia simul sumpta, ita causæ Marianæ patrocinantur, vt multi sapientissimi viri piam opinionem moraliter certam esse autument. Sanè Innocentius primus, vt refertur in cap. *de quibus*, dist. 20. vnum ex septem capitibus ad rectè circa aliquam controuersiam diiudicandum expoſcit; nempe Sacram Scripturam, vel Concilia, vel canones Apostolicæ Sedis, vel historias Catholicorum, vel exempla Sanctorum, vel Concilia seniorum: vnde cùm puritati Marianæ, non vnum ex prædictis capitibus, sed omnia simul causam innocentiæ Dei Genitricis valde promoueant; idcirco validè & licitè in fauorem Deiparæ tua Sanctitas sententiam pronuntiare valet. Neque ita causa sint, Beatissime Pater, vt commune gaudium Ecclesiæ differatur, Doctores, qui hanc controuersiam indefinibilem esse volunt, vel ad eius licitam definitionem Concilium generale prærequirunt: nam præterquã quòd hi iurisdictionẽ & maiestatem Sedis Apostolicæ imminuere videntur; passim suppetunt exempla, in quibus tui sanctissimi Antecessores similes lites, non melioribus fundamentis innixas, etiam non conuocato Concilio, determinarunt.

Innocen. I.

INDEX RERVM.

Quæ in hoc Opere continentur. Vbi littera D, *disputationem, & littera* N, *numerum marginalem designat.*

A.

Adamus.

QVamdiu Adamus fuerit in paradiso dis. 1. n. 2.

Adamus fuit in paradiso iustitia originali condecoratus. dis. 1. n. 3.

Adamus multa peccata commisit in paradiso. D. 4. n. 2

Quodnam ex peccatis Adami fuerit causa per se tranfusionis peccati originalis. Vide *Causa peccati originalis.*

Adamus vt persona publica, & in ordine ad transmissionem iustitiæ, & peccati originalis fuit per aliquod spatium temporis viator. D. 5. n. 5.

Tempus viæ Adamo concessum ad transmissionem iustitiæ vel peccati originalis finiendum erat antequam filios generaret. D. 5. n. 11. & sequentibus.

Adamus adhuc post comestionem de fructu vetito mansit, vt persona publica, viator in ordine ad transfundendum culpam aut iustitiam originalem. D. 5 n. 23. & sequentibus.

Quando fuerit via Adami vt personæ publicæ terminata, quære *Via Adami.*

Solus Adamus, & non Eua, fuit causa per se transfusionis peccati originalis. disp. 4. n. 7. & sequentibus.

Si Adamus post comestionem ante tempus, quo se excusauit, perfectè pœnituisset, sibi & nobis iustitiam originalem comparasset. D. 6. per totam.

Adamus non corrupit naturam humanam posterorum, tempore quo ipse comedit fructum vetitum, sed quando se excusauit, aut sententiam Dei audiuit. D. 7 n. 45.

Tempore labente inter comestionem Adami & eius excusationem præuaricatio Adami non fuit eius posteris imputata D. 7. per totam.

Si Adamus ante suam præuaricationem filios genuisset, neque ipsi, neque eorum filij fructum obedientiæ, aut inobedientiæ sui parentis, ex vi præsentis decreti, participassent. D. 5. n. 12. & sequentibus.

Adamus ante comestionem vetitam nec fuit simpliciter mortalis, nec simpliciter immortalis. D. 5. n. 53.

Adamus statim, ac præceptum sibi impositum violauit, sibi iustitiam amisit, & mortem incurrit. D. 5. n. 45.

Adamus ante excusationem aut prolationem diuinæ sententiæ de suo peccato perfectè non doluit. D. 6. n. 1.

Adamus post exilium à paradiso perfectam egit pœnitentiam, & sibi sanctitatem acquisiuit. D. 6. n. 1.

Alia pertinentia ad Adamum inuenies in verbis *Pactum, Posteri, Via, Peccatum originale* & *Natura*, & *Causa peccati originalis.*

Angeli.

Angelorum via eorum peccato fuit terminata. D. 6. n. 48.

Angeli mali post eorum præuaricationem pœnitentiã agere potuerunt. D. 5. n. 42.

Si Deus Adamo post eius peccatum tempus pœnitentiæ ad recuperandum sibi & posteris iustitiam originalem non dedisset, dicta & discursus Patrum circa discrimen, quo Deus cum Angelis & hominibus se gessit, non bene subsisterent. D. 6. n. 42.

Apostoli.

Apostoli expressè & distinctè agnouerunt omnia dogmata, quæ vsque ad finem mundi Ecclesia definiet. D. 12. n. 34.

Apostoli, iam bene instructi de fide, non habuerunt iudicium probabile, sed certissimum de veritate controuersiarum contentarum in verbo Dei. D. 12. n. 34.

Discrimen circa cognitionem veritatum contentarum in verbo Dei, quod inter Apostolos & Ecclesiam intercedit, designatur. D. 12. n. 34.

Appetitus sensitiuus.

Appetitus sensitiuus Adami ante eius transgressionem erat rationi subiectus. D. 1. n. 3.

Si Adamus non peccasset appetitum sensitiuum rationi subiectum haberemus. D. 1. n. 5.

Arbor vitæ.

Vnicus esus ex fructu arboris vitæ immortalitatem corporis tribuisset. D. 5. n. 44.

Primi parentes statim post prolationem diuinæ sententiæ è paradiso eiecti fuerunt, ne comedendo fructum arboris vitæ redderentur immortales. D.5.n.43.

Arbor scientiæ boni & mali, vide *Gula & Comestio Adami.*

Auxilia gratiæ.

Omnibus & singulis reprobis, nullo homine excepto, sunt concessa per Christum auxilia sufficiētia ad salutē. D.6.n.21.

Adamo fuerunt concessa per Christum auxilia sufficientia, quibus potuisset post præuaricationem sibi & nobis iustitiā originalem comparare, si voluisset. D.6.n.38.

Vide verbum *Gratia.*

B.

S. Bernardus.

S. Bernardus iam beatus retractauit opinionem de conceptione maculata B. Virginis, quam secundùm aliquos Doctores, dum fuit viator, tradiderat. D.11.n.106.

S. Bernardus, innuens B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali, explicatur. D. 11.n.107.

S. Birgitta.

S. Birgitta est certissimè canonizata. D. 11. n. 8.

S. Birgittæ reuelationes, licèt non sint de fide, habent in Ecclesia Dei magnam auctoritatem. D.11.n.71.& 72.

S. Birgittæ aliquoties fuit reuelatum B. Virginem sine peccato originali conceptam fuisse. D. 11.n.72.

Præfata reuelatio de pura conceptione B. Virginis, vt coniuncta cum alijs adminiculis, valde iuuare potest ad hoc, vt prædicta veritas definiatur ab Ecclesia. D. 11. n. 79. & D. 12.n.41.& sequentibus.

C.

S. Catharina Senensis.

QVænam reuelationes S. Catharinæ Senensis fuerint à Pontifice approbatæ. D.11. n.81.

S. Catharinæ Senensi fuisse impressa sacra stigmata iam indubium est. D.11.n.77.

Reuelatio, quæ circumfertur nomine S. Catharinæ Senensis, de maculata conceptione B. Virginis est supposititia. D. 11.n.81.

Reuelationes S. Catharinæ Senensis non sunt maioris auctoritatis, quàm reuelationes S. Birgittæ. D.11.n.80.

Captiuitas.

Captiuitas propria quid importet. D.4.n.57.

Adamus statim, ac peccauit, captiuitatem sub potestate diaboli incurrit. D.4.n.57.

Si Deus ex vi pacti fuisset obligatus ad elargiendum Adamo iam præuaricatori auxilia sufficientia ad salutem, quibus ipse, quandocumque voluisset, potuisset iustitiam acquirere, per suum peccatum captiuitatem diaboli propriè non incurrisset. D.4.n.57.

Causa peccati originalis.

Causa diuiditur in causam per se, & causam per accidens. D. 4.n.3.

Quid sit causa per se, & per accidens, explicatur. D.4.n.3.

Entitates, remotè, aut mediatè influentes in aliquem effectum, respectu illius causa per accidens censentur. D.4.n.3.

Neque Eua, neque eius peccata aut actiones fuerunt causa per se transmissionis peccati originalis. D.4.n.7.& sequētibus.

Neque Eua, neque diabolus, sed solus Adamus fuit causa per se transmissionis peccati originalis. disp. 4.n. 7. & sequentibus.

Peccata Adami comestionem illius de fructu interdicto subsequentia, nempe excusatio & impœnitentia, non fuerunt causa per se nostræ ruinæ. dis. 4.n.44.& sequentibus.

Peccata Adami præfatam comestionem antecedentia, aut eam comitantia, non fuerunt causa per se nostræ ruinæ. dis. 4. n.62.& sequentibus.

Causa per se saltem partialis nostrarum miseriarum fuit comestio Adami de fructu prohibito. D. 4. n. 19. & sequentibus.

Si Adamus non comedisset fructum vetitum, etiamsi alia peccata effecisset, iustitia originali orbati eius filij nō conciperemur. D.4.n.41.

Causa totalis meritoria & per se nostræ ruinæ, non plures numero aut specie culpæ, sed vnicum numero & specie peccatum Adami fuit. D.4.n.28. & sequentibus.

Comestio sola Adami fuit causa totaliter meritoria nostræ infelicitatis. D. 4. n. 35. & sequentibus.

Causa totalis & per se nostrarum miseriarum, prout includit causam meritoriam & non meritoriam, fuit peccatum gulæ Adami, vt coniunctum cum impœnitentia vt sic illius durante vsque ad tempus, quo se excusauit, aut sententiam diuinam audiuit. D.4.n.76.

Ex eo quod Patres vel Scriptura nostram ruinam alicui peccato Adami solùm attribuant, non potest solidè inferri, illud fuisse causam per se nostræ infelicitatis. D.4.n.5.

Christus.

Christus fuit prædestinatus primariò in remedium peccati. D.1.n.96.

Finis primarius & adæquatus incarnationis Christi fuit sola comestio Adami de ligno interdicto, vt generi humano imminens, seu illud in periculo peccandi constituens. D.1. n.105.

Si Adamus de fructu vetito non comedisset, ex vi præsentis decreti Christum non habuissemus, etiam si alia plurima peccata in primo parente, & in suis posteris reperirentur. D. 1. n. 105. & sequentibus.

Christus immediatè post comestionem Adami, & antequam vlla alia peccata ipsius, aut posterorum, deinceps secuta, præcognoscerentur, fuit præuisus iam mortalis. D.1.n. 105.& sequentibus.

Christus meruit, vt saltem aliqui homines conderentur. D.2.n. 20. & sequentibus.

Nō est inconueniens fateri Christum meruisse, vt omnes posteri Adami, quot sunt, fuerint traducti ex statu possibilitatis ad statum futuritionis. D.2.n. 28.

Si Christus non venisset, neque primis parentibus, neque eorum filijs fuisset post comestionem Adami aliquod auxilium supernaturale sufficiēs ad salutem ex vi præsentis decreti concessum. D.4.n.56.& sequentibus.

Christus meruit, vt Adamus post comestionem rediret cum sua prole ad statum amissum iustitiæ originalis D. 6. n. 10.& sequentibus.

Ob Christum fuerunt de facto concessa Adamo, iam præuaricatori, auxilia, quibus si voluisset, potuit iustitiam originalem sibi & posteris recuperare. D.6.n. 10. & sequentibus.

Christus non solùm quoad merita, sed etiam quoad gratiam inde deriuatam, validior fuit ad nostram libertatem, quàm peccatum Adami ad nostram seruitutem. D. 6. n. 14. & sequentibus.

Christus efficaciter meruit, vt omnibus reprobis, etiam paruulis, auxilia sufficientia ad salutem, saltem remotè collata fuerint. D.6.n. 13. & sequentibus.

An Christi humanitas secundùm aliquam formalitatem fuerit inclusa in pacto Adami. D. 2. n.38.

Comestio Adami.

Comestio sola Adami de arbore interdicta fuit peccatum naturæ, seu contra præceptum impositum Adamo, vt personæ publicæ. D. 4.n.26.

Ad transmissionem peccati originalis non suffecisset sola voluntas efficax comedendi, ni ipsa cōestio externa in Adamo sequeretur. D.4.n.27.

Ob comestionem Adami mors in mundū intrauit. D.4. n. 19.

Vide *Gula Adami*, & *Peccatum*.

Contractus.

Contractus ritè factus à Tutore, quomodo obliget pupillos, etiam si hi ad illum moraliter non concurrerint. D.1.n. 38.

Contractus matrimonialis celebratus à procuratore nomine mandantis, est huic voluntarius, quia physicè voluit illum celebrari. D.1.n.38.

Controuersiæ.

Controuersiæ esse possunt vel de rebus contentis in verbo Dei, vel in illo nullatenus contentis. D.12.n.3.

Controuersiæ, quarum alia pars certò continetur in verbo Dei, aut inde euidenter deducitur, debent quamprimum ab Ecclesia determinari. D. 12.n.3.

Controuersiæ aliquæ euidenter probabiliter contentæ in verbo Dei, etiam si neutra illarū pars euidenter deducatur ex Scriptura, indubitata traditione, aut vnanimi Patrum consensu, decidi possunt ab Ecclesia. D.12.n. 6. & sequentibus.

Ad determinationem controuersiarum iuuare possunt miracula & reuelationes factæ, præcipuè Sanctis iam canonizatis, & à personis fide dignis & prudentibus approbatæ. D. 12.n.41 & sequentibus.

Etiamsi aliqua pars controuersiarum contentarum in verbo Dei fuerit mens aliquorum Patrum contraria definiri potest ab Ecclesia. D. 12. n.23.

Controuersiæ, quarum neutra pars vllatenus in verbo Dei continetur, ab Ecclesia decidi n queunt vt dogma. D. 12. n.3.

Controuersia de maculata, vel immaculata conceptione Deiparæ est definibilis ab Ecclesia. D. 12. n. 55. & sequentibus.

Prædicta controuersia à Pontifice, etiam non congregato Concilio, licitè & validè decidi potest. D.14.n.5.

D.

Debitum.

Debitum peccati est necessitas quædam illud incurrendi. D.1.n.89.

Debitum peccati originalis diuiditur in proximum & remotum. D.1.n.90.

Debitum remotum est ipsum peccatum Adami, vt formaliter meritorium nostræ ruinæ. D.1.n.91.

Debitum remotum peccati originalis posterorum vel est formaliter eos peccasse in Adamo, vel cum præfata formalitate necessariò coniunctum. D.1.n.91.

Debitum remotum peccati originalis posterorum, non fuit in Adamo vsque ad tempus, quo se excusauit, aut sententiã audiuit. D.7.n.45.

Debitum proximum peccati originalis est necessitas contrahendi culpam originalem, nobis inhærens, ab ipso peccato distincta, illoque prioritate naturæ prior D.1.n.92.

Incertum est, an præfatum debitum proximum peccati originalis cum sanctitate adueniente in baptizatis componatur. D 1.n.92.

Deus.

Quomodo Dei intellectus & voluntas feratur in res, quæ hominibus in confuso apparent. D.2.n.11.

Deus se solo, & sine concursu physico causarum secundarũ, aliquos effectus producere nequit. D.1.n.34.

Deus efficere non potest, vt aliquid sit nobis liberum aut voluntarium, si ad illud physicè, saltem remotè, non concurrimus. D. 1. n. 34. & sequentibus.

Deus intuitu meritorum Christi, vt conditionatè futurorum, nullum contulit beneficium B. Virgini. D.3.n.5.

Deus ante initionem pacti celebrati cum Adamo non se obligauit ad conferendum ei vllum auxilium supernaturale ad pœnitendum, casu quo præuaricaretur. D.4. n. 54. & sequentibus.

Deus ante prædictum pactum non statuit, qui, & quot homines essent futuri. D.2. n.13. & sequentibus.

Deus in pacto Adami omnes homines, tunc possibiles, involuit sub conditione, si ex ipso per seminalem generationem propagarentur. D.2. n. 24. & sequentibus.

Deus quemlibet ex inclusis in pacto, ab eo, etiam post concestionem Adami, ita eximere valuit, vt præfatus exemptus neque peccasset in Adamo, neque culpam, aut eius debitum incurrisset. D. 8. per totã.

Deus nullatenus permittet, vt in sua Ecclesia opinio falsa & contraria Scripturæ diuinæ ita inualescat, vt ferè ab omnibus fidelibus verior habeatur. D. 11.n.67.

Diabolus.

Neque Diabolus, neque eius inuidia fuit causa per se transmissionis peccati originalis. D. 4.n.5.

E.

Ecclesia.

Ecclesia non tolerat festum Conceptionis B. Virginis, sed illud celebrari mandat, & positiuè vult. D.11.n.13.

Ecclesia in festo Conceptionis B. Virginis non celebrat eius sanctificationem post primum instans suæ animationis subsecutam. D. 11. n. 16. & sequentibus.

Festum Conceptionis Marianæ celebratum ab Ecclesia non est festum solius actionis gratiarum. D.11.n.24. & sequentibus.

Ecclesia in festo Conceptionis B. Virginis eam, vt erat in primo instanti suæ animatæ existentiæ, primariò colit, eique vt tunc sanctæ, festum instituit. D. 11.n.33. & sequentibus.

Ecclesia Latina nunquam festum alicuius hominis ingredientis in mundum, aut inde egredientis, peregit, ni ille tunc sanctitatem habuerit. D.11.n.25.

Ecclesia non potest alicui cultum publicum exhibere, neque ad eum orationem publicam fundere, ni re ipsa ille sanctus fuerit. D. 11. n. 38. & sequentibus.

Ecclesia cõtrouersias euidenter probabiliter contentas in Scriptura, validè determinare valet. D. 12.n.6.

Ad hoc vt Ecclesia aliquam partem alicuius controuersiæ cõtentæ in verbo Dei decidat, non requiritur eam certò & euidenter deduci ex Scriptura, aut indubitata traditione, aut vnanimi consensu Patrum. D. 12.n.6.& sequentibus.

Ecclesia determinare valet controuersiam de maculata, vel immaculata Conceptione B. Virginis. D. 12. n. 55. & sequentibus.

Si Ecclesia determinare voluerit præfatam controuersiam, ea B. Virginem fuisse sine peccato conceptam declaratura est. D.13. n.9.& sequentibus.

Expedit, vt Ecclesia præfatæ controuersiæ finem imponat, & quænam pars sit vera, definiat. D.12.n.69. & sequentibus.

Ecclesia, etiam si temerè procederet in definitione alicuius controuersiæ necessariò connexæ cum vero sensu Scripturæ, falsum pro vero nullatenus fidelibus proponere posset. D. 12.n.6.& sequentibus.

Ecclesia ad suas definitiones controuersiarum contentarum in verbo Dei & vtrimque probabilium, iuuari potest miraculis & reuelationibus. D. 12. n.41.& sequentibus.

Incertum est, an Ecclesia

Græca antiquitus festum conceptioni S. Ioannis Baptistæ instituerit. D. 11. n. 30.
Dato Ecclesiam Græcam celebrasse festum conceptionis Baptistæ, non infirmatur argumentum pro pura Conceptione B. Virginis, desumptū ex festo ei peracto ab Ecclesia Romana. D. 11. n. 49.
Discrimen circa cognitionem dogmatum, quod inter Apostolos & reliquam Ecclesiam intercedit, aperitur. D. 12. n. 34.
Vide *Pontifex* & *Controuersiæ*.

Effectus.

Effectus procedentes ab hac numero causa physica, ab alia naturaliter produci nequeunt. D. 2. n. 22.
Vide *Causa*.

Eua.

Eua non fuit causa per se transmissionis peccati originalis. D. 4. n. 7.
Si, Adamo peccante, Eua non deliquisset, miseri & sanctitate priuati conciperemur. D. 4. n. 7. & sequentibus.
Eua aliquoties fuit repulsa ab Adamo. D. 5. n. 21.

F.

Filij.

Filij, orti ex his numero parentibus, ab alijs naturaliter non prouenirent. D. 2. n. 22.
Ad filios peccata aliorum parentum distinctorum ab Adamo non transmittuntur. D. 1. n. 4.
Vide *Posteri Adami*.

Fœmina.

Gratis dicitur eas, quæ sunt fœminę in statu naturę corruptę, futuras esse viros in statu naturæ integræ, aut è contrario. D. 2. n. 19.
Fœminæ in statu naturæ integræ & viri fuissent numero æquales D. 2. n. 17.
Sine fundamento asseritur viros priùs naturà fuisse maculatos peccato Adami, quàm fœminas. D. 3. n. 34.

Fomes peccati.

Vide *Appetitus sensitiuus*.

G.

Genus humanum.

Vide *Homines*, *Natura humana* & *Posteri Adami*.

Gratia.

Gratia creationis à gratia iustificationis distinguitur. D. 2. n. 23.
Christus meruit multa, quæ quoad substantiam sunt naturalia & pertinent ad gratiam creationis. D 2 n 23.
Gratia sufficiens ad salutem nullis reprobis, etiam paruulis, est denegata. D. 6. n. 13.
Gratia Christi ex eius meritis in genus humanum deriuata validior fuit ad nostram libertatem, quàm peccatum Adami ad nostrā seruitutē. D. 6. n. 30.
Omnis gratia iustificationis, Adamo post comestionem, & eius posteris concessa, ex meritis Christi ortum ducit. D. 3. n. 3.

Gula.

Malitia specifica gulæ fuit ex vi pacti requisita in Adamo, vt genus humanum inficeretur. D. 4. n. 19. & sequentibus.
Si Adamus peccatum gulæ non commisisset, etiam si alia peccata perpetrasset, iustitia originali ornati oriremur. D. 4. n. 41.
Ex vi pacti nulla alia malitia distincta à peccato gulæ ad infectionem generis humani in Adamo requirebatur. D. 4. n. 35. & sequentibus.
Gula Adami, vt genus humanum macularetur, ex vi pacti non suffeciisset, ni impœnitentia vt sic prædicti peccati durans vsque ad tempus, quo se excusauit, aut sentētiā audiuit, pariter adfuisset. D. 4 n. 76. & D. 7. per totam.
Vide *Comestio*, & *Peccatum*.

H.

Homines.

Incertum est, an ipsimet homines, qui modò sunt, fuissent futuri in statu naturæ integræ. D. 2. n. 16.
Etiam ignoratur, an numerus hominum in statu naturæ integræ, & corruptæ fuisset omnino æqualis. D. 2 n. 15.
Nos latet, an homines qui modò reprobantur, habituri fuissent existentiam, si Adamus innocens perseuerasset. D 2. n. 13.
Non implicat omnes homines possibiles intrasse in pactum initum cum Adamo, si ex semine virili illius orirentur, &, hoc peccante, sic genitos maculari. D. 2. n. 4. & sequentibus.
Homines, dum latebant in statu possibilitatis, in pacto inito cum Adamo conditionaliter erant inclusi, & pariter conditionaliter ab eo excluſi. D. 2. n. 8.
Vide *Pactum*, *Peccatum*, *Posteri*, & *Adamus*.

I.

Immortalitas, *Immortalis.*

Si Adamus pactum secum initum obseruasset, fuissemus immortales. D. 1 n. 5.
An immortalitas corporis fuisset aliqua qualitas nobis intrinseca, vel sola Dei prouidētia. D. 1. n. 3.

Impœnitentia.

Impœnitentia diuiditur in peccaminosam, & non peccami-

caminosam. D. 4. n. 75.
Impœnitentia peccaminosa Adami de peccato commisso, ad transmissionē culpæ originalis nullatenus fuit per se requisita. D. 4. n. 76. & eadem disp. n. 49. & sequentibus.
Impœnitentia de peccato proprio leui, aut de peccato alieno graui, non solet esse lethalis. D. 4. n. 45.
Valde incertum est, an Adamus ante exilium à paradiso peccauerit grauiter peccato impœnitentiæ. D. 4 n. 44.
Impœnitentia vt sic Adami de comestione, seu vt abstrahit à peccaminosa & non peccaminosa, existens tempore excusationis, aut prolationis diuinæ sententiæ, fuit conditio requisita ex vi pacti ad infectionē generis humani. D. 4. n. 76.
Impœnitentia prædicta Adami, licèt non auxerit demeritum comestionis Adami, fuit conditio ex vi pacti requisita, vt illa fuisset formaliter demeritoria iustitiæ originalis nobis promissæ. D. 7. n. 48. & sequentibus.
Si Adamus post comestionem dormiuisset vsque ad exilium à paradiso, miseri nasceremur, quia vsque ad dictum tempus fuisset impœnitens. D. 4. n. 49. & sequentibus.
Patres asserunt Adamum non infecturum naturam, si se non excusauisset, nempe quia præfata excusatio impœnitentiam, seu carentiam perfectæ pœnitentiæ tunc requisitæ, secum importabat. D. 4. n. 79.

Iustitia originalis.

Iustitia originalis fuit nobis promissa sub conditione obseruationis pacti initi cum Adamo. D. 1. n. 4.
Iustitia originalis tria præcipua dona inuoluebat, nempe sanctitatem animæ, immortalitatem corporis, & subiectionem appetitus ad rationem. D. 1. n. 3.
Controuersum est an iustitia originalis fuerit aliqua qualitas omnino distincta à prædictis donis. D. 1. n. 3.
Iustitia originalis quoad omnia dona, quæ includebat, fuit nobis sub eisdem prorsus conditionibus promissa. D 5. n. 33.

L.

Libertas, Liberum.

VT aliquid liberè à nobis efficiatur, essentialiter requiritur, vt illud à nobis physicè procedat, saltem remotè. D. 1. n. 38.
Deus nequit efficere, vt id, quod à nobis nullatenus physicè dimanat, sit nobis liberum & voluntarium. D. 1. n. 38.

M.

B. Maria.

BEata Virgo fuit sicut cæteri alij homines in pacto Adami inuoluta, D. 3. n. 38.
B. Virgo nullum beneficium speciale à Deo accepit, quod ex meritis Christi mortalis non dimanarit. D. 3. n. 3.
B Virgo ex meritis Christi habuit futuritionem. D. 9. n. 7.
Si B. Virgo in pacto Adami non fuisset inclusa, neque fuisset ab eo propriè redempta. D. 3. n. 26. & sequentibus.
B. Virgo in signo respondente tēpori intercedēte inter comestionem Adami & eius excusationē & antequā genus humanū corrūperetur fuit per merita mortis Christi iā præuisa à pacto, quoad pœnas in eo cōminatas erepta. D. 9. n. 4. & sequētibus.
B. Virginem neque peccasse in Adamo, neque culpam originalē aut eius debitum incurrisse, latè probatur. D. 10. n. 5. & sequentibus.
B. Virgo culpam originalem non contraxit. D. 11. per totam.
B. Virgo fuit propriè redempta per Christum à peccato Adami. D. 10. n. 51.
B. Virgo fuit causa meritoria de congruo, vt Adamo iam præuaricatori auxilia, quibus potuisset redire ad statum iustitiæ originalis, conferrentur. D. 6. n. 12.
Quomodo Adamus fuerit caput morale B. Virginis? D. 3. n. 48. & 49.
Alia elogia B. Virginis in hoc opere passim reperiuntur.

Miracula.

Vide *Reuelationes.*

Mors. Mortalitas & Mortalis.

Mortalitas corporis sub eisdem prorsus conditionibus, ac exiliū à paradiso, priuatio sanctitatis, & aliæ pœnæ, fuit nobis in Adamo comminata. D 5 n. 33.
Mors ab eodem peccato Adami, à quo cæteræ posterorum per se emanarunt, in eosdem deriuatur. D. 4. n. 19.

N.

Natura humana.

TOta natura humana fuit infecta per Adamum. D. 2. n. 24. & sequentibus.
Tota natura humana non fuit immediatè post comestionē Adami vitiata, sed post præuisam pariter impœnitentiam Adami existentem tempore comestionis aut prolationis diuinæ sententiæ D. 7. n. 45.
Vide *Posteri Adami, Homines, & Peccatum Adami.*

O.

Opinio.

ILla opinio est probabilis, quam viri docti, perpensis fundamētis appositæ sententiæ, verioré esse iudicant. D. 12. n. 22.
Opinio, quæ ante definitionē intra latitudinē probabilitatis continebatur, aliquādo est eleuabilis per Ecclesiam ad gradum certitudinis fidei. D 12. n. 22.
Opinio minùs pia de Cōceptione maculata B. Virginis nō est definibilis. D. 13. n. 3. & sequētibus.

Opinio pia de Conceptione est proximè definibilis. D.14.n.5. & sequentibus.

P.

Pactum.

DEus pactū iniuit cum Adamo de transfundēda aut negāda iustitia originali posteris. D.1. n.4.

Ignoratur, an Adamus ante prævaricationē, prædicti pacti notitiam habuerit D.1.n.6.

Pactum intrarunt homines tunc possibiles sub conditione, si ex Adamo per seminalē generationē propagarentur. D.2.n.24.

Pactum de neganda iustitia originali posteris Adami duas conditiones exigebat, nempe comestionem Adami de ligno vetito, & eiusdem Adami impœnitentia de prędicto peccato existens tempore excusationis Adami, vel prolationis diuinæ sententiæ. D.6.n.44.

Deus tempore interiecto inter comestionem Adami & eius excusationem, potuit diuinitus quemlibet ex inclusis in pacto ab eo educere. D.8 n.3.

Prædictus homo sic exemptus à pacto neque peccasset in Adamo, neque culpam originalem aut eius debitum incurrisset. D. 8.n.7. & sequentibus.

Etiā prędictus homo sic eductus à pacto fuisset verè & propriè redemptus per Christū. D.8.n.11.

Parentes.

Peccata aliorum parentum ab Adamo animas filiorum non inficiunt. D.1.n.4.

Cogitationes, quibus si parentes vterentur eorum paruuli viuerent & saluarentur, multoties non sufficiunt, ad hoc vt præfati paruuli auxilium sufficiens ad salutem habuisse censeantur. D.6.n.22.& 31.

Vide *Paruuli & Filij.*

Paruuli.

Omnibus paruulis reprobis est datum auxilium sufficiens ad salutem per Christum. D. 6.n. 14.& sequentibus.

Præfatum auxilium non est dictis paruulis datum immediatè in ipsis, & multoties neque in eorum parentibus, sed solùm in Adamo. D.6.n.22. & 31.

Paruuli reprobi, etiamsi mereri aut demereri nequeant, sunt viatores, dum viuunt. D 4. n. 53.& D.5.n.49.

Peccatum Originale.

Certum est dari peccatum originale, licèt sit difficile designare formalitatem illius. D 1. n. 8.

Culpa originalis non consistit formaliter in aliqua qualitate aut relatione physica nobis intrinseca. D.1.n.12.

Peccatum originale posterorum non est ipsa culpa Adami. D.1. n.12.

Peccatum prædictum non consistit formaliter in priuatione physica sanctitatis debitæ nobis inhærente. D.1. n.14. & sequentibus.

Peccatum originale non est concursus moralis posterorum in culpam Adami. D. 1. n.34. & sequentibus.

Peccatum originale formaliter consistit in relatione morali dissonantiæ ad naturam rationalem nobis intrinseca & ex priuatione sanctitatis debitæ & aliis conditionibus resultanti D.1.n.73.

Ad hoc vt in nobis consurgat peccatum originale multa nobis intrinseca & extrinseca concurrunt. D.1.n.17.

Quomodo peccatum originale sit voluntarium. D.1.n.75.

Peccatum originale non est à Deo. D.1.n.79.

Deus efficere non potuit vt ex Adamo culpa originalis emanaret, ni in eo peccatum præcessisset D.1.n.21.

Peccatum nequit existere in subiecto, quin illud non maculet. D.1.n.48.

Vide *Causa peccati originalis.*

Pontifex summus.

Summus Pontifex sine Concilio generali potest determinare, quidquid Concilium definire valet. D.14.n.2.

Summus Pontifex in suis definitionibus pertinentibus ad fidē errare nequit. D. 14.n. 2.

Summus Pontifex sine Concilio licitè & validè potest definire B. Virginem sine peccato conceptam fuisse. D.14.n.4.& sequentibus.

Vide *Ecclesia.*

Posteri Adami.

Posterorum voluntates non potuerunt diuinitus voluntati Adami ita alligari, vt ad eius operationes moraliter liberè & voluntariè concurrerint. D. 1. n.34.& sequentibus.

Vide *Homines.*

Propositio.

Propositio de præterito vt vera, ea in aliquo tempore antecedenti de præsenti verificari debet D.1.n.44.

Illa propositio S. Pauli *Omnes in Adam peccauerunt*, est de præterito. D.1.n 43.

R.

Reprobi.

INcertum est, an qui modò reprobantur, fuissent quoque reprobi in statu naturæ integræ D.2.n.13.

Vide *Paruuli,& Auxilia.*

Reuelationes.

Reuelationes muliercularum non sunt magni faciendæ. D. 11. n.70.

Reuelationes factæ personis sanctitate & prudentiā illustribus, magni ponderis sunt apud prudentes. D.11. n. 70. & sequentibus.

Reuelationes factæ sanctis postea canonizatis, & ab hominibus fide dignis traditæ, rem reuelatam esse veram efficaciter suadent. D.11.n 81.

Reuelationes prædictæ ad definitionem controuersiarum,

Eccleſiæ deſeruire poſſunt. D. 12.n 41. & ſequentibus.
Reuelationis variæ de immaculata conceptione B. Virginis adducuntur D.11.n 68.
Vide *S. Birgitta.*

S.

Status viæ, aut viatoris.

QVid ſit ſtatus viæ, ſeu viatoris. D.4.n.53.
Viatores ſunt omnes homines, dum viuunt, etiamſi ob aliquod impedimentum mereri aut demereri nequeant. D. 4. n 53.
Status viæ Adami, vt perſonæ publicæ, in ordine ad tranſmiſſionem iuſtitiæ originalis non fuiſſet terminatus, ſi ipſe primam tentationem viciſſet. D. 5. n. 21. & ſequentibus.
Prædictus ſtatus viæ in ordine ad præfatum effectum, non fuiſſet duraturus tota vita animali Adami. D. 5. n. 11. & ſequentibus.
Status viæ Adami in ordine ad transfuſionem iuſtitiæ originalis, fuiſſet terminatus tempore quo ſe excuſauit aut ſententiam diuinam audiuit. D. 5. n. 52. 53. & 54.
Status viæ Adami in ordine ad infectionem naturæ, non durauit tota vita animali illius. D. 5. n. 5 6. & 7.
Status viæ Adami in ordine ad noſtram ruinam cauſandam, non fuit eius comeſtione terminatus. D. 5. n. 23. & ſequentibus.
Status viæ Adami, vt perſonæ publicæ, in ordine ad infalcibilem corruptionem generis humani, fuit terminatus tempore excuſationis Adami, aut prolatione diuinæ ſententiæ. D. 5. n. 51.
Vide *Adamus.*

V.

Via, viator.

Vide *ſtatus viæ*

Voluntarium.

Vide *Libertas.*

Votum.

Votum factum ab aliqua ciuitate non obligat ciues præcipuè futuros, vt votum, ſed ſolùm vt lex ſeu ſtatutum. D. 1. n. 38.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA